Libro Joannis Boffey
1752

ROBERTI BARCLAII

THEOLOGIÆ

Verè CHRISTIANÆ

APOLOGIA.

Act. 24: 14. *Secundum viam, quam hæresin dicunt, sic colo Deum patrum meorum, credens omnibus, quæ in Lege & Prophetis scripta sunt.*

Tit. 2: 11, 12, 13, 14. *Gratia Dei salutifera illuxit omnibus hominibus, erudiens nos, ut, abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè & justè & piè vivamus in hoc mundo, expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, bonorum operum zelotem.*

1 Thess. 5: 21. *Omnia probate, quod bonum est, tenete.*

Typis excusa, M. DC. LXXVI.

Pro JACOB CLAUS, Bibliopola, habitante Amstelodami, *op de oudezijds achter-burgwal, in de vergulde Drie-hoek.*

Veneunt præterea,

LONDINI, ROTERODAMI, FRANCOFURTI, apud BENJAMIN CLARK, *in George-Court, Lumbard-street.* ISAACUM NÆRANUM, *op het Steyger.* HENRICUM BETKIUM.

Et in quibusdam aliis locis.

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
DEC 28 1945

Jackson fund

CAROLO SECUNDO,

MAGNÆ

BRITANNIÆ

Regnorumque ad eam pertinentium,

REGI,

ROBERTUS BARCLAIUS,

servus JESU CHRISTI, vocatus ad dispensationem Evangelii, quod nunc, post longam & tenebrosam Apostasiæ noctem, denuò revelatum omnibus gentibus prædicandum est, salutem exoptat.

Quemadmodum conditio Regum ac Principum illos eâ statione locat, quâ magis, quàm alii mortales, orbis observationi & conspectui fiunt obvii, quorum, ut benè observat Cicero, nec dictum ullum, nec factum obscurum esse potest; sic ii præsertim Reges, durante quorum tempore in hujus orbis theatro placet maximo Regum REGI

singulariter hominibus manifestare mirabilia inscrutabilis providentiæ suæ vestigia, accuratius observantur, eorumque vitas & actiones diligentiùs & industriùs notat & scrutatur posteritas, præsertim si illa sint ejus generis, quæ non solùm ad externa hujus orbis facta spectant, sed quæ etiam notanda sunt propter manifestationem seu revelationem notitiæ Dei in rebus religiosis & spiritualibus. Hoc vitas Cyri, Augusti Cæsaris, & Constantini Magni adeò notabiles reddidit, & postremis his seculis Caroli Quinti, & aliorum quorundam Principum. Sed inter omnia illa facta, quæ permittere Deo placuit, ad gloriam potestatis suæ, & manifestationem sapientiæ & providentiæ, nulla ætas nobis adeò miranda & stupenda perhibet, si vel res civiles sivè religiosas spectemus, quàm quæ per vitæ tuæ curriculum acciderunt, qui, licet quinquagesimum ætatis annum nondum attigeris, rerum tamen magis mirabilium testis fuisti, quàm multa antè secula produxerunt; veluti si duntaxat respexerimus varias illas molestias, in quas, vix infantiam egressus, prolapsus es, nec non multifarias illas afflictiones, quibuscum tui gradus homines rarò circumsepti sunt, ac miram illam & incomparabilem Patris tui fortunam, angustamque tuam evasionem, & exilium subsequens, ac magnam reversionis tuæ improbabilitatem, saltem nisi multo labore & variis pugnis, & denique incapacitatem tuam hoc perficiendi, propter eorum, qui sese in solio tuo collocârant, vim & terrorem, quem externis regnis injecerant: & quòd nihilominus nullo stricto ense, absque omni ictu gladii, sine peregrinorum Statuum auxilio aut ope, vel per humani consilii & prudentiæ opus aut industriam restauratus sis. Hæc omnia abundè declarant, factum hoc esse à Domino, quod sicut mirabile est in oculis nostris, ita succedentibus generationibus admirationi erit & stupori: id si rectè observetur, satis confutat & confundit atheismum, qui tantoperè hâc ætate abundat.

Sicut vindicatio libertatis conscientiæ, quam pater tuus (importunis clericorum clamoribus cedens, quorum impiis & crudelibus

delibus voluntatibus respondentes & satisfacientes, multa pernicioſa & incommoda plerique Principes ſuſtinuerunt) nonnihil reprimere & impedire incepit, revolutionum illarum cauſa & occaſio fuit: ſic ejuſdem conſcientiæ libertatis prætextu opus illud & promovebatur, & ad ſummum productum eſt, & licet (procul dubio) quidam, qui in illo opere actores erant, bona ſibi proponerent, præſertim in initio, (quanquam ſemper longè errantes quoad modum perficiendi, carnalibus *ſcil.* armis) quamprimùm tamen guſtârunt ſuavitatem poſſeſſionum eorum, quos ejiciebant, confeſtim cœperunt ea ipſa agere, ob quæ alios accuſaverant, manus eorum in oppreſſione inventæ ſunt, & *oderunt redargutionem inſtructionis, quæ eſt via vitæ.* Malè ſe geſſerunt erga Domini nuncios, & Prophetas ejus verberari & in carceres injici juſſerunt, ſervoſque ejus perſecuti ſunt, quos vocaverat, & ex illis collegerat, perſuaſeratque *tundere gladios ſuos in ligones, & haſtas ſuas in falces*, & bellum carnale aut externum non ampliùs diſcere: ſed ſuſcitavit eos Deus, & ſpiritualibus armis armavit eos; quippè Spiritu & virtute ipſius, quâ in vicis, ſemitis & publicis conventibus, foris & in ſynagogis teſtati ſunt contra *ſuperbiam, luxuriam, vanitatem & hypocriſin* generationis iſtius, quæ juſta erat in oculis ſuis; & licet propterea crudeliter tractarentur, fideliter tamen prophetârunt & prædixerunt iis judicium & ruinam eorum, quæ poſtea ſupervenit, ut ex pluribus admonitionibus & epiſtolis ad *Oliverum* & *Richardum Cromuelem*, & ad cæteros iis ſuccedentes conventus & poteſtates datis & exhibitis, quæ typis tunc mandatæ ſunt, & adhuc extant, apparet.

Poſtquam autem te reſtaurare Deo placuit, quot quantaſque oppreſſiones, perſecutiones, exilia, aliaque mala perpeſſi ſint ab hominibus, tuam authoritatem prætendentibus, ſuamque malignitatem tuo nomine colorantibus, omnibus ferè notum eſt, præſertim in *Angliâ*, ubi vix ergaſtulum eſt, quod non fuerit illis repletum, neque judex, ad quem non tracti ſint, *licet nunquam inventi ſint alicujus criminis rei*, quo tales aſperitates merentur.

rentur, ideoque eorum *innocentiæ* sensu (procul dubio) adductus fuisti, ut tribus abhinc annis centenos quosdam eorum in carcere inclusos liberari præceperis; in illis enim, quæ patiuntur, manifestè & observabiliter distinguendi sunt ab omnibus aliis, qui sub tuâ authoritate vivunt, his duobus respectibus.

Primò, *quòd inter omnes conjurationes, ab aliis contra te machinatas, ex quo restauratus es & in Britanniam reversus, nemo ex isto populo inventus sit reus* (licet quamplurimi eorum capti & incarcerati, talis suspicionis causâ, fuerint) *sed semper innocentes & innoxii* (sicut decebat Christi sequaces) *neque ambientes, nec pro hujus orbis regnis contendentes, sed subjecti cuilibet hominum instituto, conscientiæ gratiâ, reperti sint.*

Secundò, *quod in asperrimis persecutionum temporibus, & severissimis executionibus earum legum, quæ contra conventus latæ sunt* (cùm innocentiâ circumsepti sint) *strenuè in testimonio pro Deo steterint, non in angulos & obscura loca irrepentes, vel semet abscondentes*, sicut omnes alii dissentientes professores fecerunt, *sed quotidiè pro more in locis publicis, illi fini destinatis, convenerint*, ita ut nulli tuorum satellitum de illis dicere possint, *quod in angulo deprehenderint eos, vel in privato conventiculo interceperint, vel in secretis cubiculis apprehenderint: neque necesse iis fuit emittere speculatores ad eos inquirendos, quos certi erant quotidiè inveniri in publicis conventibus, pro Deo & veritate ejus testificantes.* Indè oculos ad videndum habentibus luculenter apparet Christiana eorum patientia & magnanimitas, constantia & tolerantia simul conjuncta: & tamen in mediis istis afflictionibus & provocationibus testari possis, quod, sicuti ex unâ parte nunquam quæsiverunt traducere & defamare, vel gubernationem tuam populo odiosam & invidiosam reddere scurrilibus & diffamatoriis libellis, ita ex alterâ non dubitârunt te admonere, hortari & redarguere, nec non fideliter conscientias suas in amore erga te sine verbis adulatoriis exonerare, sicut veri Prophetæ priscis temporibus erga illos Reges & Principes, sub quorum authoritate violentia acta est, semper fecerunt.

Et

Et quanquam evidenti experientiâ pateat, veritati divinæ & humanæ politiæ maximè consentaneum esse, ut unicuique libertas conscientiæ, quoad cultum erga Deum, permittatur; tamen cæteræ illæ sectæ (quæ plerumque persecutionis tempore vix extra angulos & latebras prospicere vel egredi audebant, dum populus ille innocens, strenuus & immobilis steterit) nunc simul in mutuam conjurationem conturmant, conspirant & quasi conglutinantur (non obstantibus, quas inter se olim habebant, contentionibus & altercationibus) ut nos odiosos reddant, injustè quærentes doctrinas nostras & verba detorquere, quasi nec cum Christianitate, nec humanâ societate consisterent, ita ut ad hoc malitiæ opus perficiendum non erubescant invicem auxilio uti, & labores invidorum quorundam contra nos *Sociniazorum* magnoperè commendare. Nimirum hoc modo simul concordare possunt Herodes & Pilatus ad Christum crucifigendum.

Sed praxis nostra, tibi bonâ experientiâ nota, scil. quod & Christianitati, & humanæ societati, hujusque insulæ paci & prosperitati magis, quàm accusantium, consentanea sit, adeò nos contra istas calumnias propugnat, ut ad conscientiam tuam, quasi pro nobis testem, in conspectu gentium provocare possimus. His rationibus adductus fui, brevem quidem at veram hujus populi doctrinarum enarrationem, brevibus quibusdam Thesibus Theologicis, orbi exhibere, quæ etiam, secundum bonam Dei voluntatem, præter expectationem meam successerunt, ad quorundam satisfactionem, & ad excitandum in compluribus desiderium adhuc copiosius de nobis nostrisque dogmatibus audiendi & intelligendi: & quoniam ii sumus, quibus ubique contradicitur, non defuerunt adversarii, theses prædictas publicè oppugnantes, quam sortem veritas experietur semper, dum diabolus regnat in filiis inobedientiæ. Cæterùm in eâdem Domini libertate ductum me sensi, ut etiam hanc *Apologiam* scriberem, & publico exponerem, quâ veritas, quam hic populus profitetur, fusiùs exhibetur, quam tibi offerre non dubito, propter

 tuum

tuum in eos jus, & eorum in te, quia & primò apparuerunt & maximè creverunt in istis nationibus, ubi tu regnas.

Tu nosti & expertus es *fidelitatem eorum erga Deum, patientiam eorum in persecutionibus, tranquillitatem eorum erga Regem, honestatem eorum & integritatem in fidelibus eorum admonitionibus & exhortationibus ad teipsum*; & si libuerit otii aliquantulum ad hoc opus legendum tibimet assumere, videbis, *quàm consentanea sint eorum dogmata & Scripturæ & veritati & rectæ rationi.* Simplicitas conversationis eorum, & vilis eorum conditio, quippe cùm sint pauperes, illiterati, & generis quoad sanguinem externum humilioris, methodus item procedendi eorum, videl. absque hujus mundi politiâ & sapientiâ, pleriſque occasionem præbuit concludendi, quòd insani & stulti sint, & propterea veluti rationis incapaces negligendi. Ad hæc, licet iis instar coronæ sit, ita derideri à sapientibus & magnis & literatis hujus seculi, & licet jure merito gaudeant Christi causâ pro stultis haberi; quidam tamen, iique secundum æstimationem mundi & docti & sapientes, aliter de illis judicare incipiunt, & vident, eos exhibere, quæ & Scripturæ & rationi & veræ eruditioni consentanea sunt.

Sicuti veritatis, quam assero, professioni contrarium est, ita & minimè meum est consilium, hac epistolâ quasi *adulationis instrumento* uti, qui frequens & communis harum epistolarum usus & finis est; ideoque nec opus hoc tibi dedicare queam, nec patrocinium tuum implorare, quasi indè fidentiùs orbi illud præsentare, vel de successu ejus meliora sperare possem. Deo soli debeo, quicquid habeo, idque magis immediatè in rebus spiritualibus, ideoque illi soli & veritatis ejus ministerio, quicquid in me producit, dedico, cui soli honor & laus debetur, cujus veritas hujus orbis Principum patrocinio non eget, quoniam brachium ejus & virtus est illud solum, quò & propagatur, consi matur & stabilitur. Hinc tamen magnoperè in animo meo pressus sum, ut occasionem acciperem, hunc librum tibi offerendi, ut, sicuti sæpiùs ex populo illo quamplurimi, qui in

Angliâ

Angliâ degunt, te hortati sunt, ita nec opportunâ careres admonitione à membro antiqui tui *Scotiæ* regni, & ut cognoscerés, (quod nunquam tibi dolendum fore spero) Deum in illâ natione & suscitasse, & quotidiè populum hunc augere. Hinc etiam cognoscent gentes, veritatem, quam nos profitemur, tenebrarum opus non esse, nec latenter propagatum, neque pudere nos *Evangelii Christi*, quod novimus *virtutem esse Dei ad salutem*: & quod neque adeò cum gubernatione inconsistentes, neque pacis publicæ disturbatores sumus, quemàdmodum calumniando gentibus persuadere voluerunt adversarii nostri, de quo ad te provocare, teque testem tranquillitatis & Christianæ nostræ conversationis appellare possumus.

Succedentes generationes non magis mirabuntur singularem illum divinæ providentiæ gradum in restauratione tuâ ad thronum sine sanguinis effusione, quàm etiam mirabuntur incrementum & progressum hujus veritatis sine externâ ope & contra tantam oppositionem, quæ non erit ex rebus minimis memoriam tuam illustrem reddentibus. Deus pro te magna fecit, satisque tibi ostendit, quòd *per illum Principes regnent, quòdque possit detrudere & evehere quos vult, & quando vult*. Sæpè fideliter te hortatus est per ministros suos, ex quo ad regalem dignitatem restauravit te, ne in corde tuo luxuriares contra eum, & misericordiæ ejus & providentiæ obliviscereris, ne indè permitteret te in iniquitatibus demulceri, adulationibus aulicorum, qui blanditiis suis multorum Principum ruina sunt. Non est in orbe Rex, qui tantoperè Dei providentiam & bonitatem expertus est, neque ullus est, qui tantum & tàm liberum populum, totque veros Christianos gubernat, quod & imperium tuum magis honorabile, & teipsum magis considerabilem reddit, quàm plurimorum regnorum accessio, quæ servilibus & superstitiosis animis repleta sunt. Et prosperitatem & adversitatem gustasti: nosti quid sit è patriâ ejici, quid sit opprimi & sub jugo esse, non minus quàm regnare; & cùm oppressus fueris, ignorare non potes,

quàm odiosus sit oppressor & Deo & hominibus. Si post omnes istas exhortationes & admonitiones toto corde te ad Deum non convertas, & illius obliviscaris, qui meminit tui in afflictionibus, sed temet ad luxuriam & vanitatem sequendam dederis, certè magna erit condemnatio tua: contra quod periculum, & tentationes eorum, qui in malo te fovent, vel ad illud te movent, præstantissimum & prævalentissimum remedium erit, ut ad *Lucem illam Christi, conscientiæ tuæ illucentem*, temet applices, quæ tibi nullo modo adulabitur, neque in peccatis tuis quietum te sinet, sed planè & fideliter tecum aget, sicut & illi fecerunt, qui eam sequuntur. Omnipotens Deus, qui hucusque adeò mirabiliter amore suo te visitavit, ita tangat & penetret cor tuum, antequam expiret dies visitationis tuæ, ut ex animo ad eum convertaris, ita ut in loco & statione tuâ ad gloriam ejus provehendam te exerceas. Sic exoptat, sic exorat ille, qui fidelis tibi

Amicus & subditus est

ROBERTVS BARCLAIVS.

Ab Uriâ, loco peregrinationis meæ, in nativâ meâ Scotiæ *patriâ, die* 25 *Mensis, vulgò Novembris,* ANNO 1675.

R. B.

R. B. Lectori benevolo

S. P. D.

Quum hoc mihi præcipuè ſtatutum ſit, veritatem *ſcil. annunciare & propugnare; cujus miniſterio me, meaque omnia dedidi & devovi, nihil mihi ejus cauſâ (annuente divino numine) non experiri, & non audere, poſſe videor. Et hoc modo fretus Theſes quaſdam Theologicas, veritatis principia & præcipua dogmata comprehendentes, publico non ita pridem expoſui; quæ, cum quibuſdam non inutiles viſæ ſint, ac præter expectationem & ab alienis & alienigenis benevolè receptæ ſint, (licet à quibuſdam etiam invidis oppugnatæ) ita prævaluerunt, ut aliquâ ex parte monſtroſam illam & fabuloſam opinionem (quâ mendax fama & adverſariorum malitia quorundam animos de nobis noſtriſque doctrinis imbuerat) expunxerint. Hoc reſpectu mihi viſum eſt, nec labori nec operi parcere; ideoque ejuſdem divini Spiritûs motu, eodemque propagandæ veritatis conſilio ductus, quo theſes ipſas publicavi, eas hoc tempore aliquantulùm fuſius explanandas & quibuſdam argumentis propugnandas exiſtimavi. Fortaſſe mea ſcribendi methodus, à* communi Theologorum *non ſolùm diverſa, ſed etiam aliena* Lectori *videri poteſt, quod mihi minimè curæ erit, quoniam me* Scholaſticorum *non modò non admiratorem & imitatorem, ſed contemptorem & adverſarium ingenuè fateor, quorum laboribus religionem Chriſtianam non commendatam, ſed penè annihilatam eſſe exiſtimo. Neque hoc meum opus prurientibus eorum auribus accommodavi, qui ſublimes etiam veritatis notiones magis capite comprehendere, quàm corde complecti cupiunt. Quæ enim ſcripſi, non tàm ex capite quàm ex corde exprompſi, quæque animæ meæ auribus audivi, internis oculis vidi, & manus meæ contrectârunt de* verbo vitæ. *Quod mihi intus manifeſtatum eſt de rebus divinis, illud annuncio, non tàm verborum & ſermonis elegantiam & ornatum, quàm veritatis efficaciam & operationem oſtendere ſtudens, quod ſi aliquando in priore peccavi, parùm intereſt; non enim*

grammaticum *aut* rhetorem, *ſed* Chriſtianum *ago*; *in poſteriore certam* divini luminis *&* ſacrarum literarum *normam ſequutus ſum. Et ut finem faciam, quæ hîc à me ſcripta ſunt, non ad fovendam* ſapientiam, & hujus ſeculi doctorum ſcientiam, *vel potius* inanem ſuperbiam, *ſed ad eam expugnandam & ſolo æquandam ſcripta ſunt, ut etiam præfatiuncula theſibus præfixa breviter demonſtrat, quæ cum ejus titulo ſic ſe habet.*

THESES THEOLOGICÆ.

Omnibus cujuscunque generis totius Chriſtiani orbis Clericis, ad quos hæ pervenerint, & præſertim univerſis Doctoribus, Profeſſoribus, & Studioſis Theologiæ, in Academiis Europæ verſantibus, ſive Pontificiis ſive Proteſtantibus, ROBERTUS BARCLAIUS, Domini Dei Servus, ſinceram pœnitentiam in agnitionem veritatis exoptat.

VObis ſequentes hæ propoſitiones oblatæ ſunt, *quibus lectis, & in timore Domini perluſtratis, ſimplicem illam, nudam & planam* veritatem *conſpicietis, quam homines ſapientiâ ſuâ adeo obſcuram reddiderunt, ut mundus gravatus ſit magnis & voluminoſis Tractatibus, quos de eâ confinxerunt, & vanis altercationibus; nec non commentariis, quibus centuplo magis occulta redditur, quàm ex ſe eſt. Quæ præclara eruditio (ita exiſtimata)* videl. *Theologia Scholaſtica (ad quam ediſcendam vix ætas integra ſufficit) neminem Deo propinquiorem reddit, minùsve peccantem, aut magis juſtum efficit. Detruſit igitur Deus ſapientes, eruditos, ſcribas, nec non diſputatores hujus ſeculi, & elegit paucos quoſdam deſpicabiles & illiteratos, quoad literaturam Scholaſticam, (ut & olim piſcatores) qui puram ejus & nudam veritatem publicarent; & ab iſtis nebulis, quibus Clerici obnubilaverunt, eam liberarent: ut illos plobecula miraretur & ſuſtentaret. Et inter complures alios,*

quos

quos elegit Deus ad ea patefacienda, cùm ego etiam nactus sim gratiam, ut hujus Evangelii sim dispensator, visum mihi est, secundum officium meum delitum, has propositiones vobis offerre; quæ, licet breves sint, ponderosæ tamen, multa complectuntur, & denotant veram scientiæ originem, scientiæ inquam, *quæ ad vitam æternam perducit; de qua hic testificor, & testimonium hoc relictum est* Luci Christi, *illuminanti vestras omnium conscientias.*

Valete.

R. B. *Scoto-Britannus.*

Thesis Prima.

De vero cognitionis fundamento.

Quum summa fælicitas hominis posita sit in vera Dei cognitione (*hæc est autem vita æterna, ut cognoscant verum illum Deum, &c.*) vera & genuina intelligentia rectæ originis & fundamenti cognitionis cognitu & creditu imprimis necessaria est. Joh. 17: ver. 3.

Primus

Thesis Secunda.

De interna & immediata Revelatione.

Cum nemo Patrem noverit nisi Filius, & cuicunque voluerit filius ipsum retegere; & cum revelatio Filii sit in, & per Spiritum; ideo testimonium Spiritus illud est, quo & hactenus revelata est, & nunc revelatur, & solummodo revelari potest vera cognitio Dei; qui sicut Spiritus sui motu hujus mundi chaos ad præclarum illum & mirabilem ordinem, quô initio fuit, reduxit, hominemque animam vivam, qui eum gubernaret, ibique regnaret, creavit: Sic ejusdem Spiritus revelatione se ipsum semper filiis hominum patefecit, Patriarchis nimirum, Prophetis, & Apostolis, quæ revelationes Dei per Spiritum, sive externis vocibus & apparitionibus, sivè somniis, sivè internis objectivis in corde manifestationibus, olim formale eorum fidei objectum fuere,

fuere & adhuc ita permanent: *quum objectum fidei ſanctorum idem ſit in omnibus ſeculis, licet ſub diverſis adminiſtrationibus exhibitum.* Porro divinæ revelationes internæ, quas ad fundandam veram fidem abſolutè neceſſarias eſſe adſtruimus, externo Scripturarum teſtimonio, aut ſanæ rationi, ut nec contradicunt, ita nec unquam contradicere poſſunt. Non tamen indè ſequitur, quod hæ revelationes divinæ ad externum Scripturarum teſtimonium, aut etiam ad rationem naturalem ſeu humanam, tanquam ad nobiliorem aut certiorem normam & amuſſim, examinari debeant. Nam divina revelatio & illuminatio interna eſt quiddam per ſe evidens & clarum, intellectum benè diſpoſitum, propriâ evidentiâ & claritate, cogens ad aſſentiendum, atque inſuperabiliter movens & flectens, non minùs quàm principia communia veritatum naturalium (cujusmodi ſunt, *Totum eſt majus ſua parte*; *Duo contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera aut falſa*) movent, flectuntque animum ad aſſenſum naturalem.

Theſis Tertia.

De Scripturis.

A Sanctis his revelationibus Spiritûs Dei proceſſerunt Scripturæ veritatis, quæ continent, *Primò*, fidelem narrationem hiſtoricam actorum populi Dei in non paucis ſeculis, nec non ſingularia quædam & aſpectabilia divinæ erga illos providentiæ teſtimonia. *Secundò*, narrationem Propheticam multarum rerum, quarum quædam præteritæ, quædam adhuc futuræ ſunt. *Tertiò*, amplum & copioſum præcipuis Chriſtianæ fidei doctrinis teſtimonium, exhibitum in præclaris quibuſdam declarationibus, exhortationibus, & ſententiis; quæ divini Spiritûs afflatu, variis temporibus, quibuſdam Eccleſiis & Eccleſiæ paſtoribus, ſecundum diverſas, quæ ſeſe obtulerunt, occaſiones, dictæ & ſcriptæ ſunt: nihilominus, quoniam ſolummodo ſint declaratio fontis, & non ipſe fons, ideo non exiſtimandæ ſunt principalis

palis origo omnis veritatis & cognitionis, nec adæquata primaria regula fidei & morum; licet, cùm dent verum & fidele testimonium primæ originis, sint, & possint existimari regula secundaria, subordinata Spiritui, à quo, quam habent, excellentiam & certitudinem derivant. Nam, sicut interno Spiritûs testimonio eorum certitudinem solummodo novimus, ipsæ etiam testantur, Spiritum esse illum rectorem, Sanctis traditum, quo ducendi sunt in omnem veritatem; itaque, secundum Scripturas, Spiritus est primus & principalis ductor; & cùm ideo recipiamus & credamus Scripturis, quòd à Spiritu processerunt, igitur etiam Spiritus magis originaliter & principaliter est regula, secundum receptum illud in scholis axioma, *Propter quod unumquodque est tale, illud ipsum est magis tale.*

Thesis Quarta.

De statu naturalis hominis in lapsu.

Tota posteritas Adamica, sive gens humana, cum Judæi tum Ethnici, quoad primum Adam seu hominem terrestrem lapsa, degenerata, & mortua est, deprivata sensu vel tactu interni hujus testimonii & Seminis Dei, & subjecta est potentiæ naturæ, & semini Satanæ, quod ille sevit in cordibus hominum, dum in naturali & corrupto statu permanent: unde fit, quod non solum dicta & facta, sed & omnes imaginationes eorum malæ sint perpetuò in conspectu Dei, utpote à depravato hoc & maligno semine provenientes. Homo igitur, quatenus in hoc statu subsistit, nihil rectè potest cognoscere, imò, & cogitationes & conceptus ejus de Deo, rebusque divinis, donec à pravo illo semine disjunctus, divinoque lumini adjunctus sit, & ipsi, & aliis omnibus, omninò inutiles sunt. Hinc rejiciuntur errores Socinianorum & Pelagianorum, qui *lumen naturale* exaltant; nec non Pontificiorum, ac complurium Protestantium, qui affirmant, posse hominem, absque verâ Dei gratiâ, esse Euangelii ministrum, & animabus prodesse. Non tamen hoc semen infantibus

imputatur, nisi quando actualiter ei sese peccando conjungant; *Nam ii sunt naturâ filii iræ, qui ambulant secundum principem aëris, & spiritum agentem in hominibus contumacibus, qui conversantur in cupiditatibus carnis, facientes quæ carni ac cogitationibus libent.* Eph. 2.

Thesis Qninta.

De universali redemptione Christi, & salutifero nec non supernaturali lumine, unumquemque illuminante.

Deus ex infinitâ suâ bonitate, qui non delectatur morte improbi, sed ut omnes vivant & serventur, *Ita dilexit mundum, ut filium suum unigenitum, Lumen, dederit; ut, quisquis credat in eum, servetur: qui illuminavit omnem hominem venientem in mundum, & omnia vituperabilia manifestat, docetque omnem justitiam, temperantiam & pietatem.* Atque hoc lumen illucet cordibus omnium pro tempore, in ordine ad salutem; & hoc est, quod redarguit peccatum omnium individuorum, perfecturum omnium salutem, ni obstarent; nec minùs universale est, quam semen peccati; *Ejus enim mortis beneficium est, qui pro omnibus mortem gustavit: sicut enim in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.*

Thesis Sexta.

Secundum quam hypothesin omnes objectiones, contra mortis Christi universalitatem, facilè solvuntur; nec opus est recurrere ad ministerium Angelorum, cæterosque prodigiosos illos modos, quibus ajunt Deum uti ad manifestandam doctrinam, & historiam passionis Christi iis (in illis orbis angulis, ubi externa Euangelii prædicatio ignota est, habitantibus) qui prima & communi gratia benè usi sunt: hinc etiam diserte sequitur, quod sicut ex antiquis Philosophis aliqui vitam æternam consequuti sint, ita & nunc possint quidam (quos nativitatis sors posuit in remotis mundi partibus, ubi historiæ cognitio deest) participes fieri divini mysterii, si gratiam illam,

cujus

cujus manifestatio unicuique datur ad utilitatem, recipiant: quâ doctrinâ certissimâ receptâ, nempè, Euangelicum & salutiferum lumen & gratiam omnibus inesse, universalitas amoris & misericordiæ divinæ erga genus humanum (cum in morte filii ejus dilecti Domini Jesu Christi, tum in manifestatione lucis ejus in cordibus) stabilitur, & confirmatur contra omnes objectiones denegantium. Christus igitur pro omnibus mortem gustavit, non solum pro generibus singulorum (ut quidam garriunt) sed etiam pro singulis generum; cujus oblationis & victimæ beneficium extenditur, non solum ad eos, qui distinctam externam mortis passionisque ejus habent cognitionem, sicut ea in Scripturis declarata est, sed ad illos etiam, qui ab hujus cognitionis beneficio, casu aliquo inevitabili, necessariò excluduntur: quam cognitionem libenter concedimus esse perutilem & consolabundam, sed non absolutè necessariam illis, quibus ipse Deus eam impossibilem fecit: tales enim participes fiunt beneficii mysterii mortis ejus (licet historiæ ignari) si *scrip.* obtemperent *semini & lumini ejus, illucenti cordibus suis, in quo lumine communio habetur cum Patre & Filio*, ita ut ex impiis sancti fiant, & amatores potentiæ illius; cujus internis & secretis viribus & contactibus se à malo ad bonum converti sentiunt, & doceri, *quod sibi fieri nolunt, alteri non facere*, in quibus ipse Christus affirmat omnia includi. Sicut igitur falsò & hæreticè docuerunt, qui Christum pro omnibus mortuum fuisse denegârunt; ita nec satis abundè veritatem annunciarunt, qui, affirmantes Christum pro omnibus mortuum fuisse, absolutam externæ historiæ cognitionis necessitatem addiderunt, ad assequendum salutiferum ejus effectum. Inter quos præcipuè Remonstrantes Belgici fuerunt, & alii complures universalis redemptionis affirmatores; eò quod non posuerunt salutis hujus extensionem & exhibitionem in divino illo & Evangelico principio luminis & vitæ, quâ *Christus illuminavit omnem hominem venientem in mundum*, quod præclarè & perspicuè exhibetur his Scripturis, Gen, 6: 3. Deut, 30:

14. Pſ. 50 : 1. Job. 28 : 28. Johan. 1 : 7, 8, 9, 16. Rom. 10 : 8. Tit. 2 : 11.

Theſis Septima.

De Iuſtificatione.

Quotquot non obſtant hujus lucis illuminationi, ſed Religioſè eam recipiunt, fit in illis Sanctus, Purus & Spiritualis partus, pietatem, juſtitiam, puritatem, cæterosque præclaros illos fructus Deo gratiſſimos producens: per quem Sanctum partum, videlicet Chriſtum Jeſum intus formatum, opera ſua in nobis producentem, ut ſanctificamur, ita & juſtificamur in conſpectu Dei, ſecundum Apoſtoli verba; *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis, in nomine Domini Ieſu & per Spiritum Dei noſtri.* Ideo non fit noſtris operibus, noſtrâ voluntate productis; nec item bonis operibus per ſe conſideratis, ſed per Chriſtum fit, qui eſt donum & donator ac cauſa producens effectus in nobis: qui, cùm reconciliavit nos, dum adverſarii fuimus, ſecundum ſapientiam ſuam hoc modo nos ſalvat & juſtificat, ſicut alibi idem Apoſtolus, *Ex miſericordiâ ſuâ ſalvavit nos per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.*

Theſis Octava.

De Poſſibilitate non peccandi.

In quibus ſancta hæc & immaculata genitura plenè producta eſt, corpus peccati & mortis crucifigitur & amovetur, cordaque eorum veritati ſubjecta evadunt & unita: ita ut nullis Diaboli ſuggeſtionibus & tentationibus pareant, & liberentur ab actuali peccato & legem Dei tranſgrediendo, eoque reſpectu perfecti fiunt: iſta tamen perfectio ſemper incrementum admittit, remanetque ſemper, aliqua ex parte, poſſibilitas peccandi, ubi animus non diligentiſſimè & vigilantiſſimè ad Deum attendit.

Theſis

Thesis Nona.

De perseverantia & Possibilitate amittendi gratiam.

Licet donum hoc & interna gratia sufficiens sit ad perficiendam salutem, illorum tamen, in quibus resistitur, & fieri potest & fit condemnatio; præterea, in quorum cordibus nonnihil operata est, ad purificandos & sanctificandos illos, ultra ad eorum perfectionem tendens, inobedientiâ ab illâ regredi possunt, & *in concupiscentiam reverti, fidei naufragium facere, & post gustatum donum cœleste & participes factos Spiritûs sancti denuò prolabi*; ejusmodi tamen incrementum in hac vitâ & in veritate stabilitas acquiri potest, à quâ nulla datur apostasia.

Thesis Decima.

De Ministris & Pastoribus Ecclesiæ

Sicut dono hoc & gratiâ seu lumine Dei omnis vera cognitio in rebus spiritualibus recipitur & revelatur; ita & illo, prout manifestatur & in intima cordis receptum est, per ejus vim & potentiam unusquisque verus Evangelii minister constituitur, præparatur & suppeditatur in opere ministerii, &, hoc movente, ducente & trahente, oportet Evangelistam, pastorem Christianum duci & mandari in labore & ministerio suo Evangelico; & quoad loca, ubi, & quoad personas, quibus, & quoad tempora, quando ministraturus est. Porro, qui hujus habent authoritatem, possunt & debent Evangelium anunciare, licet humanis mandatis carentes, & humanæ literaturæ ignari. E contrà verò, qui hujus divini doni authoritate carent, quanquam eruditione & scientiâ præditi, & ecclesiarum mandatis & hominum authoritate utplurimum pollentes, impostores tantùm & fraudatores, non veri Evangelii ministri seu prædicatores habendi sunt. Præterea, qui sanctum & immaculatum donum acceperunt, *sicut gratis accepere, ita & gratis distributuri sunt*, absque mercede vel pacto stipendio; absit, ut eo utantur, sicut arte ad lucrandam pecuniam.

cuniam. Si autem Dominus aliquem avocaverit à negotio seu arte suâ, quâ solitus est sibi & familiæ comparare panem, licet ei, secundum libertatem sibi in Domino concessam, recipere temporalia (*viz.* quæ ad victum & amictum pertinent) ab illis, quibus spiritualia communicavit, quæ liberè & ex animo data sunt.

Thesis Undecima.

De Cultu.

Omnis verus cultus, & Deo gratus, oblatus est Spiritu suo movente internè, ac immediatè ducente, qui, nec locis, nec temporibus, nec personis præscriptis limitatur: nam licet semper nobis colendus sit, quòd oporteat indesinenter timere coram illo, tamen, quoad externam significationem in precibus, elogiis, aut prædicationibus, non licet ea perficere nostrâ voluntate, ubi & quando nos volumus; sed ubi & quando eò ducimur motu & secretis inspirationibus Spiritûs Dei in cordibus nostris; quæ Deus exaudit & acceptat, qui nunquam deest, nos ad precandum movere, quando expedit, cujus ille solus est judex idoneus. Omnis ergo alius cultus, elogia, preces sive prædicationes, quas propriâ voluntate suaque tempestivitate homines peragunt, quas & ordiri & finire ad libitum possunt, perficere vel non perficere, ut ipsismet videtur, sive formæ præscriptæ sint, sicut Liturgiæ, *&c.* sivè preces ex tempore per vim facultatemque naturalem conceptæ, omnes ad unum sunt cultus superstitiosus, Græcè εἰδωλοθρησκέια, & idololatria abominabilis in conspectu Dei, quæ nunc in die Spiritualis resurrectionis ejus deneganda & rejicienda sunt, à quibus separare nos oportet, utcunque illi placuerit (qui temporibus ignorantiæ connixit, habito respectu ad simplicitatem & integritatem quorundam, causâ innocentis sui seminis hominum cordibus, quasi sub superstitionis illius massâ, sepulti) istis afflare, & suspiria aliqua sua suscitare & exaudire; idque quoad dies clariùs illuxerit & exoriretur.

Thesis

Thesis Duodecima.

De Baptismo.

Sicut unus est Deus, & una fides, ita & unum Baptisma, non quo carnis sordes abjiciuntur, sed stipulatio bonæ conscientiæ apud Deum per resurrectionem Jesu Christi, & hoc Baptisma est quid sanctum & Spirituale, *sciz.* Baptisma Spiritûs & ignis, per quod consepulti sumus Christo, ut, à peccatis abluti & purgati, novam vitam ambulemus: cujus Baptismæ Johannis erat figura, quod pro tempore fuit, & non ad perpetuum mandatum. Quoad Baptisma infantum, mera traditio humana est, cujus nec exemplum nec præceptum in universa Scriptura invenire est.

Thesis Decimatertia.

De Communicatione & participatione corporis & sanguinis Christi.

Communio corporis & sanguinis Christi est *quid spirituale & internum*, hoc est participatio carnis & sanguinis Christi, quô *homo interior* quotidiè nutritur in cordibus eorum, quibus Christus inhabitat, cujus rei *fractio panis* per Christum cum discipulis erat *figura*, quâ aliquando in ecclesiâ etiam utebantur illi, qui rem figuratam receperunt, imbecillium causâ: sicut *abstinere à rebus strangulatis*, & *à sanguine*, *lavare invicem pedes*, *infirmos oleo ungere*, quæ omnia jussa sunt non minore authoritate & solennitate, quàm priora illa duo; sed cùm tantùm fuerint *umbræ* meliorum, illis cessant, qui *substantiam* assequuti sunt.

Thesis Decimaquarta.

De Potestate Magistratûs civilis in rebus purè religiosis & ad conscientiam pertinentibus.

Quoniam Deus sibi assumpsit dominium & potestatem conscientiæ, qui unus potest eam rectè instruere & gubernare, ideo nemini licet, quæcunque sit ejus authoritas, seu principatus in

hujus

hujus orbis gubernaculo, aliorum conſcientiam adurgere; & omnes cædes, exilia, proſcriptiones, incarcerationes, cæteraque id genus, quibus homines affliguntur propter ſolum conſcientiæ exercitium, vel diverſam, cùm in cultu, tùm in rebus religioſis, opinionem, proveniunt à ſpiritu Caïn trucidatoris, & contraria veritati ſunt. Nemini tamen licet, ſub prætextu conſcientiæ, proximo vel in vitâ, vel in bonis nocere, aut quidquid humanæ ſocietati & commercio incommodum, aut pernicioſum perpetrare, in quo caſu Lex ſit delinquenti, & jus cuique adminiſtretur, nullâ habitâ perſonarum ratione.

Theſis Decimaquinta.

De Salutationibus, Recreationibus, idque genus aliis.

Cùm omnis religio præcipuè huc tendat, ut redimantur homines à *ſpiritu vano & hujus ſeculi conſortio*, & introducantur ad *interiorem cum Deo communionem*, coram quo, ſi ſemper timemus, beati exiſtimandi ſumus; igitur vani & inanes ejus habitus & conſuetudines & verbo & opere ab iis rejiciendæ & derelinquendæ ſunt, qui ad hunc timorem accedunt, qualia ſunt *detectio capitis, ſuffraginationes, corporiſque quàm plures in ſalutationibus deflexiones*, cæteræque *ſtultæ & ſuperſtitioſæ formalitates*, malo uſu in nimis multis gentibus inveteratæ, quæ omnia homo *in ſtatu degenerato*, ad *fovendam ſuperbiam*, in *vanâ hujus ſeculi pompâ & gloriâ* commentus eſt, nec non *inutiles ludi, frivolæ recreationes & nugæ*, quæ inventa ſunt ad pretioſum tempus conterendum: quæque animam divertunt *à teſte Dei in corde & à ſenſu vivace timoris ejus*, & *ab Evangelico Spiritu*, quo debent Chriſtiani cæmentari, qui ad *ſobrietatem, gravitatem & ſincerum Dei timorem* perducit; in quo dum ambulamus, benedictio Dei adeſt nobiſcum in actionibus iſtis, quibus neceſſariò verſamur, dum ea, quæ ad exterioris hujus partis ſuſtentationem ſpectant, curamus.

THEO-

THEOLOGIÆ Verè CHRISTIANÆ APOLOGIA.

Thesis Prima.

Quum summa fælicitas hominis posita sit in vera Dei cognitione, (*hæc est autem vita æterna, ut cognoscant verum illum Deum, &c.*) vera & genuina intelligentia rectæ originis & fundamenti cognitionis cognitu & creditu imprimis necessaria est. *Ioh. 17: vers 3:*

QUicunque artem aliquam vel scientiam comparare studet, media, quibus illa ars aut scientia acquiritur, primo loco quærit. Si ita decet agere in rebus naturalibus & terrenis, multò magis in Spiritualibus. Eoque diligentius hac in re inquirere nos oportet, quòd, qui in limine errat, non ita facilè in rectam viam reducitur; & qui initio itineris deviat, ac in primis observationibus fallitur, dum à littore solvit, quo major error ejus est, eo in rectam viam difficilior ingressus. Quando homo sibi primò Dei cognitionem proponit, eò ductus suæ indignitatis sensu, & secretis conscientiæ stimulis defessus, & quasi admodum affatus, dum à præsenti pavore redimi appetat, & ferventer exoptet crebris animi passionibus & concupiscentiis liberari, pacemque adipisci in reali Dei cognitione & certitudine amoris & benevolentiæ ejus, facilè aliqua impressio tenero cordi imponitur, quasi præsens auxilium vacillanti & inquieto animo afferens, dum res non ita clarè distinguere & discernere possit. Quæ principia vel postulata imbibit; sive id fit reverentiâ & credulitate quorundam, quos affectat & miratur; sive ea principia magis naturali animi dispositioni adaptantur: & si per illa

Dei cognitionem adeptus videtur, utut falsa sint, non facilè removentur. Transacto enim primo pavore audacior evadit, & adest adversarius, qui falsam pacem creat, & fiduciam aliquam, cui animus ita libenter inclinat & confidit, ut in novam dubitationem & priorem disquisitionis anxietatem prolabi effugiat: hoc satis verificant *Pharisæi* & *Doctores Iudaici*, qui maximè Christo restiterunt, indignantes se existimari ignaros; hæc inanis opinio cognitionis à verâ cognitione abstraxit & plebem, quæ, prioribus principiis non imbuta, nec scientiæ opinione inflata, facilè credebat, quemadmodum exprobrant, Joh. 7: 48, 49. *Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicta est.* Hoc etiam abundè probatur experientiâ omnium, qui, secretis & internis Divinæ gratiæ contactibus experrecti, se falsis Doctoribus applicârunt, ubi pejus morbo remedium est; nam loco veræ Dei cognitionis, eorumque, quæ ad salutem suam pertinent, falsas opiniones de illo imbibunt, quæ majore labore expunguntur, quàm si anima quasi tabula rasa adhuc extiterit. Qui enim se sapere opinantur, magis obstinati sunt, quàm qui suæ ignorantiæ sibi conscii sunt: nec minus diaboli malitia adversus homines exercetur, dum falsas illis de Deo notiones persuadet, quàm dum illos ad negandum Deum omninò cogit: hoc enim difficilius recipitur & magis odiosum est, illud vero perpetua mundi ruina fuit. Vix enim ulla gens reperitur, quæ aliquas religionis notiones non habuerit: siquidem non à negatione Deitatis, sed à falsis & confictis de illo opinionibus, quæcunque in orbe idololatria vel superstitio est, provenit, undè etiam ipse Atheïsmus oritur; nam diversæ illæ & variæ de Deo & Religione opiniones, dum tàm vacillantibus divinationibus & incertis sententiis innituntur, multis negandi ipsum Deum occasionem præbuerunt. Quod cum multis aliis, quæ de hâc re dici possunt, abundè demonstrat, quàm periculosum sit, in hoc primo limine falli. *Quicunque per portam non ingrediuntur, fures & latrones sunt* existimandi. Cæterùm quàm necessaria & exoptabilis sit illa cognitio, quæ secum vitam æternam adducit, ostendit *Epictetus*, inquiens, ἴσθι ὅτι τὸ κυριώτατον &c. *Scito principium fundamentumque pietatis hoc esse, habere ὀρθὰς ὑπολήψεις*, i. e *rectas opiniones & apprehensiones de Deo.* Hoc igitur existimavi quasi primum postulatum primo loco affirmandum, quod (ut opinor) ampliore explanatione aut propugnaculo non eget, cum vix ulli dubium sit, sed potius omnibus confessum (& in iis, quæ extra controversiam sunt, breviter agam) quod *scil.* omnium rationi & conscientiis facilè commendabitur; ideoque ad secundam Thesin pro-

progediar, quæ licet non minùs vera sit, tamen Satanæ malitiâ & multorum ignorantiâ magis in dubitationem trahitur.

Thesis Secunda.

Cum nemo Patrem noverit nisi Filius, & cuicunque voluerit filius ipsum retegere; & cum revelatio Filii sit in, & per Spiritum; ideo testimonium Spiritus illud est, quo & hactenus revelata est, & nunc revelatur, & solummodo revelari potest vera cognitio Dei; qui sicut Spiritûs sui motu hujus mundi chaos ad præclarum illum & mirabilem ordinem, quô initio fuit, reduxit, hominemque animam vivam, qui eum gubernaret, ibique regnaret, creavit: Sic ejusdem Spiritûs revelatione se ipsum semper filiis hominum patefecit, Patriarchis nimirum, Prophetis, & Apostolis, quæ revelationes Dei per Spiritum, sive externis vocibus & apparitionibus, sivè somniis, sivè internis objectivis in corde manifestationibus, olim formale eorum fidei objectum fuere, & adhuc ita permanent: *quum objectum fidei sanctorum idem sit in omnibus seculis, licet sub diversis administrationibus exhibitum.* Porro divinæ revelationes internæ, quas ad fundandam veram fidem absolutè necessarias esse adstruimus, externo Scripturarum testimonio, aut sanæ rationi, ut nec contradicunt, ita nec unquam contradicere possunt. Non tamen indè sequitur, quod hæ revelationes divinæ ad externum Scripturarum testimonium, aut etiam ad rationem naturalem seu humanam, tanquam ad nobiliorem aut certiorem normam & amussim, examinari debeant. Nam divina revelatio & illuminatio interna est quiddam per se evidens & clarum, intellectum benè dispositum, propriâ evidentiâ & claritate, cogens ad assentiendum, atque insuperabiliter movens & flectens, non minus quàm principia communia veritatum naturalium

lium (cujusmodi sunt, *Totum est majus suâ parte*; *Duo contradictoria non possunt esse simul vera aut falsa*) movent flectuntque animum ad assensum naturalem.

I. VErisimile est, plerisque carnalibus & naturalibus Christianis Thesin hanc minùs probabilem videri posse, qui, cùm Spiritûs Dei motûs & operationis in cordibus suis prorsus ignari sint, eum nullo modo necessarium esse existimant; imò sunt, qui hoc ceu rem stolidam deridere audeant, quasi nemo id sibi vendicare sine contumeliâ possit. Scilicet eo usque plerique Christiani defecerunt & degenerârunt, licet nihil luculentius affirmatum, nihil gravius commendatum, nihil certius confirmatum in sacris Scripturis sit, tamen nihil minus expetatur, nec magis explodatur ab omnibus fere Christianorum sectis, quàm divina hæc & immediata revelatio. Olim Christiani haudquaquam existimabantur, nisi *qui Spiritum Christi habebant*, Rom 8:9. Sed hodie multi audacter se Christianos prædicant, qui facilè confitentur se hoc Spiritu carere, & è contra eos, qui Spiritum habent, derident. Olim *illi filii Dei existimabantur, qui Dei Spiritu acti erant*, ibid. vers. 14. Sed hodiè multi se filios Dei affirmant, qui nihil actionis hujus nôscunt; & qui hoc se agi affirmat, statim ab hujus seculi orthodoxis hæreticus pronunciatur; cujus rei ratio in promptu est. Complures enim, his diebus, Christiani nominantur, qui experientiâ sentiunt, quod Dei Spiritu nec ducantur nec agantur, imò multi (ut vulgò existimantur) præclari Doctores, Theologi, Pastores, nec non Episcopi Christianitatis, aures ab audiendo, & oculos suos à videndo internum hunc ductorem omninò occluserunt, sicque alieni ab illo facti sunt, ita ut propriâ experientiâ eò redigantur, vel ad confitendum, quòd adhuc ignari sint Dei, umbram tantùm cognitionis ejus, non autem veram cognitionem, habentes, vel ad affirmandum, quòd absque divinâ & immediatâ revelatione hæc scientia acquiratur.

Ad ampliorem igitur hujus propositionis expositionem, distinguimus inter *certam* cognitionem Dei, & *incertam*; inter *spiritualem* scientiam, & *literalem*; inter *salutiferam cordis* scientiam, & *inanem aëriamque cerebri* cognitionem; *hanc* plurimis modis acquiri posse confitemur, *illam* non nisi internâ & immediatâ manifestatione & revelatione divini Spiritûs, *lucentis in corde*, & *intellectum illuminantis*, consequi aliquem affirmamus.

II. Cùm igitur in animum induxerim his Thesibus ea proponere, quæ

ad

ad veram & efficacem cognitionem pertinent, eam ſcilicet quæ ad vitam æternam perducit, ideò verè affirmavi hanc non aliter acquiri; qui verò abſque hac immediatâ & internâ Divini ſpiritus revelatione cognitionem aliquam Dei conſequuti ſunt, ne putent quod veram adepti ſint.

Ea hujus propoſitionis certitudo eſt, ut ex omnibus ferè Chriſtianorum Sectis, quolibet ſeculo, exquiſitiſſimi & celeberrimi ejus veritatem confeſſi ſint. Qui cum ſinceri fuerint, & ardenter Dei cognitionem quæritarent (licet aliundè communis Sectæ ſuæ, & ſeculi, quo vivebant, cæcitate & erroribus circumſepti) verum tamen in illis ſemen divinus amor exaudivit, qui bonum ubique reſpicit, & inter omnes electos ſuos habet. Hi, cum omnes alios modos inefficaces probaverint, etiam ea principia & præcepta, quæ ſuis formis & ſocietatibus magis peculiaria fuerunt, denique unâ voce adjudicârunt nullam veram & certam Dei cognitionem eſſe, niſi eam, quæ intus revelatur Spiritu ejus.

„ 1. Auguſtinus ſcribit Tract. Epiſt. Joh. 3: *Interior ergo magiſter eſt* „ *qui docet, Chriſtus docet, inſpiratio ipſius docet, ubi illius inſpiratio, & illius* „ *unctio non eſt, foris ſecus ſmaniter perſtrepunt verba.* Et Poſt: *Ille au-* „ *tem, qui nos creavit & redemit, & vocavit per fidem, & per Spiritum* „ *ſuum habitans in nobis, niſi loquatur vobis intus, ſine cauſa nos perſtre-* „ *pimus.*

„ 2. Clemens Alexandrinus libro primo Stromatum. *Aliter dicit ali-* „ *quis de veritate, aliter veritas ſeipſam interpretatur; alterum eſt conjectura* „ *veritatis, alterum ipſa veritas; aliud ſimilitudo, aliud id ipſum quod eſt;* „ *& aliud quidem exercitatione & Diſciplina acquiritur, alterum vero po-* „ *tentia & fide; eſt enim donum doctrina pietatis, gratiæ vero fides.* Denique „ idem Clemens in pædago. *Neque verò eſt aditu difficilis veritas, neque* „ *eam apprehendere impoſſibile eſt, ſed eſt proxime in noſtris domibus, quem* „ *admodum ſapientiſſimus innuit Moſes.*

„ 3. Tertullianus libro de velandis virginibus. cap. 1. *Quale eſt enim* „ *ut diabolo ſemper operante, & adjiciente quotidiè ad iniquitatis ingenia,* „ *opus Dei aut ceſſaverit aut proficere deſiterit. Cum propterea paracletum* „ *miſerit Dominus, ut, quoniam humana mediocritas omnia ſemel capere* „ *non poterat, paulatim dirigeretur, & ordinaretur, & ad perfectum per-* „ *duceretur diſciplina ab illo vicario Domini Spiritu ſancto. Adhuc, inquit,* „ *multa habeo loqui vobis, ſed nondum poteſtis ea baiulare, cum veneris ille* „ *Spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem, & ſupervenientia* „ *renunciabit vobis, ſed & ſupra de hoc ejus opere pronunciavit. Qua eſt*

„ *ergo paracleti administratio, nisi hæc quod Disciplina dirigitur, quod* „ *Scripturæ revelantur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora pro-* „ *ficitur.*

„ 4. Hieronimus Epistola Paulin. 103. *Lex enim Spiritualis est, & opus* „ *est revelatione ut intelligatur.* Et in Epistola 150. ad Hedibiam, quæ- „ stione undecima asserit, *totam epistolam ad Romanos indigere interpre-* „ *tatione, atque in tantis obscuritatibus involutam esse, ut ad eam intelli-* „ *gendam indigeamus auxilio Sancti Spiritus, qui dictavit eandem Apostolo.*

„ 5. Athanasius de incarnatione verbi Dei. *Tanta quotidie salvator* „ *facit, trahens ad pietatem, persuadens ad virtutem, docens de immor-* „ *talitate, excitans ad desiderium cælestium, revelans* notitiam de patre, „ *vim contra mortem inspirans, unicuique ostendens seipsum.*

„ 6. Gregorius Magnus homilia xxx. super Evangel: ipse vos docebit „ omnia.] *Quia nisi idem Spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo do-* „ *ctoris: nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore dicentis intelligat:* „ *quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat.*

„ 7. Cyrillus Alexandrinus in thesauro lib. 13. cap. 3. planè affirmat, „ *homines cognoscere quod Iesus sit Dominus per Spiritum Sanctum, non* „ *alia ratione, quam qui mel gustarunt, cognoscunt quod sit dulce, scilicet* „ *per propriam ejus qualitatem.*

„ 8. Bernardus, in Psal. 84. Sermone. *Propterea incessanter hortamur* „ *vos fratres ut ambuletis vias cordis, & sit anima vestra in manibus vestris* „ *semper, ut audiatis quid loquatur in vobis Deus. Rursus de verbis Apo-* „ *stoli; Qui gloriatur, in Domino glorietur. Quo triplici vitio omne pau-* „ *lo minus religiosorum hominum genus periculose laborat, pro eo quod minus* „ *attente cordis aure percipiant, quid intus loquatur is, qui neminem palpat,* „ *Spiritu veritatis.* Hoc erat illud fundamentum, super quod primitivi Protestantes, & Reformatores præcipuè ædificabant. Luth. in lib. ad nobilitatem Germ. *Hoc certum sit quòd nemo potest se facere Sacræ Scripturæ doctorem, nisi solum Sanctus Spiritus &c.* Et super magnificat: *Nemo Deum rectè cognoscere potest, seu verbum Dei intelligere, nisi id immediatè recipiat à Sancto Spiritu, neque hoc quispiam recipit à Sancto Spiritu, nisi experientiâ inveniat in seipso, & in hac experientia Spiritus Sanctus docet, sicut in propriâ Schola, extra quam nihil discitur nisi mera garrulitas.*

„ Philip. Melanthon in Annot. super 6. Johan. *Qui vocem extern-* „ *nam & corpoream tantum audiunt, creaturam audiunt, & cum Deus Spi-* „ *ritus sit, neque cernitur neque cognoscitur, neque auditur nisi Spiritu; proin-*

„ *de*

„ *dè audire vocem Dei, cernere Deum & agnoscere, audire Spiritum, solo*
„ *Spiritu cognoscitur Deus & percipitur. Id quod etiam verè religiosi in*
„ *hunc usque diem agnoscunt, ii omnes nimirum, quibus superficies religio-*
„ *nis non satisfacit, neque eâ quasi pallio vel arte utuntur, sed se obnixè*
„ *Christianitati applicant, nec unquam requiescunt, donec efficacem ejus*
„ *operationem in cordibus suis sentiant, ipsos à peccato redimentem. Illi, in-*
„ *quam, agnoscunt, ad hoc producendum nihil aliud prævalere, nisi illam*
„ *scientiam, quæ à dulcibus & solatio plenis divini Spiritus in corde influ-*
„ *xibus in intellectum lucis ejus illuminationibus procedit*: de quo optimè
„ non ita pridem scripsit Smitheus Anglus Cantabrigiensis Doctor, in
„ Selectis sermonibus, de methodo veræ Dei scientiæ attingendæ, An-
„ glicè scriptis; ubi inter cætera sic dicit: *Theologiam nostram solum in*
„ *libris & scriptis quærere, est vivum inter mortuos quærere. Inaniter*
„ *quærimus in illis, ubi veritas ejus non tam inclusa quam sepulta est. Intra te*
„ *quære Deum, discernitur* νοερᾷ ἐπαφῇ *ut Plotinus ait, Intellectuali con-*
„ *tactu. Oportet nos oculis videre, auribus audire, & manibus contrectare*
„ *de verbo vitæ, ut Iohannis verbis utar* ὅτι τῆς ψυχῆς αἴθησις *&c. anima*
„ *ipsa sensus suos habet non secus atque corpus.* Et ideò David, cum docet,
„ quomodo oporteat divinam bonitatem cognoscere, ad sensationem
„ non ad speculationem nos vocat. *Gustate & videte Iehovam esse bo-*
„ *num.* Illa nec optima nec verissima Dei cognitio est, quæ cerebri la-
„ bore & sudore comparatur, sed ea, quæ inflammatur cælesti calore in
„ cordibus nostris. Et rursus idem author: Scientia veritatis est sicut in
„ Jesu est, ut in Christiana naturâ est, sicut est in dulci, miti, humili, &
„ amabili Spiritu Jesu; qui sese diffundit, quasi sol matutinus, in Spiritus
„ piorum plenus lumine & vitâ. Non multum prodest Christum ipsum
„ secundum carnem cognoscere: Sed Spiritum dat bono, qui profunda
„ Dei scrutatur. Tenuis & inanis scientia est, quæ merâ speculatione ac-
„ quiritur, quæ syllogismis & demonstrationibus introducitur; sed quæ
„ â verâ bonitate provenit; θεῖτερόν τι πάσης ἀποδείξεως, ut Origenes
„ loquitur, *divinum illud lumen animæ affert, quod luculentius est, &*
„ *magis manifestum omni demonstratione.*

III. Hanc igitur certam & indubitatam veræ scientiæ methodum in desuetudinem adduxisse, non ex minimis diaboli astutiis numerandum est, quibus genus humanum sibi suoque regno subjectum tenere sperat; Postquam enim lux & gloria Christianæ religionis jam prævaluisset in magna orbis parte, & tenebrosam illam Ethnicorum doctrinam fere totam

dissipasset, illico cognovit antiquus ille serpens, illo modo non amplius deludi mundum posse; tunc igitur hominem inflat falsâ Scientiâ veri Dei, stimulat illum Deum siniſtrè quærere, persuadetque subsistere in tali Dei scientiâ, quæ ex humana acquisitione est, non ex divinâ revelatione. Atque hic dolus magis successit, quod corrupto hominis Spiritui & naturæ apte accommodatus est, qui ante omnia seipsum exaltare affectat; in quâ sui ipsius exaltatione, ut â Deo maximè recedit, ita diabolo maximè placet, cui minimè curæ est quantum Deus ore agnoscitur, dummodo ipsemet opere colitur. Parum curat utut profundas speculationes naturalis homo de Deo habeat, dum concupiscentiis & passionibus suis obtemperat & malis suggestionibus, & tentationibus ejus inservit. Ita Christianitas quasi ars effecta est, quæ humanâ industriâ & labore acquiritur, veluti alia quælibet ars & scientia comparatur, & homines non solum sibimet ipsis assumpserunt nomen *Christianum*, sed & consequuti sunt, ut æstimarentur magistri Christianitatis, certis normis & artibus, licet â Spiritu & vitâ Jesu prorsus alieni sint. Sed si rectam & genuinam Christiani definitionem fecerimus, videlicet, *qui habet Spiritum Christi, eoque agitur*: quot Christianos imò quot magistros & doctores Christanitatis (ita vulgò existimatos) hoc nobili titulo, jurè merito spoliabimus? Si igitur illi, qui omnes alios sciendi modos habent, satisque in illis instructi sunt, sivè sit externa Scripturæ litera, sive ecclesiarum traditiones, opera creationis & providentiæ, & quæ ex iis, & sæpius deducunt, & deducere possunt indubitata argumenta (quæ ex se forsan verissima sunt) & tamen non Christiani existimandi secundum certam & infallibilem definitionem supradictam. Et si interna illa & immediata revelatio divini Spiritus in corde, eos, qui eam habent, verè Christianos denominat & efficit, licet plerumque illorum modorum ignari, multorum parum instructi sint; necessario & luculenter indè sequitur, quòd interna & immediata revelatio est solum illa certissima & indubitata veræ & salutiferæ cognitionis methodus. Sicut hoc argumentum fortissimè confirmat hunc sciendi modum, militatque contra denegantes, ita in hoc maximè notatu dignum est, quod ex propositionibus ita claris deducitur ut adversarii eas negare non valeant. Quod ad primam enim attinet, omnibus confessum est, quod multi docti viri damnati sint. Et ad secundam, quis neget, quod multi illiterati & salvantur & salvari possunt? Neque audet quis affirmare quod nemo ad scientiam Dei & salutem perveniat internâ revelatione Spiritus absque aliis illis externis modis, nisi etiam audeat â salute excludere Abelem, Seth,

Seth, Noah, Abraham, Jobum, cæterosque Sanctos Patriarchas.

IIII. Nolim tamen hic intelligi, quasi vellem omnes eos alios modos secundos homini vel etiam sanctis nullius esse usus, longè à me abest talis opinio, ut in sequente de Scripturâ Thesi apparebit. Non hic est quæstio de eo, quod utile est, sed de eo, quod est omninò necessarium; multa conducere possunt ad facilitandum opus, quod non præcipuum illud est, quô fiat.

Ex dictis hæc summa est, quod, ubi vera & interna Dei scientia est per revelationem Spiritus, ibi nihil deest quoad necessitatem absolutam. Sed ubi altissima & profundissima scientia est absque hâc, ibi nihil est, quod attingat magnum illum finem salutis. Hæc veritas clarissimè confirmatur priore ipsius Theseos parte, quæ paucis verbis luculenta quædam argumenta continet, quæ breviter subsumam.

Primò, *Quod nulla cognitio Patris sit, nisi per Filium.*
Secundò, *Quod nulla sit cognitio Filii, nisi per Spiritum.*
Tertiò, *Quod Spiritu Deus semetipsum semper revelavit.*
Quartò, *Quod hæ revelationes formale Sanctorum fidei Objectum fuerunt.*
Et Postremò, *Quod idem adhuc remanet Objectum fidei Sanctorum.*

De unoquoque horum quædam breviter dicam, & tunc ad postremam Theseos partem progrediar.

V. Quod ad primum attinet, nempè, *quod nulla sit cognitio Patris, nisi per Filium*, id facilè probabitur, quod planis Scripturæ verbis nitatur, ideoque aptum medium est, ex quo cæteras propositiones deducemus.

Nam infinitus ille & sapientissimus Deus, qui fons & radix & omnis operationis origo est, omnia operatus est æterno suo verbo & Filio. Hoc illud verbum est, quod initio erat apud Deum, & ipse Deus erat, per quod omnia facta sunt, & sine quo nihil factum, quod factum est, Joh. 1: 1, 2, 3. Hic ille Jesus Christus est, per quem Deus omnia creavit, ut Paulus ad Eph. 3: 9. per quem, & propter quem, omnia creata sunt in cælis & in terris, visibilia & invisibilia, sivè throni, sivè dominationes, sivè principatus, sivè potestates; & ideo primogenitus omnis creaturæ dictus est. Sicut igitur infinitus ille & incomprehensibilis motor & vitæ fons operatur in creaturis æterno suo verbo & virtute, ita nulla creatura rursus ad Deum accessum habet, nisi in, & per Filium, secundum ejus ipsa verba. Nemo

Patrem novit niſi Filius, & cui voluerit Filius retegere. Matth. 11: 27. Luc. 10: 22. Et rurſus ipſe ait, Ego ſum via, veritas, & vita, niſi per me nemo venit ad Patrem, Joh. 14: 6.

Hinc rectè appellatur mediator inter Deum & hominem: Nam cum fuerit cum Deo, ab ipſo principio, Deus ipſe exiſtens, & etiam, in tempore, particeps factus naturæ hominis, per illum bonitas & amor Dei emanat ad genus humanum, &, vice verſâ, homo per illum etiam accipit, & particeps fit divinæ miſericordiæ.

Ex dictis facilè deducitur hujus affirmationis probatio, hoc modo. Si nemo novit Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare, tunc nulla ſcientia Patris niſi per Filium. At illud eſt verum, Ergo & hoc. Prima Pars antecedentis ſunt ipſa Scripturæ verba. Conſequentia negari non poteſt, niſi affirmetur, cognitionem Patris eſſe, ubi Pater ignoratur, quod abſurdiſſima repugnantia erit.

Item, Si Filius eſt via & veritas & vita, & nemo venit ad Patrem niſi per illum, tunc nulla datur cognitio Patris niſi per Filium. Sed prius eſt verum; Ergo & poſterius. Antecedens ſunt ipſa Scripturæ verba. Conſequens luculenter apparet; quomodo enim poteſt quis rem aliquam ſcire, niſi utatur viâ, quâ ſolummodo noſcitur. Sed hactenus probatum eſt non eſſe aliam viam, niſi per Filium, qui hac igitur non utitur, illum nec poſſe, nec ad eum appropinquare poteſt.

VI. Poſito igitur hoc primo Poſtulato, ad ſecundum venio, *quod nulla ſit cognitio Filii niſi per Spiritum, ſeu quod revelatio Filii, in rebus Divinis, fiat per Spiritum.*

Obſervandum eſt, quod ſemper loquar de ſalutiferâ, certâ, & neceſſariâ Dei cognitione, quæ quod non acquiratur aliundè, niſi Spiritu, pluribus luculentis Scripturarum teſtimoniis etiam patebit. Nam Jeſus Chriſtus, in quo & per quem Pater revelatur, ſeipſum etiam revelat diſcipulis & amicis ſuis in, & per Spiritum. Sicut enim manifeſtatio ejus olim erat externa, dum in hoc orbe veritatem teſtatus eſt, ſeque fidelem in omnibus præſtitit. Nunc, quoad externum hominem remotus, docet, & inſtruit ſuos intus ſuo Spiritu. Eccè ſtat ad oſtium & pulſat, ſiquis audit vocem ejus & aperit, intrat ad illum, Apoc. 3: 20. De quâ revelatione Chriſti in ſe, Paulus loquitur ad Gal. 1: 15. In quâ excellentiam miniſterii ejus, & certitudinem vocationis ponit. Hoc etiam confirmatur promiſſione Chriſti ad diſcipulos: Eccè ego vobiscum ſum usque ad conſummationem ſeculi. Præſentia enim hæc eſt interna & Spiritualis, ut fatentur

omnes

omnes, ſed de hoc poſtea fuſius dicetur. Hujus propoſitionis probationem ex duobus Scripturæ teſtimoniis deducam. Primum extat, 1 Cor. 2: 11, 12. quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt nemo cognovit niſi Spiritus Dei. Non igitur Spiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis. Apoſtolus in prioribus verſibus ſcil. v. 9. &c. loquens de mirabilibus illis, quæ paravit Deus ſuis, poſtquàm declaravit quòd à naturali homine non comprehendantur, addit, verſu 10. quod revelantur per Spiritum Dei. Cujus dat hanc rationem, quoniam Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Deindè comparationem infert verſibus, quos antè citavimus, noſtro propoſito aptiſſimam, nimirum, quod, velut quæ ſunt hominis, non niſi hominis, vel humano Spiritu cognoſcuntur: id eſt, quod, veluti nihil inferius Spiritu rationali hominis (quaſi Spiritus brutorum aut aliarum creaturarum) poteſt proprie attingere, vel comprehendere quæ hominis ſunt, vel ad hominem pertinent, cum ſint nobilioris & ſublimioris naturæ; Ita nec poteſt Spiritus hominis, ſeu homo naturalis, ut verſu 14 ſubſumit, accipere nec diſcernere divina, & quæ Dei ſunt, cùm ſint etiam nobilioris & ſublimioris generis & naturæ. Cujus Apoſtolus ipſe dat cauſam, eodem 14 verſu, quia Spiritualiter examinantur. Ita ut Apoſtoli verba in argumentum reducta optimè probent, quod ſub lite eſt. Hoc modo.

Si, quæ propriè ad hominem pertinent, diſcernere vel cognoſcere nemo poteſt viliori ſeu minus nobiliori principio, quàm Spiritu hominis, ita nemo poteſt diſcernere vel cognoſcere quæ proprie ad Deum & Chriſtum pertinent viliori ſeu minus nobiliori principio, quàm Spiritu Dei & Chriſti. Sed prius eſt verum, Ergo & poſterius. Totum hoc argumentum in eo, quod ad noſtrum propoſitum eſt, ipſis Apoſtoli verbis continetur; ex quo igitur conceſſo aliud argumentum deducam.

Illud, quod Spirituale eſt, nec cognoſci nec diſcerni poteſt niſi Spiritu Dei. Sed revelatio Jeſu Chriſti, nec non vera & ſalutifera ejus cognitio Spiritualis eſt Ergò nec cognoſci nec diſcerni poteſt niſi Spiritu Dei.

Alterum teſtimonium eſt ejusdem Apoſtoli ſententia ad 1 Cor. 12: 3. Neque poteſt quispiam dicere quod Dominus ſit Jeſus, niſi per Spiritum Sanctum. Hoc Scripturæ veriſſimum teſtimonium, quod optimè reſpondet illuminato intellectui Spiritualis & realis Chriſtiani, mirum fortaſſe videbitur carnalibus illis, à quibus non ita diligenter obſervatum eſt. Hic enim Apoſtolus tantopere Sanctum Spiritum poſtulat in iis, quæ ad Chriſtianum

ſtianum ſpectant, ut poſitivè aſſerat, non poſſe quempiam affirmare Jeſum eſſe Dominum absque Spiritu. Hinc facilè colligitur, Spirituales Evangelii veritates eſſe quaſi mendacia in ore profanorum & carnalium hominum; licet enim in ſemetipſis veræ ſint, iis tamen non ſunt veræ, quod ſcilicet, nec manifeſtatæ ſunt, nec pronunciatæ per illud principium & Spiritum, quô animus dirigi deberet & moveri in talibus rebus. Nihil aliud igitur ſunt, niſi imaginaria repreſentatio rerum in comædiâ, nec verius dici poſſunt cognitio Dei vel Chriſti, quàm acta Alexandri & Julii Cæſaris, cum in theatro exhibentur, poſſint realia & vera eorum acta nominari, ſivè de hiſtrionibus illis dici poterit, quod reverà Aſiam ſubjugaverint vel Pompejum vicerint.

Hæc igitur Chriſti cognitio, quæ non fit per revelationem Spiritus ejus in corde, non magis propriè cognitio Chriſti exiſtimanda eſt, quàm loquacitas pſittaci, verba pauca, quæ dicit, pronunciantis, vox humana dicenda eſt; Nam ſicut illa vel alia avis edocta, rationalem ſententiam pronunciare poteſt, non â reali aliquo rationis principio illam animanti ita loqui: Sic illa ſcientia rerum divinarum eſt, quam naturalis aut carnalis homo collegit è verbis & ſcriptis hominum Spiritualium: illi minimè vera ſunt, quod naturali Spiritu concepta, & improprio organo producta ſint, non autem â Spirituali principio; ſicut verba, hominis arte acquiſita, & ore avis pronunciata, non â rationali principio procedentia, non vera ſunt, quoad avem pronunciantem. Ex hac igitur Scripturâ hoc addam argumentum. Si nemo poſſit dicere Jeſum eſſe Dominum niſi per Spiritum Sanctum, tunc nemo poteſt cognoſcere Jeſum eſſe Dominum niſi per Spiritum Sanctum. Sed verum eſt prius. Ergo & poſterius. Ex hoc argumento aliud deduci poteſt in ipſis poſitionis noſtræ terminis, hoc modo.

Si nemo poſſit cognoſcere Jeſum eſſe Dominum, niſi per Spiritum Sanctum; tunc nulla datur certa ejus cognitio vel revelatio, niſi per Spiritum Sanctum. Sed verum eſt prius, Ergo & poſterius.

VII. Tertiò affirmatum eſt, *quod Deus ſemetipſum ſemper per Spiritum Filiis hominum patefecit.*

Ut hujus poſitionis veritas appareat; conſiderandum eſt, quomodo ab initio Deus ſemetipſum manifeſtavit in creaturis ſuis, quod ſemper huc reſolvitur. Primus omnium progreſſus â Moyſe huic adſcribitur Gen. 1: 2. Et Spiritus Dei incubabat ſuperficiei aquarum. Puto neminem negaturum Dei cum homine communionem ab Adamo ad Moyſin fuiſſe per immediatam manifeſtationem Spiritus. Et poſtea, temporibus legis, non alio modo

modo Filios ſuos alloquutus eſt : quod, ſicut facilè ſequitur ex propoſitionibus antè probatis, ita negari non poteſt ab iis, qui Sacras literas Sancti Spiritus inſpiratione ſcriptas fatentur. Illæ enim Scripturæ à Moyſe ad Malachiam usque ſatis teſtantur, toto illo tempore, Deum ſemetipſum filiis ſuis interno Spiritu revelaſſe.

Sed ſi quis objiciat, *Poſt legis diſpenſationem methodum divinæ manifeſtationis fuiſſe mutatam.*

Reſpondeo. Primò, quod ſemper immediatè loquutus eſt Deus, quod immediatè loquutus eſt ſummo pontifici, qui, dum in Sanctum Sanctorum intraret, vocem & voluntatem Domini univerſo populo, immediatè receptam, referebat. Ita hæc immediata loquendi methodus nullâ ætate ceſſabat.

Secundò. Ab immediata hac communicatione nemo excludebatur, qui illam diligenter ſequutus eſt, & attendebat. Nam multi, præter pontificem ſummum, qui nec ex tribu Levi, nec ex familiâ prophetarum erant, hanc adepti ſunt; eâque pulſi loquebantur, ſicut ſcriptum eſt: Num. 11: 25. *ubi Spiritus dicitur reſediſſe ſuper ſeptuaginta ſeniores*, qui Spiritus etiam reſedit ſuper duos, qui non erant in tabernaculo, ſed in caſtris, quos cum quidam cohibere voluerint, noluit Moyſes, ſed gaviſus eſt, dicens, *utinam totus populus Iehovæ eſſent Prophetæ, indente Iehovâ Spiritum ſuum illis*, v. 29. Quod etiam confirmatum eſt: Neh. 9. ubi ſeniores populi poſt reditum â captivitate, cum inceperant ſeipſos ſanctificare jejunando & precibus, enumerando multas Jehovæ erga patres ſuos miſericordias, ajunt, v. 20. *Spiritum etiam tuum optimum dediſti ad intelligentiam tribuendum iis.* & v. 30. *Cumque protrahens erga eos annos multos conteſtatus eſſes eos Spiritu tuo per Prophetas tuos.* Multa ſunt hujusmodi dicta ſpiritualis Davidis, ſicut Pſal. 51: 13. *Ne abjicias me â facie tuâ, & Spiritum Sanctum tuum ne recipias â me.* Et Pſal. 139: 7. *Quò irem â Spiritu tuo, & quò â facie tuâ fugerem?* Hinc adſcribit Jeſchaja Teſtimonii ſui authoritatem, cap. 48 : v. 16. *Accedite ad me, audite iſtud, nunc enim Dominus Iehova mittit me & Spiritus ejus.* Quòd Deus ſemetipſum per Spiritum revelavit filiis ſuis in novo fœdere, videlicet Apoſtolis, & Evangeliſtis, fatentur omnes. Num hoc adhuc remaneat & expectandum ſit, poſteâ dicetur.

VIII. Quartò affirmatum eſt, *has revelationes fuiſſe olim formale objectum fidei Sanctorum*; quod facilè apparebit ex fidei definitione, & conſiderando, quid ſit ejus objectum adhuc. Ad hæc inveſtiganda nequaquam

curiosas & varias scholasticorum notiones scrutabimur, sed in planis & simplicibus Apostoli verbis sistemus, qui cap. 11. ad Heb. duplici modo fidem describit: *Est autem* (inquit) *fides sperandorum substantia, argumentum non apparentium*; quod, ut Apostolus eodem capite pluribus exemplis illustrat, nihil aliud est, nisi firma & certa persuasio animi, quâ requiescit, & sensu aliquo possidet sperandorum substantiam, confidentiâ, quam habet in Dei promissione. Et ita habet firmissimum argumentum rerum nondum apparentium. Hujus fidei objectum est *verbum, seu Testimonium Dei* animum alloquentis. Hinc frequenter affirmatum est, quod objectum fidei sit *Deus loquens*, quod abundè apparet in exemplis ab Apostolo adductis per totum illud caput: quoniam fides nulli externo testimonio, nec voci, sivè scripto humano, sed solummodo revelationi voluntatis Dei immediatæ & intus manifestatæ innixa fuit. Sicut in exemplo Noæ: v. 7. Fide Nohe *responso accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum, & justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus.* Quodnam erat hic objectum fidei ejus, nisi *Deus illum alloquens?* Nec habebat Scripturam, nec Prophetiam antecedentium, neque alicujus Ecclesiæ, sive populi consensus ad confirmandum eum; fides tamen ejus in *hoc verbum, quo* universo mundo contradixit, & ipsum, & domum ipsius salvavit. Cujus rei etiam Abraham insigne exemplum exhibetur, *unde & pater fidelium* vocatus est, qui *contra spem in spem credidisse* dicitur: in eo quod non solum patriam libenter deseruit, quò iturus erat nesciens: quod credidit de nativitate Isaaci contra omnem probabilitatem humanam: imò quod non recusavit offerre Isaacum, nihil dubitans, quia & â mortuis suscitare potens est Deus, qui dixerat, in Isaaco vocabitur tibi semen: Et denique, quod in promissione requievit contentus esse ipse peregrinus in terrâ, quam per fidem credebat semen ejus possessurum non nisi post multa secula. *In his omnibus ejus fidei objectum nil aliud erat, nisi interna & immediata divinæ voluntatis revelatio, intus & immediate per Spiritum significatæ.* Sed quoniam in hâc propositionis parte mentionem alternativè fecimus, externarum vocum, somniorum, & apparitionum, videtur hoc loco aliquantulum dici debere de eo, quod eorum respectu objici potest, quasi, qui nunc fidem suam immediatæ & objectivæ revelationi inniti volunt, deberent etiam confirmandi gratiâ externas voces, visiones, somnia, & id genus alia habere. Revera minimè negandum est, Deum aliquando angelorum ministerio usum fuisse, qui humanâ figurâ olim

olim quosdam Sanctos alloquuti sunt; quin imo Deus illis quædam in somniis & nocturnis apparitionibus revelavit, quorum nulla nunc omninò cessasse affirmare audemus, divinam potentiam & libertatem limitando, in seipsum, erga liberos suos, manifestando. Sed, dum objectum fidei consideramus, non, quod circumstantialiter & accidentaliter, sed quod universaliter & substantialiter ita est, animadvertendum est. Præterea distinguendum est inter illud, quod dubitationi & delusioni obvium, ideoque alterius causa recipitur, & inter illud, quod nulli dubitationi obvium suâ propriâ causâ creditur, quasi prima, principalis & radicalis veritas. Deindè consideremus, in quantum & quomodo externæ illæ voces, & apparitiones, & somnia Sanctorum fidei objectum fuere. Tum observabimus quod quidem *objectum formale quod*, non *quo fuere*, i. e. *erant illud, quod credebatur, sed non formalis causa credendi*; illa, non illis, igitur credebant. Nec fuerunt illi ignari, quod diabolus possit externum verborum sonum formare, & ad naturalem aurem adducere: facillimè potest externos sensus deludere fictitiâ apparitione rerum, quæ realiter non sunt. Nonne experientiâ quotidiè videmus, gesticulatores præstigiis & illusionibus suis idem facere? absit, ut fides Sanctorum tam fallaci fundamento innitatur, quam sunt externi & fallibiles exterioris hominis sensus: Quâ causâ igitur credebant illi ea externa objecta, nisi quod secretum in cordibus eorum Spiritus Testimonium persuadebat eis, voces & visiones esse realiter ex Deo: non existimandum est fidem ipsorum hoc loco externis sensibus fuisse subjectam, sed secreto divini Spiritus testimonio. Oportet igitur fateri, hoc esse Sanctorum fidei objectum principale & originale, quod sine *hoc* nulla certa & firma fides esse potest. Et sæpè *hoc uno* fides & producitur & nutritur absque externis illis & visibilibus supplementis, ut in permultis sacrarum literarum exemplis apparet: ubi solum dicitur, & loquutus est Dominus, & verbum Domini tali factum est: &c. Sed siquis pertinaciter affirmaret his locis externam vocem inferri, libenter audirem quidnam ad hoc confirmandum, præter meram conjecturam, proferre quis possit. Dicitur enim *quod Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro*, non externis auribus, ad Rom. 8: 16. & cum *Spiritus Dei sit in nobis*, non extra nos, v. 9. aurem non corporalem, sed Spiritualem alloquitur. Igitur quando in Scripturâ dicitur, Spiritum Dei movere, prohibere, vocare, & alloqui homines, non video, quare affirmari potest hanc vocem Spiritualem aurem non alloqui, sed corporalem. Si qui ita sentiant, producant argumenta sua, & examinabuntur.

Ex omnibus igitur ſupra dictis unum argumentum producam, ad hujus poſitionis probationem concludendam.

Illud, cui aliquis credit, veluti ſpei ejus in Deo & vitæ æternæ fundamento & baſi, eſt *formale ejus fidei objectum.* Sed interna & immediata revelatio Spiritus Dei, intus Sanctos alloquentis, erat eorum in Deo ſpei & vitæ æternæ baſis & fundamentum: Ergo, interna & immediata revelatio *formale eorum fidei objectum fuit.*

IX. Quod nunc ſub litem venit illud eſt, quod poſtremò loco affirmavimus, ſcil. *idem permanere & eſſe Sanctorum fidei objectum in hunc uſque diem.* Multi hucuſque verbis noſtris concedunt, qui hic vacillant. Fortiſſimum tamen argumentum, hanc veritatem confirmans, ipſa Theſi includitur, viz, *Sanctorum fidei objectum ſemper idem eſſe, licet ſub diverſis adminiſtrationibus exhibitum.* Quod ad argumentum reducam, & primo loco probabo, hoc modo.

Si fides una eſt, unum etiam eſt fidei objectum. Sed fides una eſt. Ergo. Quod fides una ſit ipſa Apoſtoli verba probant ad Ephes 4. v. 5. *unus Dominus, una fides,* &c. Ibi Apoſtolus unam fidem, & unum Dominum ſimul collocat; quod infert plures fides, & plures Dominos eſſe æquè abſurdum. Sed præterea. Si fides Patrum non eſſet nobis communis, & eadem, & eidem definitioni conveniens, inconvenienter Apoſtolus cap. 11. ad Heb. noſtræ fidei definitionem eorum exemplis illuſtraviſſet. Quò, quæſo, moveret nos Abrahæ exemplo? Si diverſa à noſtrâ ejus fides fuiſſet? Neque indè ulla differentia oritur, quod illi in Chriſtum crediderunt, reſpicientes externam ejus manifeſtationem, quaſi futuram, & nos, ut præteritam. Nam neque illi ita credebant in adventum ejus futurum, ut non ſentirent illum præſentem, eosque comitantem. Nam teſtatur Apoſtolus, quod omnes *eundem potum Spiritualem biberint, bibebant enim de Spirituali conſequente eos Petrâ, Petra autem erat Chriſtus.* Neque nos in præteritum ita credimus, ut non ſentiamus illum nobiscum præſentem, & nos nutrientem. Nam *Chriſtus Ieſus in nobis eſt, niſi forte reprobi ſumus:* ita amborum fides una eſt, in unum idemque terminans. Quod attinet ad antecedentis conſequentiam, videlicet; *Si fides una eſt, unum eſt etiam fidei objectum:* hanc etiam probat Apoſtolus, capite ante citato, ad Heb. 11. In quo fideles illos patres nobis ad exempla proponit. Quorſum enim exempla ſunt, niſi quod in Deum crediderunt? Quodnam erat fidei illorum objectum, *niſi interna & immediata revelatio,* ut antè probavimus? Eorum exempla nobis nullo modo imitabilia erunt, niſi crediderimus

Deo

Deo, ſicut & illi. i. e. *per idem objectum*; quod ſuo exemplo amplius illuſtrat Apoſtolus ad Gal. 1: 16. *aſſerens, quod, cum Deus revelaſſet filium ſuum in ipſo, non acquieverit carni & ſanguini*; ſed continuò crediderit & obedíverit. Idem Apoſtolus ad Heb. 13. dum hortatur Hebræos, *ſeniorum fidem ſequi*, addit hanc cauſam, v. 7. *intuentes exitum converſationis*; *Ieſus Chriſtus heri & hodie ipſe & in ſecula*; quo luculenter ſignificat, in objecto nullam eſſe varietatem. *Siquis adminiſtrationum objiciat diverſitatem.* Reſpondeo, hoc nullo modo objectum mutat, nam idem Apoſtolus, ubi ter hanc varietatem nominat, 1. Cor. 12: 4, 5, 6. ad idem objectum ſemper recurrit. *Sic idem Spiritus, idem Dominus, idem Deus.* Præterea, *niſi idem, & nobis, & illis, erit fidei objectum, tunc Deus aliquo alio modo cognoſceretur quam Spiritu*, ſed hoc abſurdum, Ergo. Denique hæc conſequentia ex communi & recepto ſcholaſticorum axiomate firmiſſimè probatur, nempè, *omnis actus ſpecificatur ab objecto*, ex quo, ſi verum eſt, quod illi fatentur (licet ad hoc argumentum, quod nimis curioſum & ſcholaſticum ſit, multorum cauſâ non recurram, nec multi ponderis talia faciam, quod ſimplicitatem Evangelii minimè commendent) *ſi objectum eſſet diverſum, tunc etiam fides diverſa foret.* Qui hodie hanc propoſitionem negant, hic diſtinctione utuntur, concedentes Deum non niſi Spiritu cognoſci; ſed negantes hanc cognitionem eſſe immediatam, aut internam, ſed ſolum per Scripturas, in quibus (ut ajunt) cum Dei voluntas copiosè & luculenter expreſſa ſit, & in illis Deus noſcatur, & nos in omnibus ducendi ſimus. Quod ad hujus propoſitionis negationem, ſcil. *quod Scriptura non ſufficit, neque unquam pro adæquatâ & unicâ regulâ ordinata fuit, neque unumquemque poſſit in omnibus neceſſariis regere*, ſequente theſi tractabitur. Hoc loco probandum eſt, *Chriſtianos etiam his temporibus, non minus quam olim, intus & immediate, â Spiritu duci, eodem modo, licet fortaſſe non prorſus eâdem menſurâ.*

X. Hoc quibuſdam argumentis evincam, & primò, â Chriſti promiſſione, his verbis, Johan. 14: 16. *& ego rogabo patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum*: & v. 17. *Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia eum non videt, nec ſcit eum: vos autem eum cognoſcitis, quia apud vos manebit, & in vobis erit*, & v. 20. *Paracletus autem Sanctus Spiritus, quem mittit pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Et cap. 16: 13. *Cum autem venerit Spiritus ille veritatis, in-*

ducet vos in omnem veritatem, non enim loquetur à ſeipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura ſunt, annunciabit vobis. Primo oſtenditur, quis hic ſit, & hoc diversè exprimitur, ſcil. *Paracletus, Spiritus veritatis, Spiritus Sanctus miſſus à patre in nomine Chriſti.* Quod ſatis redarguit Socinianorum incogitantiam, & aliorum Chriſtianorum carnalium, qui nec cognoſcunt, nec fatentur internum aliquem Spiritum, ſivè virtutem, præter meram naturalem: quo abundè declarant, ſe ex mundo eſſe, qui non poſſunt accipere, qui nec vident illum, nec ſciunt. Secundò, ubi ſit hic Spiritus, *apud vos manebit, & in vobis erit.* Et tertiò, quid ſit opus ejus, *docebit vos omnia, ſuggeret vobis omnia, ducet vos in omnem veritatem,* ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν ἀλήθειαν. Quod ad primum, plerique fatentur, nihil aliud intelligi, quàm quod ipſis planis verbis exprimitur. Hoc etiam apparet pluribus aliis Scripturæ locis, qui poſtea occurrent, nec video, quomodo, qui contrarium affirmant, blaſphemiam evitare poſſint: nam ſi *Paracletus, & Spiritus Sanctus* idem eſt, ac *Scriptura*, tunc ſequeretur, quod *Scriptura* eſſet *Deus*, cum verum ſit, *Spiritum Sanctum* eſſe *Deum.* Tali ratiocinatione ubicunq; nominatur *Spiritus*, ibi propriè dici poterit *Scriptura*: quo, quale irrationale monſtrum Chriſtiana Religio fieret, omnibus patebit. Exempli gratiâ, ubi dicitur, *manifeſtatio Spiritus unicuiq; datur ad utilitatem*, dici poterit, manifeſtatio *Scripturæ* unicuique datur ad utilitatem: quàm notanda interpretatio hæc foret, ejusdem capitis ſequelâ conſideremus, verſu 9: 10, 11. *alii gratia ſanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum* &c. Hæc autem *omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis, prout vult.* Quid nunc magni illi Sociniani magiſtri exiſtimarent, ſi hìc *Scripturam* pro *Spiritu* poneremus? Num illorum rationi, quàm maximam fidei regulam & ductorem putant, reſponderent? Num bona & ſana ratio eorum logicis ſcholis apparebit affirmare, quod *Scriptura* dividat ſingulis prout vult, dat quibusdam gratiam ſanandi, operationem virtutum, ſivè miraculorum. Si igitur hic Spiritus, cujus manifeſtatio unicuique datur ad utilitatem, nil aliud quàm ipſe Spiritus veritatis habendus ſit, qui in omnem veritatem ducit: non poteſt hic *Spiritus* eſſe *Scriptura.* Extructâ hâc opinione poſſem multò plura abſurda inferre; ſed hoc ſufficiat. Nam & ii ipſi aliquando ſuæ opinionis vel obliti, vel pudentes, Spiritum Dei ductorem ſanctorum à Scripturâ quid diſtinctum fatentur. Secundò, *quod Spiritus hic ſit internus*, meò quidem judicio, nec longâ interpretatione, nec commentario eget. *Apud vos manebit, & in vobis erit*; hæc inhabitatio Spiritus in Sanctis, ut eſt, & cognitu, & creditu neceſſaria,

ſic

ſic nihil luculentius Sacræ literæ declarant. *Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis*, ait Apoſtolus ad Rom. 8: 9. & rurſus 1 Cor. 3: 16. *Neſcitis quod templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* absque hoc Apoſtolus neminem Chriſtianum agnoſcit: *ſi quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Hæc verba immediate ſequuntur, quæ antea ex Epiſtola ad Romanos citavimus, *vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus Dei habitet in vobis.* Contextus demonſtrat Apoſtolum hoc præcipuum Chriſtiani argumentum exiſtimare, & poſitivè & negativè. Nam in prioribus verſibus declarat, quo modo *ſapientia carnis inimica ſit Deo, & qui in carne ſunt, illi placere non poſſint*; tunc ſubſumens addit (de Chriſtianis Romanis) *vos autem in carne non eſtis, ſi Spiritus Dei habitat in vobis.* Quid hoc igitur ſibi vult? niſi, quod, in quibus habitat Spiritus, non ſunt in carne, nec ex iis, qui Deo non placent, ſed realiter Chriſtiani facti ſunt? rurſus ſequente verſu negativè concludit, *ſi quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* i. e. *non eſt Chriſtianus.* Qui ergò fatetur, ſe ignarum & peregrinum interni hujus Spiritus inhabitationis, etiam ſe fatetur adhuc eſſe in ſapientiâ carnis, quæ inimica Deo eſt, in carne, ubi Deo non placet. Et (ut verbo dicam) quodcunque aliunde cognoſcit, aut credit de Chriſto, & qualiscunque ſit ejus ſcientia in externis ſcripturæ literis, nondum ad minimum Chriſtianitatis gradum adeptus eſt, imò Chriſtianam religionem ne vel primo limine adhuc ſalutavit. Adime & remove Spiritum, & Chriſtianitas non magis Chriſtianitas exiſtimanda eſt, quàm hominis cadaver, cum animam & Spiritum efflaverit, quod cadaver, licet ſanctiſſimi & honorificentiſſimi viri ſit, vivi tamen è medio removent, & quaſi putrefactum, & fœdum operiunt. Denique, quodcunque excellens eſt, quodcunque nobile, quodcunque dignum, quodcunque expetendum in fide Chriſtiana, huic Spiritui adſcribitur, ſine quo non magis ſubſiſtere poterit, quàm mundus viſibilis absque ſole. Huic omnes Chriſtiani, omni Seculo, vim virtutemque ſuam attribuerunt. Hoc Spiritu ad Deum converſi ſunt, hoc à mundo redempti, hoc in imbecillitatibus corroborati, in afflictionibus ſolatio affecti, in tentationibus confirmati, in paſſionibus intrepidi remanſere, & in mediis perſecutionibus triumpharunt. Quidni, omnium verorum Chriſtianorum ſcripta hujus Spiritus laudes declarant, elogia reſonant, & præconiis abundant, & magnalia illa prædicant, quæ hujus Spiritus ope, vi, & virtute fecerunt? *Spiritus eſt, qui vivificat.* Joh. 6: 63. *Spiritus dedit illis eloqui.* Act. 2: 4. *Spiritus erat, quo loquebatur Stephanus, cui reſiſtere non poterant*

Judæi,

Iudæi, Act. 6: 10. *Iis eſt, qui ſecundum ſpiritum ambulant, quibus eſt nulla condemnatio ad* Rom. 8: 1. *Lex enim ſpiritus liberat* v. 2. *ſpiritu inhabitante liberamur à carne & ſapientia ejus* v. 9. *ſpiritu facta carnis mortificamus & vivimus.* v. 13. *Hoc ſpiritu adoptionem accepimus, & clamamus, Abba Pater.* v. 15. *Ipſe enim hic ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei.* v. 16. *Hic ſpiritus adjuvat infirmitatem noſtram, & poſtulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus*: v. 26. *Per hunc ſpiritum revelavit nobis Deus mirabilia parata nobis, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt.* 1 Cor. 2: 10. *Hoc ſpiritu & ſapientia, & ſcientia, & fides, & virtutes, & linguæ, & Prophetiæ acquiruntur*, 1 Cor. 12: 8, 9, 10 *hoc ſpiritu omnes in unum corpus baptizati ſumus*, 13. Denique quid illud eſt, ad Sanctos pertinens, animam ſpectans, vel ad vitam æternam conducens, quod absque hoc Spiritu recte agitur, vel realiter obtinetur? Et quid adhuc dicam? Deficiet enim mihi tempus enarranti, & quæ pii olim viri declararunt, & Sancti hodiè poſſident, hujus inhabitantis Spiritus vi & virtute.

Certè mihi charta deerit, ſi infinita illa teſtimonia, quæ hanc veritatem confirmant, tranſcriberem, & ex Sanctis Patribus, & ex priſtinis uniuscujusque Chriſtianorum profeſſionis generis ſcriptis. Igitur præter ea, quæ antea ex Patribus, quos omnes æquè venerantur, & quæ ex Luthero & Melanthone citavi, unum ſingulare teſtimonium ex Calvino adducam: quoniam doctrinæ ejus ſequutores non pauci (ſicut timendum eſt ſentiant) ita hujus Spiritus inhabitationis viam, quaſi incertam & periculoſam, recuſant & derident; ut, ſi non Scripturæ teſtimoniis aliorumque dictis, nec rectâ ratione, ſaltem præceptoris ſui verbis arguantur. Inſt. lib. 3. cap. 2. Calvinus: „ *Atqui temerariæ præſumptionis eſſe eauſantur indubitatam voluntatis divinæ notitiam ſibi arrogare: ſed quidem illis concederem, ſi tantum nobis ſumeremus, ut ingenii noſtri temeritati ſubjicere vellemus incomprehenſibile Dei conſilium. Sed ubi ſimpliciter cum Paulo dicimus, nos accepiſſe non ſpiritum hujus mundi, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, quo docente ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Quid contra obgannire poſſunt, quin ſpiritum Dei contumelioſe inceſſant? quod ſi ab ipſo profectam revelationem vel mendacii, vel incertitudinis, vel ambiguitatis inſimulare, horrendum eſt ſacrilegium? in aſſerendâ certitudine quid delinquimus? Verum hoc quoque non vacare magna temeritate exclamant, quod de Chriſti ſpiritu ſic audemus gloriari. Quis credat tantum eſſe iſtorum ſtuporem, qui orbis magiſtri volunt haberi, ut in primis*

„ *Reli-*

„ *Religionis elementis adeò turpiter impingant? Mihi certè credibile non*
„ *esset, nisi testarentur, quæ extant, eorum scripta: Paulus eos demum filios*
„ *Dei pronunciat, qui eius Spiritu aguntur; hi agi proprio Spiritu, divino*
„ *autem vacuos esse volunt, qui sint filii Dei. Ille Deum à nobis Patrem*
„ *appellari docet, Spiritu talem vocem dictante, qui solus testimonium red-*
„ *dere potest spiritui nostro, quod filii Dei sumus; hi, tametsi à Dei in-*
„ *vocatione non arcent, Spiritum tamen abstrahunt, cujus ductu rite invo-*
„ *candus erat. Ille Christi servos esse negat, qui non aguntur Spiritu Christi:*
„ *hi Christianismum confingunt Spiritu Christi non indigentem. Ille nul-*
„ *lam beatæ resurrectionis spem facit, nisi Spiritum in nobis residentem sen-*
„ *tiamus; hi spem tali sensu vacuam confingunt. Sed respondebunt forsan,*
„ *non se inficiari, quin illo præditos esse oporteat, cæterum modestiæ & hu-*
„ *militatis esse, non agnoscere. Quid ergò sibi vult, quum jubeat Corin-*
„ *thios tentare, an sint in fide, semet probare, an Christum habeant, quem*
„ *nisi quis in se habitantem agnoscat, reprobus est? Ex Spiritu autem,*
„ *quem dedit nobis, inquit Iohannes, scimus, quod in nobis manet: & quid*
„ *aliud, quàm Christi promissiones in dubium revocamus, dum servi Dei sine*
„ *ipsius Spiritu haberi volumus, quem super suos omnes effusurum se denun-*
„ *ciavit? Quid, quo Spiritui Sancto injurii sumus, qui fidem, opus ejus*
„ *peculiare, ab ipso separamus? Hæc cum prima sunt pietatis tyrocinia,*
„ *miserrimæ est [illegible]citatis, arrogantiæ notari Christianos, qui Spiritus Sancti*
„ *præsentia gloriari ausint; sine quâ gloriatione Christianismus ipse non con-*
„ *stat. Sed ex[illegible] exemplo suo declarant, quàm verè dixerit Christus Spiri-*
„ *tum suum mundo incognitum esse, ab ipsis modò agnosci, apud quos ma-*
„ *net. Huc usque Calvinus.*

Si igitur ita est, quare sunt aliqui adeò stolidi, ut negent, & tàm insipientes, ut non quærant hunc Spiritum, quem Christus suis inhabitaturum promisit? Qui igitur volunt Spiritum inhabitantem, & ducentem Christianos cessasse, oportet Christianam Religionem (quæ sine Spiritu subsistere non potest) etiam cessasse affirment.

Tertiò ostenditur, quodnam sit Spiritus opus, quod ex parte antea demonstratur, & à Christo duobus comprehenditur, *in omnem veritatem adducet vos, omnia docebit vos, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixi vobis.* Cum Christus hunc optimum nobis præceptorem paravit, quid opus est tot traditionibus, & præceptis hominum, quibus se permulti Christiani onerarunt? Quid opus exaltandi corruptam & carnalem rationem nostram, quasi ductorem nobis in rebus Spiritualibus, ut quidam faciunt?

Nonne de talibus jure merito conqueri poteſt Dominus, ſicut olim de Iſraële per Jeremiam Prophetam? Jer. 2: 13. *Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt, fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas fractas, quæ continere non valent aquas.* Nonne multi dereliquerunt, nonne deridunt, & rejiciunt internum hunc, & immediatum ductorem, Spiritum hunc, qui in omnem veritatem ducit, & foderunt ſibi alias vias, fractas revera vias, quibus nec â carne, nec â mundo adhuc liberati ſunt; nec ex dominio paſſionum ſuarum, & iniquarum affectionum educti ſunt? Quo fit, ut veritas non rectè diſcatur, ſed adhuc in terris peregrinetur.

Ex omnibus igitur *de hac promiſſione* dictis ſequitur, *quòd Chriſtiani ſemper ducendi ſunt interno & immediato Dei Spiritu, inhabitante in illis*; & hoc idem eſſe ſtatutum perpetuum, & univerſæ Eccleſiæ, & ſingulis individuis membris ejus, ut hoc argumento apparet. *Promiſſa Chriſti ſuis imò & amen ſunt. Fallere non poſſunt, ſed neceſſariò præſtantur.* At Chriſtus promiſit, quòd *Paracletus, Sanctus Spiritus, Spiritus veritatis ſemper manebit cum ſuis, habitabit in illis, erit in illis, ducet illos in omnem veritatem, docebit illos omnia, ſuggeret illis omnia*; Ergo. Et iterum, *Nemo â Spiritu carnis (quæ Dei inimica, legi ejus contraria eſt) redimitur; nemo autem eſt in Spiritu, ſed in carne, ubi Deo non placet, niſi ille, in quo Spiritus Dei habitat*; Sed *omnis verus Chriſtianus ex parte aliquâ redemptus eſt â ſapientiâ carnis, Dei legi ſubjecti, & non in carne, ſed in Spiritu eſt, ubi Deo placet*: Ergo, *omnis verus Chriſtianus habet Spiritum Dei habitantem in ſe.* Et iterum. *Qui non habet Spiritum Chriſti, is non eſt i.e. ejus, non eſt filius, non eſt amicus, non eſt diſcipulus Chriſti*: Sed *contra omnis verus Chriſtianus eſt filius, amicus, eſt diſcipulus Chriſti.* Ergo, *omnis verus Chriſtianus habet Spiritum Chriſti.* Præterea. *Quicunque eſt templum Sancti Spiritus, in illo Spiritus Dei habitat & manet*; Sed *omnis verus Chriſtianus eſt templum Dei*; Ergo, *in illo Spiritus Dei habitat*; Et, ut finem faciam, *in quocunque Spiritus Dei habitat, non eſt in illo quid pigrum, imutile, inane, ſed movet, actuat, ducit, gubernat, inſtruit, docet illum quæcunque ſunt cognitu neceſſaria*; Sed *Spiritus Dei habitat in unoquoque vero Chriſtiano*: Ergo, *movet, inſtruit, docet unumquemque verum Chriſtianum, quæ illi cognitu neceſſaria ſunt.*

XI. Sed ſunt, qui fatentur Spiritum hodiè afflare, & ducere ſanctos: Sed hoc eſſe *ſubjectivè*, & *eâ modo*, non autem *objectivè* affirmant, i. e. *ex parte ſubjecti* illuminando intellectum ad credendam veritatem in Scripturâ declaratam, ſed non præſentando eam veritatem *objectivè*, ſive tan-

tanquam *objectum*: & hoc *medium incognitum assentiendi* vocant, id est, cujus homo nec *certus*, nec *sensibilis* est. Hæc opinio, licet priore magis tolerabilis, non tamen veritatem attingit: Primò, quia multæ veritates sunt, quæ, ut singulos respiciunt, in Scripturâ non omninò inveniuntur, ut sequente thesi ostendetur. Deindè argumenta antè adducta non solum probant Spiritum auxiliari nobis credere veritates aliundè datas, sed etiam *objectivè* veritates animis nostris *objicere*; *Spiritus enim in eum finem nobis datus est, ut nos omnia doceret*; non enim dicitur, *docebit vos intelligere ea, quæ scripta sunt, sed docebit vos omnia.* Præterea oportet, ut *illud, quod mihi omnia suggerit, mihi objectivè præsentet ea; alioqui improprie diceretur suggerere: quia non suggereret, sed solummodo juvaret nos, quæ objiciuntur aliundè, memorare.* Secundum meum argumentum deducetur *ex naturâ novi fœderis*, quo & sequentibus probabo, quòd Spiritu non solum *immediate*, sed etiam *objectivè* ducendi simus. Novi fœderis natura pluribus Scripturæ locis exprimitur, & primò; *Isa.* 59:21. *Hoc erit fœdus meum cum istis, ait Iehova. Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, aut ex ore seminis tui, ait Iehova, ex hoc tempore usque in seculum.* Hujus sententiæ posteriore parte satis significatur hujus pacti perpetuitas & continuatio, *non recedet*, inquit Jehova, *ex hoc tempore usque in seculum.* In priore parte est ipsum fœdus, scil. *Spiritus Dei erit in illis, verba Dei in ore eorum.* Primò hoc fit immediatè, nulla fit mentio alicujus medii: non ait, *mediantibus talibus scriptis & libris*, verba mea vobis suggeram; sed *verba mea, quæ ego Iehova ponam in ore vestro.* Secundò, hoc est *objectivè*, verba enim sunt *objectum* ab illo propositum: non ait, illuminabo intellectum vestrum ad intelligenda verba, quæ videbitis scripta, ut assentiamini solummodo iis, sed *positivè*, *verba mea, quæ posui in ore tuo.* Ex his igitur sic argumentor.

In quocunque Spiritus Dei est, semper in ore ejus verba ponens, illum Spiritus docet immediatè, objectivè, & perpetuò. Sed Spiritus Dei semper est in semine justorum, & ponit in ore eorum verba, nec unquam recedit. Ergo, *Spiritus docet eos immediatè, objectivè, & perpetuò.*

Secundo, novi fœderis naturam adhuc fusiùs & luculentius declarat Jeremias cap. 31:33. *quod rursus repetit Apostolus ad* Hebr. 8:10. *Nam hoc illud est fœdus, quod pangam cum domo Israelis post dies hos, dicit Iehova, indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inscribam eam, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus, non autem docebunt amplius quis-*

que amicum ſuum, & quisque fratrem ſuum, dicendo; Cognoſcite Iehovam, nam quotquot erunt, cognoſcent me à minimo eorum uſque ad maximum eorum, dicit Iehova.

Objectum hîc, nempe *lex Dei in corde poſita eſt, & in mente ſcriptâ, & ex hoc fiunt populus Dei, & cognoſcere eum diſcunt.* In hoc diſtinguitur Lex ab Euangelio: Lex olim fuit *externa lapideis tabulis* inſcripta; ſed nunc *interna, cordi inſita.* Olim ſcientia populi ex Sacerdotibus pendebat; ſed nunc omnes certam & indubitatam habent in ſemetipſis Dei cognitionem; de quo Auguſtinus optimè agit in libro de literâ & Spiritu; â quo Aquinas primus omnium videtur occaſionem accepiſſe movendi hanc quæſtionem, utrum *lex nova* ſit *lex ſcripta*, vel *lex indita*: quam ita reſolvit, *quod lex nova, ſive Evangelium, non propriè ſit lex ſcripta, ſicut antiqua erat, ſed lex indita; & quod antiqua lex ſit foris ſcripta, nova verò intus ſcripta in tabulis cordis.* Quantum igitur hallucinantur illi, qui non ſolum Evangelium non præſtantius lege, opinione ſuâ, faciunt, ſed eorum, qui ſub Evangelio ſunt, conditionem multò deteriorem efficiunt. Nam (procul dubio) melius eſt, & optabilius Dei immediatâ communione frui, quam mediatâ, illa enim eſt diſpenſatio multò ſublimior; & tamen iſti fatentur, complures ſub lege hanc immediatam communionem habuiſſe, quam nunc ceſſaſſe clamitant. Præterea, ſub lege fuit Sanctum Sanctorum, ad quod ingrediebatur ſummus Pontifex, & verbum Domini immediatè recipiebat, ita ut populus certam Dei voluntatem cognoſcere poſſet: Sed hodiè, ſecundum adverſariorum opinionem, in deteriore prorſus conditione ſumus, qui nihil habemus, niſi externam Scripturæ literam, de cujus unius verſus ſenſu vix duo concordare inveniuntur. Sed Jeſus Chriſtus nobis meliora promiſit, licet illi inſipientes nolint credere; promiſit enim gubernare nos infallibili ſuo Spiritu, velamenque ſcidit, & removit, ut non ſolum unus, idque ſemel in anno, ſed unusquisque noſtrûm, idque ſemper, ingreſſum habeat ad illum; &, quotiescunque appropinquamus puro corde, voluntatem ſuam nobis Spiritu revelet, legesque mentibus noſtris indat. His ita præmiſſis, ſic argumentor. *Ubi lex Dei menti indita eſt, ibi objectum fidei & revelatio ſcientiæ Dei eſt interna, immediata, & objectiva; Sed lex Dei indita eſt menti, & inſcripta cordi uniuscujusque veri Chriſtiani, ſub novo fœdere.* Ergo *objectum fidei, & revelatio ſcientiæ Dei unicuique vero Chriſtiano eſt interna, immediata, & objectiva.* Aſſumptio continet ipſa Scripturæ verba: oportet autem propoſitionem eſſe veram, niſi quod menti inditum, & cordi inſcriptum,

vel

vel non internum, vel non immediatum, vel non objectivum erat, quod erit absurdissimum.

XII. Tertium argumentum deducitur ex verbis Johannis: Epist. prima, cap. 2 v. 27. *Et vos, si manserit in vobis unctio, quam accepistis ab illo, non necesse habetis, ut aliquis vos doceat, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium, & sicut docuit vos, manete in eo.* Primò, non potuit hoc esse aliquod peculiare, seu extraordinarium privilegium, sed quod commune est omnibus Sanctis, quum hæc sit Epistola Catholica omnibus ejus seculi scripta. Secundò, Apostolus hanc *unctionem* proponit tanquam certiorem regulam, & amussim, ad inveniendos & discernendos seductores, quam scripta ejus: nam cum in priore versu dixerit, quod quædam scripserat eis de illis, qui *seducunt* eos, sequentem versum incipit, *& vos unctionem accepistis, & non necesse habetis, ut aliquis vos doceat, &c*: ex quo aperte colligitur, quod omnia, quæ dici, aut scribi possunt, dicta & scripta sunt ad internam unctionem, quæ docet omnia, ad quam, tanquam ad certissimum, perpetuum, & firmissimum propugnaculum, nec non adversus seductores præsidium, refugiendum est. Postremò, quod sit permanens, & in perpetuum *maneat in vobis*; si non permaneret in illis, docere illos omnia non potuit, nec adversus omnia pericula munire. Ex scriptis sic argumentor: *Qui habet unctionem in se manentem, quæ docet illum omnia, ita ut non necesse habeat, ut aliquis eum doceat, habet internum, & immediatum doctorem, & quædam illi revelata sunt, & internè, & immediatè, & objectivè; Sed Sancti talem unctionem habent: Ergo.*

Hanc doctrinam ex multis aliis Scripturæ locis probare possem, quæ brevitatis causâ omitto. Et nunc ad alteram propositionis partem progredior; quæ communes objectiones continet, ad quas nunc respondebo.

XIII. Objectio frequentissima hinc deducitur, *quod hæ revelationes incertæ sint.* Sed hoc adversariorum *ignorantiam* abundè declarat, nam distinguimus inter *thesin*, & *hypothesin*: aliud enim est affirmare *veras, & indubitatas revelationes Dei Spiritus esse certas & infallibiles*; aliud prorsus, *quod hic, vel ille has infallibiles revelationes habet*; prius affirmamus, posterius in dubium revocari potest. *Quæstio non est, utrum hi vel illi infallibiles sint in eo, quod scribunt, aut loquuntur, quia se hâc internâ & immediatâ revelatione duci prædicant; sed, num illi debeant, & possint ita duci?*

Cum igitur hactenus probavimus Christum pollicitum esse Spiritum suum ad ducendum filios suos, & quod unusquisque eorum & debet & potest eo duci. Si quis realiter à certo hoc duce recedat, dum verbis eo se agi prædicat, faciendo mala opera, non indè magis sequetur, quod eo ducatur, vel quod Spiritus sit incertus, quam quod sol non dat lumen, quia cæcus, aut oculos claudens incidit in foveam plano meridie; vel quod nemo loquitur, quia surdus non audit: vel quod hortus fragrantibus floribus abundans nullum emittit odorem, quia, qui odoratum amisit, non sentit. Defectus est in *organo*, non in *objecto*. Omnes illæ illusiones igitur adscribendæ sunt hominum *infirmitati*, sivè *impietati*, & non *Sancto Spiritui*. Qui se maximè contra hoc certum, & infallibile Spiritus testimonium armant, frequenter utuntur exemplo antiquorum Gnosticorum, & monstrosis malignisque factis modernorum Monasterii Anabaptistarum, quæ omnia nos nullo modo spectant, neque verissimam nostram doctrinam movent: igitur, quasi firmissimum contra tales impetus præsidium, alteram theseos partem adjunximus, quæ sic se habet: „ *Porro divinæ revelationes internæ, quas ad fundandam veram fidem ab-* „ *solutè necessarias esse adstruimus, externo Scripturarum testimonio, aut* „ *sanæ rationi, ut nec contradicunt, ita nec unquam contradicere possunt.* Præter intrinsecam, & indubitatam hujus propositionis veritatem, audacter affirmare eam possumus, certâ, & beatâ nostra experientiâ; hic enim Spiritus nunquam nos fefellit, aut ad ullum malum duxit, sed luculentus, & manifestus est in revelationibus suis, quæ evidenter apparent nobis, ut nos attenti sistimus in *puro*, & *immaculato Dei lumine*, *proprio illo*, & *apto organo*, in *quo* recipiuntur. Siqui igitur hoc modo ratiocinentur, *quia iniqui, impii, & diabolici homines mala perpetrarunt, & adhuc multò pejus affirmarunt se ad hæc Dei Spiritu ductos & actos*, ergo *nemo debet ad Dei Spiritum attendere; nec eo regi quærere.* Hujus propositionis consequentiam omninò nego, & rejicio; quæ si vera admitteretur, tunc omnis in Deum fides & salutis spes incerta redderetur, & religio Christiana in Sceptismum converteretur. Nam eodem modo arguere possem, *quia Eva Serpentis mendacio decepta fuit*, ergo, *Dei promissioni credere non debuit. Quia primi homines ante diluvium malignis Spiritibus deludebantur*, ergo *nec Noah, nec Abraham, nec Moyses Dei Spiritui credere debebant. Quia Spiritus mendax loquebatur per quadringentos illos Prophetas, qui Achabum persuadebant ascendere ad Ramoth Gilead, & ibi pugnare*, ergo *veri Spiritus testimonium in Micajah erat incertum & periculosum. Quia seducens Spi-*

ritus

ritus olim in Ecclesiam irrepsit, ergo, *non bonum est, vel incertum est sequi unctionem, quæ docet omnia, & verum est, & non mendacium.* Quis audet affirmare hanc consequentiam esse bonam? Præterea, non solum fides Sanctorum, & antiquæ Ecclesiæ hoc modo incerta redditur, sed fides omnium Christianorum uniuscujusque speciëi eodem modo periclitatur, etiam illorum, qui aliud â Spiritu pro fide suâ fundamentum quærunt. *Si enim Spiritus sit incertus, & non attendendus, quia quidam in magnos inciderunt errores, dum eo se regi affirmarent*, probabo per inexpugnabile argumentum ab incommodo, *traditionem, Scripturam*, & *rationem humanam*, quas *Pontificii, Protestantes*, & *Sociniani*, fidei regulam respectivè faciunt, eidem dubitationi obvias esse. Pontificii errare eos putant, qui Pascha aliter, quàm in Ecclesiâ Romanâ fit, celebrant; hæc controversia solummodo *traditione* deciditur, & tamen Ecclesiâ Orientalis, quæ *traditionem* sequitur, aliter celebrat. *Adeo insufficiens ad decidendum est traditio, ut Polycarpus Iohannis discipulus, & Anicetus Episcopus Romanus*, qui proximè successerunt iis, quorum exemplo ambo affirmarunt controversiam esse decidendam, *concordare non potuerint.* Hic necessariò alter saltem erravit, idque *traditionem sequens*: num igitur nos æque agere Pontificii existimarent, si propterea *traditionem negligendam* esse affirmaremus? Sed præterea in re longè majoris ponderis eadem difficultas recurrit, nempe de Romani Pontificis primatu. Complures enim, idque secundum traditionem, (ut opinantur) affirmant, primis sexcentis à nato Christo annis, Pontifices Romanos universalis Pastoris titulum nunquam assumpsisse, neque ita existimatos: imò sunt quidam, qui non dubitant affirmare, idque secundum aliquam traditionem, Petrum Romam nunquam vidisse, quo illa opinio Romani Papatûs funditus destruitur, nam si ille nunquam Romæ fuit, Romani Episcopi successores ejus esse non possunt. Num igitur Pontificii tale ratiocinandi genus approbarent, scilicet, multi illuduntur & magnopere errant, *traditioni credendo*, ergo *omnes traditiones rejiciendæ sunt*, etiam *eæ*, quibus nos contrarium, & (ut opinamur) veritatem probamus. Denique in concilio Florentino Græcę, & Romanæ Ecclesię præcipui doctores integris sessionibus de interpretatione *unius sententiæ concilii Ephesini, Epiphanii* & *Basilii* contendebant, nec unquam concordare potuerunt. Secundò, eadem in Scriptura difficultas recurrit: *Lutherani* affirmant se consubstantiationem secundum *Scripturam* credere, quod *Calviniani*, secundum eandem *Scripturam*

Euseb. Hist. Eccles. lib. 5. cap. 26.

Conc. Flor. Sess. 5. decreto quodam Concl. Eph. Act. 6. Sess. 11 & 12. Concil. Flor.

Sess. 18. 20. Conc. Flor. Sess. 21. p. 480. & seqq.

pturam, magnum errorem esse pronunciant. *Calvinjani* absolutam plerorumque hominum reprobationem affirmant, quod *Arminiani* negant, contrarium prædicantes: Ambo se *Scripturâ* & *rectâ ratione* regulari dicunt. Si igitur hoc modo adversus *Calvinianos* arguerem: *Lutherani*, & *Arminiani* graviter errant, sequendo *Scripturas*, igitur Scriptura non est bona, nec certa *regula*; & è contra: Num ullus ex iis hoc tanquam sanam & rectam ratiocinandi methodum approbaret? Porrò quid de Prælaticis, Presbyterianis, Independentibus, & Anabaptistis magnæ Britanniæ dicam, qui (dum unâ voce Scripturam solam & certam fidei regulam fatentur) incessanter tamen se invicem *ipsâ Scripturâ* de variis ejus interpretationibus verberant & pugnant? dum quisque eam in suam trahit sententiam. Tertiò, quod ad rationem humanam, non necesse est multa dicere; nam omnes controversiæ, contentiones, & altercationes, quæ in mundo sunt, ex quo alio procedunt, *nisi quod quisque (ut putat) rectam rationem sequitur*? Hinc olim provenerunt disputationes illę inter *Stoicos*, *Platonicos*, *Peripateticos*, *Pythagoricos*, & *Cynicos*, & non ita pridem inter *Aristotelicos*, & *Carteſianos*, aliosque naturalistas: Num indè sequitur? Num igitur volunt Sociniani, magni illi rationis magistri, quia multi iique sapientes errârunt, dum (ut existimabant) rationem suam sequebantur, idque quâ potuerunt diligentiâ, curâ, & veritatis investigandæ studio, quod nemo ratione suâ uti debet, nec indubitanter affirmare, quod certò rationale cognoscit? Et hucusque quoad opinionem; cætera illa principia non minus incerta inveniuntur.

XIV. Sed si ad praxin veniamus (licet ingenuè fatear, quod toto corde abhorream, & detester execranda illa acta, quæ â Monasterienſibus Anabaptistis facta dicuntur) attamen nequaquam dubito æqualia, imò pejora fuisse perpetrata ab iis, qui traditione, Scripturâ, & rectâ ratione, regulari se affirmant, dum, ad illa acta facienda, *iis regulis* se duci & approbari prædicarent. Ad quod probandum, notanda solum sunt bella, tumultus, prælia, cædes, seditiones, & horribiles humani sanguinis effusiones, quibus Europa, his postremis seculis, afflicta est. Quam aliam assignarunt Pontificii causam omnium internecionum, quas & in Galliâ, & in Belgio egere, nisi traditionem, Scripturam, rectam rationem? Dixeruntne rationem persuasisse, traditionem approbasse, Scripturam præcepisse eos persequi, destruere, urere hæreticos, qui audebant negare illud planum Scripturæ testimonium, *hoc est Corpus meum*? & nonne Protestantes his internecionibus consentientes fuerunt, qui idem affirmant esse & licitum, & ne-

& neceſſarium? & ipſi concremant, & in exilium alios, opinionis & conſcientiæ cauſa, mittunt, dum ſui eodem modo, & eâdem de cauſâ (in ſpecie univerſali, licet non fortaſſe individua) alibi tractantur. Nonne magnæ Britanniæ, & Hiberniæ Inſulæ, imo totus Chriſtianus orbis teſtes hujus luculenti ſunt? qui a multis annis, quaſi theatrum ſanguinis, fædatus eſt, ubi Pontificii contra Pontificios, Calviniſtæ contra Calviniſtas, Lutherani contra Lutheranos; imo Pontificii à Proteſtantibus adjuti, contra alios Proteſtantes ab aliis Pontificiis adjutos, miſerrime ſeſe dilacerarunt, & ſe invicem trucidarunt, eo fine conducentes, imo cogentes homines, qui controverſiæ prorſus ignari erant, ad ſe invicem necandos, dum, quos trucidabant, nunquam antea vel viderant, vel cognoverant; & tamen hæc impia facinora rationis prætextu colorantes, ſibique hoc licitum eſſe Scripturâ vindicantes.

Si igitur hæc acta comparemus cum Monaſterienſibus, differentiam non magnam inveniemus; nam omnes dicebant ſe vocari, & ſibi licere interficere, cremare, & deſtruere malos. Oportet nos, inquiebant Anabaptiſtæ, omnes iniquos & infideles cædere, ut nos, qui Sancti ſumus, terram poſſideamus. Oportet nos, inquiunt Pontificii, obſtinatos hæreticos urere, & flammis conſumere, ut Sancta Romana Eccleſia, veneno & putrefactis membris purgata, in pace vivat. Oportet nos, inquiunt Prælatici Proteſtantes, ferro reſcindere ſeducentes illos ſeparatiſtas, qui pacem Eccleſiæ turbant, & religioſas ceremonias divinamque Hierarchiam oppugnant. Oportet nos, inquiunt Calviniſtici Presbyteriani, trucidare profanos illos malignantes, qui ſacram conſiſtorialem, claſſicalem & Synodalem Eccleſiæ gubernationem accuſant, Papiſticamque & Prælaticam Hierarchiam propugnant & defendunt, cæterosque ſectarios, qui pacem Eccleſiæ noſtræ turbant. Quænam tibi, quæſo, benigne lector, inter hos videtur differentia? quod ſi objiciatur, Anabaptiſtas non tantum ſine authoritate, ſed etiam contra Magiſtratus authoritatem ea commiſiſſe, non item cæteros: facile hoc refutatur & refellitur teſtimoniis, quæ alii contra alios invicem allegant: Sicuti inter cætera, acta Pontificiorum contra Henricum tertium & quartum, Galliæ reges, extant; & eorum conjurationes in Jacobum, magnæ Britanniæ regem, totumque Angliæ magnum Concilium; quod uno ictu in æerem mittere conabantur: præterea, doctrina eorum de poteſtate Papæ ad deponendos reges, hæreſeos cauſa, & populum a fide abſolvendum, ſatis nota eſt. Quod attinet ad Proteſtantes, & quantum acta illorum

a ſupradictis differant; ſolummodo ea, quæ ipſi in multifariis illis conjurationibus ac conſpirationibus, quas tum in Anglia, tum in Scotia perpetrarunt, & quæ, centum abhinc annis, in multis urbibus, & Belgii Provinciis perpetrarunt, notanda ſunt. An non ſæpiſſime tam a Pontificiis Magiſtratibus, quam ab iis, qui jam inceperant reformare, aut ipſis aliquam religionis exercendæ libertatem conceſſerant, ſupplicationibus petierunt, ut ſolummodo ſibi liceret ſine moleſtia & impedimento Religionem ſuam exercere, pollicentes ſeſe invicem Pontificiis in exercitio religionis non fore moleſtos? An non è contra, ſimulac aliquam poteſtatem conſequuti ſunt, concives ſuos turbarunt, ſpoliarunt & Urbe expulerunt, imo quod pejus eſt, etiam eos, qui cum ipſis Pontificiorum communionem abdicarunt? An non hæc omnia multis in locis invito Magiſtratu fecerunt? An non eosdem Gubernatores, à quibus non ita pridem hoc liberum ſuæ religionis exercitium petierant & impetrarant, publicè verbis contumelioſis aggreſſi ſunt, & eos, ſimulac ſeſe eorum Hierarchiæ opponebant, eo modo depinxerunt, ac ſi nec Deo nec Religioni ſervirent? An non violenta manu Pontificiorum templa, ita dicta, occuparunt, vel ea Magiſtratibus invitis extorſerunt? An non integra Magiſtatuum collegia dignitate & poteſtate privarunt, eosque expulerunt, ſub prætextu, quod Pontificiorum opinioni eſſent addicti? Quos Magiſtratus Pontificios tamen paulò antè agnoverant à Deo fuiſſe conſtitutos, ſeque obligatos eſſe ad obedientiam & ſubjectionem ipſis præſtandam, non ſolum propter metum, ſed etiam propter conſcientiam: quibus inſuper ipſi Reformatæ Eccleſiæ concionatores & ſeniores ſive inſpectores jusjurandum fidelitatis ultrò obtulerant. Et poſtea, an non dixerunt, quod populus teneatur Principem impium ad obſervationem verbi Dei cogere? plura id genus alia, quæ in eorum Hiſtoriis inveniri poſſunt, ut non loquar de multò pejoribus, quæ noſtris temporibus facta ſcimus, brevitatis cauſa prætereo. Quid dicam de Lutheranis, quorum tumultuoſæ actiones contra Magiſtratus ſuos, aliam à Lutherana confeſſione fidem profeſſos, paſſim in Hiſtoriis fide dignis depinguntur? ex multis aliis unicum tantum exemplum lectori conſiderandum propono, quod Berolini in Marchia accidit, Anno M. DC. XV. ubi ſeditioſa civium Lutheranorum multitudo, concionatorum ſuorum aſſiduis clamoribus è ſuggeſto excitata, non ſolum concionatorum reformatorum domos vi effregit, bibliothecas evertit, & omnem ſupellectilem annihilavit, ſed etiam ipſum Marchionem Brandeburgicum, Electoris fratrem, furioſam plebem verbis

verbis blandis nequicquam demulcentem, contumelioſis verbis & lapidibus aggreſſi ſunt, decemque ex ipſius ſatellitibus occiderunt, haud quaquam parcentes Marchioni, qui tandem fuga ex ipſorum manibus elapſus eſt. Ex quibus omnibus apparet, quanti faciant authoritatem Magiſtratus; & ſi quando accidit, ut Magiſtratus eorum acta approbet, & cum ipſis concurrat, hoc non eorum fidem & opinionem, ſed ſolum modo agendi methodum mutat. Ita ut, meo quidem judicio, nihil diſcriminis videam inter illorum acta, qui Monaſterii ſe Spiritu agi & duci dicebant, & cæterorum, qui ſe traditione, Scriptura, & recta ratione duci prædicabant; niſi quod illi temerarii, inconſiderati, & ſtulti in conſiliis ſuis fuere, ideoque citius ad nihilum redacti, adeoque in contemptum & deriſionem prolapſi ſunt: hi vero, cum magis conſulti, & in generatione ſua prudentiores fuerint, diutius ſteterunt, actaque ſua majore legis, & rationis apparatu colorarunt. Cum igitur amborum acta æque mala fuerunt, diſcrimen mihi ſolum videtur, quaſi illud, quod eſt inter privatum & incautum furem, qui facile deprehenditur, ac ſine mora & moleſtia ſuſpenditur, & inter latronum & prædonum legionem, qui, cum magis cauti ſint, licet non minus iniqui, etiam dominos ſuos, imminentis periculi evitandi cauſa, ad meliores concedendas conditiones cogunt. Unde conſpicuum eſt, quod male admodum argumentantur, qui aliquod principium improbant & rejiciunt, quia aliqui, affirmantes ſe eo duci, malum perpetrant, niſi ſit ejus principii naturalis & genuina conſequentia ad malum illud inclinare; nemo autem affirmabit, Spiritum Dei ad ullum malum quempiam ducere: & deinde, ex ſupra dictis ſequetur, quod, ſi Dei Spiritus hujus cauſa negligendus ſit, ejusdem cauſa alia omnia rejicienda ſunt.

Sicuti ego magni facio beatum Scripturæ Sanctæ teſtimonium, nec parvi facio ſolidam traditionem, quæ ſecundum veritatem eſt; neque ullo modo ſperno rationem, nobilem illam & excellentem animi facultatem, quia pravi homines iisdem abuſi ſunt, ut impietatem ſuam colorarent, & ſimplices deciperent; ita velim nullum diffidere vel rejicere certum illum & infallibilem Spiritum, quem dedit Deus filiis ſuis, tanquam firmiſſimum in omnem veritatem ductorem, quamvis nonnulli falsò ſe illo duci prædicarunt.

XV. Et quia Spiritus eſt omnis veritatis & rectæ rationis fons & origo, ergò benè diximus, quod nec Scripturæ teſtimonio, nec rectæ rationi contradicere poteſt. Attamen, ut theſis ipſa concludit, (ad cujus

ultimam partem nunc venimus) „ *indè non ſequitur, quod hæ revelationes* „ *divinæ ad externum Scripturarum teſtimonium, aut etiam ad rationem* „ *naturalem, ſeu humanam, tanquam ad nobiliorem aut certiorem nor-* „ *mam, & amuſſim examinandæ ſint: nam divina revelatio, & illu-* „ *minatio interna eſt quiddam per ſe evidens, & clarum, intellectum be-* „ *ne diſpoſitum, propriâ evidentiâ & claritate cogens ad aſſentiendum,* „ *atque inſuperabiliter movens & flectens, non minus quam principia com-* „ *munia veritatum naturalium movent, flectuntque animum ad aſſenſum* „ *naturalem.* Qui hanc propoſitionis partem negat, illum oportet affirmare, quod Spiritus Dei nec poteſt, nec unquam manifeſtavit ſe hominibus ſine Scripturâ, ſeu diſtinctâ rationis diſcurſione: vel quod efficacia hujus ſupernaturalis principii, operans in hominum animabus, minus evidens ſit, quam principia naturalia in communibus ſuis operationibus; quorum utrumque falſum eſt. Nam primò, per totam Scripturam obſervandum eſt, manifeſtationes, & revelationes Dei, per Spiritum, Patriarchis, Prophetis, & Apoſtolis fuiſſe immediatas, & objectivas, ut antè probavi, quas illi nullo alio principio examinabant, ſed propriæ evidentiæ & claritatis causâ recipiebant. Secundò, dicere Spiritum Dei minorem evidentiam in hominum animabus habere, quàm principia naturalia, eſt quidem nimis abjectè, & viliter de illo ſentire: undè fit, quod invitat nos David *guſtare, & videre Deum eſſe bonum*; ſi hoc nec *guſtari* nec *videri* poſſit, hoc quidem ſufficeret deſtruere fidem, & confidentiam ſanctorum, & hodiernam, & præteritam. Non alio modo (procul omni dubio) perſuaſus eſt Paulus, *nihil eum ſeparare potuiſſe ab amore Dei*, niſi eâ evidentiâ, & claritate, quam dedit illi Spiritus Dei. Johannes apoſtolus, qui benè cognovit, in quo fidei certitudo ſtaret, non abſurdum judicabat, ſine alio argumento, fidem & ſcientiam ſuam, & omnium ſanctorum, Spiritui, his verbis, adſcribere: *Per hoc cognoſcimus nos in eo habitare, & ipſum in nobis, quod de Spiritu ſuo dedit nobis*: 1 Joh. 4. 13. & cap. 5. v. 6. *& Spiritus eſt, qui teſtificatur, quoniam Spiritus eſt veritas.* Obſerva, quam dat rationem; *quoniam Spiritus eſt veritas*; de cujus infallibilitate, & certitudine hactenus loquutus ſum. Confidimus igitur, & credimus huic Spiritui, quia cognoſcimus, abſque dubio, quod ſemper rectè ducat, nunquam autem ſeducat; & ex hac certâ & indubitatâ confidentiâ affirmamus, quod hæ divinæ revelationes Scripturarum teſtimonio, vel rectæ rationi contradicere nunquam poſſunt; non quaſi illas horum examinationi ſubjiceremus, niſi dum ad eos deſcen-

ſcendimus, qui, cum revelationes Spiritus, ſicut purè à Deo procedunt, non diſcernunt, talibus mediis illas examinare volunt. Sed quibus ſpirituales ſenſus experrecti ſunt, & qui ſpiritualia guſtare poſſunt quaſi in primâ inſtantiâ, ii diſcernere has revelationes poſſunt, absque & antequam vel ad Scripturam, vel ad rectam rationem eas applicent: ſicut peritus aſtrologus calculare eclipſin infallibiliter poteſt & concludere, ſi ordo naturæ permaneat, monſtroſâ aliquâ, & contra naturam revolutione non interveniente, tali horâ talis diei ſolis vel lunæ eclipſin fore; de hoc tamen ignaro ruſtico perſuadere non poteſt, donec ipſis oculis effectam videat. Item & mathematicus infallibiliter regulis artis cognoſcit, tres angulos trianguli recti linei eſſe æquales duobus rectis angulis, imo certiùs cognoſcit, quàm aliquis, menſurâ, poteſt. Et geometricæ quædam demonſtrationes (ut omnes, qui in hac arte periti ſunt, fatentur) infallibililes ſunt, quæ vix ſenſibus, ſivè menſurâ diſcerni poſſunt; ſi tamen geometra, ut ignarum aliquem de arte ſuâ certum faciat, deſcendit ad menſuram, & ita demonſtrationem ſenſibus obviam facit, non indè ſequetur, menſuram illam eſſe ita certam, quàm eſt ipſa demonſtratio, vel demonſtrationem, ſine illâ, fuiſſe incertam.

XVI. Sed ut finem faciam, unum addam argumentum, ut probem hanc internam, immediatam, & objectivam revelationem, quam huc uſque defendimus, ſolum eſſe immobile & certum omnis Chriſtianæ fidei fundamentum; quod argumentum benè ponderatum, cum omni Chriſtianorum genere, magni momenti futurum ſpero; videlicet: *Illud, ad quod omnes Chriſtianitatis profeſſores, cujuſcunque generis ſeu ſpeciei ſunt, ultimò recurrunt, cùm ad extremum preſſi ſint, & cujus causâ, cætera omnia fundamenta commendantur, & creditu digna habentur, & ſine quo rejiciuntur; illud, inquam, oportet neceſſario eſſe ſolum certiſſimum immobile fundamentum omnis fidei Chriſtianæ: Sed interna, immediata, objectiva Spiritus revelatio illud eſt, ad quod omnes Chriſtianitatis profeſſores ultimo recurrunt: &c.* Ergo *eſt ſolum certiſſimum immobile fundamentum.* Propoſitionem (ut opinor) negabit nemo. Aſſumptionem per partes probabo: & primò; quod ad Pontificios, qui ſententiam eccleſiæ, & traditionem fundamentum ponunt; ſi premantur, quare credant, ſicut credit eccleſia, reſpondent, quia eccleſia ſemper infallibili Spiritu ducitur; hîc igitur ducentem Spiritum, ultimum fundamentum agnoſcunt. *Iterum*: ſi interrogemus, quare traditioni credant, reſpondent,

quia traditiones nobis à patribus & doctoribus ecclesiæ traditæ sunt, qui doctores & patres, revelatione sancti Spiritûs, illas ecclesiæ observandas præceperunt; hic iterum omne refugium in Spiritûs Dei revelatione acquiescit. *Secundò*; quod attinet ad Protestantes, & Socinianos, qui ambo Scripturam, fidei suæ regulam, & fundamentum fatentur; alii ut subjectivè divino Spiritu ad iis utendum moventur, alii solo naturalis rationis usu; si utrosque interrogemus, quare Scripturam pro regulâ assumant; respondent, quia in illis voluntas Dei declarata est à sanctis prout iis intus, immediatè, & objectivè à Spiritu Dei revelata fuit: non est igitur, quia hic, vel ille eas scripsit, sed quia dictante & movente Spiritu Dei scripserunt. Mirum igitur videtur, quod homines illud tam incertum reddunt & periculosum, super quod certitudo & fidei eorum fundamentum ædificatur; quodque se à sanctâ illa cum Deo communione excludunt, quæ solummodo Spiritu possidetur, in quo indesinenter & ambulare & vivere jussi sumus.

Si quis igitur hæc legens, se horum argumentorum (quæ ex sacris Scripturis deducta sunt) vi, ad consentiendum has revelationes esse necessarias, cogi sentiat, dum ipse talibus revelationibus adhuc peregrinus, & quasi alienus est, undè, ut initio observavi, hæc veritas tantum negatur, & contradicitur, ei notum sit, non ideo cessare uniuscujusque Christiani privilegium, quia ille non sentit; sed potius, quia magis nomine, quàm re Christianus est. Demum cognoscet secretum illud lumen, cor ejus illuminans, injustitiam reprehendens, parva & prima initia divini Spiritus revelationis esse, qui in orbem missus est, *ut primo loco mundum de peccato argueret*: Joh. 16. 8. Et sicut derelinquendo peccatum tibi divina illa in corde vox magis nota facta est, tunc senties, prout vetus homo, naturalis homo, qui nec percipit, nec intelligere potest, quæ sunt Spiritus Dei, exuitur cum malis suis, & corruptis affectibus, & concupiscentiis, tunc, inquam, senties novum hominem, partum spiritualem resurgentem, cui sunt sensus spirituales, & qui potest videre, tangere, gustare, contrectare, & odorari, quæ Spiritus Dei sunt: sed priusquam hos adeptus es, Spiritualium scientia est quasi fides historica, sicut descriptio lucis solis, vel variorum colorum ad virum cæcum, qui, licet fæliciſſimi & acutiſſimi ingenii, non ita clarè intelligere vivaciſſimâ descriptione potest, quam puer videndo; Ita naturalis homo optimi ingenii, & ampliſſimi captus, verbis exquisitiſſimis, etiam Scripturæ verbis, mysteria regni Dei non ita perspicuè intelligere potest, quàm minimus

&

& maximè imbecillis regni hæres, qui videt & guſtat illa; quia immediatè & objectivè Spiritu revelata habet. Ad hunc Spiritum igitur attende in parvâ revelatione puræ illius lucis, quæ primò revelat, quæ magis nota ſunt, & poſtea, ut tu aptus evades, magis magiſque recipies, vivâ experientiâ eorum ignorantiam facilè refutabis, qui quærunt, quomodo noſcis, quod Dei Spiritu actus es ? quæ tibi videbitur quæſtio non minùs ridicula, quam ſi quis oculos claros habentem interrogaret plano meridie, num ſol luceat: & licet hac experientiâ certiſſimè omnibus objectionibus reſpondeatur, quæ tamen ſuprà dicta ſunt, demonſtrant omnium, qui hanc doctrinam negant, ora occludi poſſe indubitandis, & inexpugnabilibus argumentis.

Theſis Tertia.

A Sanctis his revelationibus Spiritus Dei proceſſerunt Scripturæ veritatis, quæ continent, *primò*; fidelem narrationem hiſtoricam actorum populi Dei in non paucis ſeculis, nec non ſingularia quædam, & aſpectabilia divinæ, erga illos, providentiæ teſtimonia. *Secundò*, narrationem Propheticam multarum rerum, quarum quædam præteritæ, quædam adhuc futuræ ſunt. *Tertiò*, amplum & copioſum præcipuis Chriſtianæ fidei doctrinis teſtimonium, exhibitum in præclaris quibuſdam declarationibus, exhortationibus, & ſententiis; quæ divini Spiritus afflatu, variis temporibus, quibuſdam Eccleſiis & Eccleſiæ paſtoribus, ſecundum diverſas, quæ ſeſe obtulerunt, occaſiones, dictæ & ſcriptæ ſunt: nihilominus, quoniam ſolummodo ſint declaratio fontis, & non ipſe fons, ideò non exiſtimandæ ſunt principalis origo omnis veritatis & cognitionis, nec adæquata primaria regula fidei & morum; licet, cum dent verum & fidele teſtimonium primæ originis, ſint, & poſſint exiſtimari regula ſecundaria, ſubordinata Spiritui, à quo, quam habent, excellentiam & certitudinem derivant. Nam, ſicut interno

terno Spiritus testimonio earum certitudinem solummodo novimus, ipsæ etiam testantur, Spiritum esse illum rectorem, Sanctis traditum, quo ducendi sunt in omnem veritatem; itaque, secundum Scripturas, Spiritus est primus & principalis ductor; & cum ideo recipiamus & credamus Scripturis, quòd à Spiritu processerunt, igitur etiam Spiritus magis originaliter & principaliter est regula, secundum receptum illud in scholis axioma, *Propter quod unumquodque est tale, illud ipsum est magis tale.*

Thesis hujus pars prior Apologiâ non eget, pro nobis tamen Apologia est, & hac, inter multas alias calumnias, nos liberabit, quâ sæpè afficimur, quasi Scripturarum denegatores seu contemptores essemus; nam ex positionibus apparet, quanti facimus, quas, sine fuco & æquivocatione, Scriptorum omnium, quæ in orbe sunt, excellentissimas æstimamus, quibus non solum ullum aliud scriptum non præferendum, sed ne multis rationibus æquandum est. Nam libenter fatemur, earum authoritatem ex nullâ Ecclesia seu concilio pendere, nec corruptæ, lapsæ, & degeneratæ hominis rationi subjicere eas possumus: Et sicut cum protestantibus pontificiorum errorem ex animo rejicimus; ita ex aliâ parte authoritatem earum non opinamur pendere ex aliquâ vi seu virtute iis Scriptis insitâ, sed omnem ascribimus Spiritui illi, à quo provenerunt. Revera confitemur stylum habere majestatem, esse partium omnium consensum, bonumque totius scopum. Sed, quia discernere homo naturalis non potest, sed solum spiritualis, solus ergo Spiritus Dei est, qui nobis eam scripturæ fidem dare potest ad satisfaciendum conscientiis; ideoque protestantium præcipui, & in privatis scriptis, & publicis confessionibus, hoc fateri coguntur. Hinc Calvinus, licet dicat posse se probare, quod si Deus sit in cœlis, hæc scripta ab illo provenisse, tamen concludit, aliam scientiam esse necessariam: Inst. lib. 1. cap. 7. sect. 4. *Tam, si conscientiis optime consultum volumus, ne instabili dubitatione perpetuo circumferantur, aut vacillent, ne etiam hæsitent ad minimos quosque scrupulos, altius, quam ab humanis vel rationibus, vel judiciis, vel conjecturis petenda est persuasio, nempe, ab arcano testimonio Spiritus.* Et ibid. rursus: *quia opinione tantum stare videtur*

detur Religio profanis hominibus, ne quid stultè, aut leviter credant, ratione probari sibi cupiunt ac postulant, Moysen & Prophetas divinitus locutos esse. Atqui testimonium Spiritus omni ratione præstantius esse respondeo. & sect. 5. *maneat ergo hoc fixum, quos Spiritus Sanctus intus docuit, solidè acquiescere in Scripturâ, & hanc quidem esse* αὐτόπιστον, *neque demonstrationi & rationibus subjici.*

Hoc item affirmatur in primâ confessione publicâ, quam ediderunt ecclesiæ Galliæ, anno 1559. art. 4. *Hos libros esse canonicos novimus, & certissimam fidei nostræ regulam, non tam communi consensu Ecclesiæ, quam testimonio & internâ persuasione Sancti Spiritus.* Sic etiam art. 5. confessionis ecclesiarum Belgicarum, quam Synodus Dordracena approbavit, *eos solum libros, tanquam Sanctos & canonicos, accipimus, non tam quia Ecclesia recepit & approbat, quàm quia Spiritus Dei testatur in cordibus nostris, quod ex illo sunt.* Et denique Theologi magnæ Britanniæ Westmonasterienses, qui cæperunt timere & cavere â testimonio Spiritus, prospicientes illinc dispensationem jam orientem, quâ illi obscurandi forent, hoc transire non poterant, licet nec ita distinctè, luculenter, nec honestè, quàm præcedentes posuere, his verbis: Con. cap. 1. sect. 5. *Nihilominus tamen plena persuasio & certitudo, de ejus tam infallibili veritate, quàm authoritate divinâ, non aliundè nascitur, quàm ab internâ operatione Spiritus Sancti, per verbum & cum verbo ipso in cordibus nostris testificantis.*

Ex quibus omnibus apparet, quam necessarium sit, hanc Scripturarum certitudinem â Spiritu, & non aliundè quærere: Innumeræ contentiones, & infinitæ altercationes eorum, qui certitudinem Scripturæ aliundè quærunt, hanc veritatem confirmant; nam ipsi patres primorum seculorum de iis non idem sentiebant, dum * quidam, quos libros nos approbamus, rejicerent; & quidam approbant, quos nos rejicimus. Non ignotum est in antiquitate quam minime peritis, quanta contraversia fuit de secundâ Epistolâ Petri, Epistolâ Jacobi, secundâ & tertiâ Johannis, & Apocalypsi: quam multi, etiam ex antiquissimis, Apostolorum ætati proximis, negabant, â Johanne Jacobi fratre, & dilecto discipulo, sed ab alio ejusdem nominis, scriptam. Quid! de Christianis actum erit, nisi illum Spiritum recipiant, & Spirituales illos sensus, quibus verum à falso discernere possunt. Christi ovium privilegium est, quod vocem ejus audiant; peregrini autem rejiciunt; quo adempto privilegio, uniuscujusque generis lupis præda relinquimur.

* *Concl. Laod. can. 59 in codi. ecc. 163 concil. Laodicense, quod erat anno 364, excludebat ex canone ecclesiast. Sap. Maccab. Judith. Tobias, quod omnes recipiebat Concil. Carthag. quod erat 399.*

II. Licet igitur fateamur, Scripturas Scripta esse, & divina, & cælestia, quarum usus Ecclesiæ & solatio plenus, & perutilis est, & licet admiremur, nec non laudemus Deum, quod mira providentia scripta illa servaverit ita pura & incorrupta, ut nunc habemus, per tantas & tam diuturnas apostaseos tenebras, ut pro veritate ejus testarentur contra iniquitates & abominationes, etiam illorum, quos præservationis instrumenta fecit; ita ut inviti, contra semetipsos, testes conservarint. Nihilominus tamen illas principalem originem omnis veritatis & scientiæ, & primariam adæquatam fidei & morum regulam nominare non possumus, quoniam oportet principalem veritatis originem esse ipsam veritatem, i. e. cujus certitudo & authoritas ex alio non pendet. Cum de amnis alicujus vel fluminis aquâ dubitamus, ad fontem recurrimus, quo reperto, ibi sistimus, nam ultra progredi non possumus, quia nimirum ille ex visceribus terræ oritur & scaturit, quæ inscrutabilia sunt. Ita scripta & dicta omnium ad æternum verbum adducenda sunt, cui si concordent, ibi sistimus; nam verbum illud semper a Deo procedit, & processit, per quod inscrutabilis Dei sapientia, & consilium non investigandum, in Dei corde conceptum, nobis revelatum est. Quod igitur Scriptura non sit principalis fidei & scientiæ origo, sicut apparet ex supradictis, ita posteriore theseos parte probatur, quæ ad argumentum reducta sic se habent.

Illud, cujus certitudo & authoritas ex alio pendet, & ratio, quare recipitur ut veritas, est, quia ex alio procedit, principalis origo omnis scientiæ & veritatis non est existimandum: Sed Scripturarum authoritas & certitudo pendet ex Spiritu, quo dictabantur, & ratio, quare recipiuntur ut veritas, est, quia à Spiritu processerunt: Ergo principalis origo omnis veritatis & scientiæ non sunt existimandæ. Ad hoc argumentum confirmandum axioma scholasticum addidi, *propter quod unumquodque est tale, illud ipsum est magis tale*: quod licet non universaliter in omnibus tenendum sit, in hoc tamen exemplo optimè tenet, ut applicatione superiore apparebit; idem argumentum tenebit, quod ad alteram positionis partem, nempe quod Scriptura non sit adæquata & primaria fidei & morum regula, hoc modo.

Illud, quod non est mihi regula in ipsas Scripturas credendo, non est mihi primaria, adæquata fidei, & morum regula: Sed Scriptura nec est, nec esse potest mihi regula illius fidei, qua ipsis credo: Ergo.

De illo autem, quod Spiritus, & non Scriptura sit regula, illud priore thesi fusè tractatur, cujus summam uno argumento subsumam.

Si

Si solo Spiritu ad veram Dei cognitionem pervenimus ; si Spiritu in omnem veritatem ducendi & omnia edocti sumus , tunc Spiritus , & non Scriptura est fundamentum & origo omnis veritatis , & scientiæ , & primaria regula fidei : Sed prius est verum : Ergo & posterius.

Præterea , ipsa Euangelii natura declarat , non posse Scripturam esse solam , vel principalem Christianorum regulam ; nulla enim tunc erit differentia inter Legem & Euangelium ; sicut à naturâ novi fœderis , pluribus Scripturæ testimoniis priorē thesi descripti , probatum est. Nam in hoc Lex & Euangelium differunt , quod lex extra scripta afferat condemnationem , sed non habet vitam ad salutem : cùm Euangelium , sicut declarat & manifestat malum , ita & quid internum & potens est , dans vim animæ ad obediendum , & liberat à malo, hinc εὐαγγέλιον vocatur ; hoc est , bona annunciatio , seu annunciatio bonorum. Lex , seu litera , quæ extra nos est , occidit ; sed Euangelium , quod lex interna & spiritualis est , dat vitam ; non enim tam in verbis , quàm in virtute consistit. Qui igitur illud cognoscunt , majorem in iniquitates suas potestatem , virtute ejus , adipiscuntur , quàm omnibus externis legibus , & regulis acquiri potest : hinc concludit Apostolus ad Rom. cap. 6. v. 14. *Peccatum vobis non dominabitur , non enim sub lege estis , sed sub gratiâ.* Hæc gratia igitur , & non lex externa , est regula Christianorum ; huic commendavit Apostolus seniores ecclesiæ, Act. 20. 32. *& nunc commendo vos Deo & Verbo gratiæ ipsius* : non hîc commendat eos externis legibus , seu scriptis , sed Verbo gratiæ , quod internum est , imò Spiritualis lex, quæ liberat , ut ipse alibi affirmat : ad Rom. 8. 2. *Lex enim Spiritus vitæ in Christo Iesu liberavit me à lege peccati , & mortis.* Hæc lex spiritualis , & verbum, illud est, quod, ut ait Apostolus , prædicabat; ad quod populos attendere jubebat ; quod non erat externum , ut ex epist. ad Rom. cap. 10. ver. 8. apparet, ubi distinguens à lege , ait , *prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum fidei , quod prædicamus.* Ex suprà dictis igitur sic argumentor.

Principalis Christianorum regula sub Euangelio non est externa litera, nec lex extrà scripta , sed est interna , spiritualis lex , in corde insita , lex nimirum spiritus vitæ , verbum prope in ore & in corde : Sed litera Scripturæ externa est , ex se mortua , mera declaratio bonorum , sed non ipsa bona : Ergo nec est , nec esse potest principalis Christianorum regula.

III. Illud , quod Christianis pro regulâ datur , necessariò oportet ita

amplum esse, ut clare & distincte ducat & instruat illos in omnibus, quæ occurri possunt ; Sed quum reperiantur innumera, quæ, quoad circumstantias & aliter, particularium Christianorum multum interesse possunt, de quibus nulla præcisa regula in Scripturis invenitur ; ideo Scriptura nequit iis esse regula : nam nemo dubitat, quin quidam homines specialiter vocati sint ad particularia quædam ministeria, in quibus nisi versentur, licet non sit universale positivum præceptum, in eo tamen, quod ab illis exigitur, graviter peccant; quoniam Deus gloriæ zelotes est, & omnis inobedientia voluntati ejus, ubi revelatur, sufficit non solum magnopere alicujus pacem & consolationem, alioquin abundantem, auferre, sed condemnationem affert : *exempli gratia*, quidam ad ministerium verbi vocantur, Paulus ait, necesse sibi fuisse Euangelium annunciare, *Væ enim mihi est, si non euangelizavero.* Si necessarium sit esse hodie prædicatores Euangelii, sicut tunc erat, eadem necessitas quibusdam magis quam aliis incumbit, hunc locum occupandi; quam necessitatem, ut huic vel illi incumbere potest, Scriptura nec declarat, nec declarare potest. Si respondeatur, ministri, sive Pastoris qualitates in Scripturis inveniri, quas mihi applicando dignoscere possum, num tali officio aptus sim. Respondeo, proprietates Episcopi seu Pastoris, sicut numerantur, & in Epist. ad Timoth. & ad Tit. tales sunt, quæ inveniri possunt in privato Christiano, imo quæ debent aliqua ex parte unicuique vero Christiano inesse ; ita ut ex his nihilo certior factus sim, licet ad officium aptus sim, non sequitur me inde vocari. Sed præterea, quâ regulâ me aptum, iisque proprietatibus imbutum novi? quo modo scio, quod sim *irreprehensibilis*, *sobrius*, *prudens*, &c. Oportetne testimonium Spiritus in conscientia me de hoc certum facere ? sed dic, qualitates habeo, revera vocatus sum, quæ Scriptura docet me, num officium meum sit in hoc vel illo loco prædicare, Galliæ an Angliæ, Belgii an Italiæ: num sit mihi curæ fideles confirmare, an hæreticos revocare, an infideles convertere, huic ne vel illi Ecclesiæ epistolas scribere? generales Scripturæ regulæ, quales sunt diligenter munus obire, omnia ad Dei gloriam & Ecclesiæ utilitatem agere, mihi hac in re lumen non afferunt; nam res admodum differentes inter se possunt omnes eò tendere; mihi tamen magnopere nocere potest, hoc facere, dum illud facere deberem. Si Paulus, dum Jerusalem, Deo jubente, peregrinatus est, ad Achaïam vel Macedoniam reversus fuisset, dicens fore hoc ministerium Deo magis acceptum ibi prædicare, Ecclesiasque confirmare,

quam

quam Judææ carcere includi; num hoc Deo placuisset? Nullo modo, *obedientia præstat sacrificio*; non est simpliciter bene agendo, quod Deo placemus, sed illud bonum agendo, ad quod nos evocat: unum quodque membrum locum suum in corpore habet, ut optimè declarat Apostolus in Epist. 1. ad Corinth cap. 12. Si igitur pes existens velim manus officium exercere; seu, cum sim manus, linguæ munere fungi; ministerium meum non acceptum, seu utile, sed noxium corpori foret, & dum auxiliari viderer, schisma facerem; illud, quod alteri posset esse bonum, mihi peccatum esse potest: Sicut enim hujus seculi Domini volunt servos suos obedientes, secundum beneplacitum, habere, non solum cæcè faciendo, quod servo ad domini utilitatem videri possit; interea forsan accidere potest, ut & in agro & in domo negotia habeat; servus ille, qui non novit Domini voluntatem, sed solum utilitatem ejus (ut ipse opinatur) respicit, in domo versatur, dum vult Dominus eum in agro laborare; num ille servus reprehensione non erit dignus Domini voluntatem non advertens? Et quis hujus mundi Dominus ita insolicitus, & suarum rerum oblitus est, qui, plures habens servos, suum cuique munus non assignat; non autem relinquit illos, ut singuli agant quod sibi ad domini utilitatem videtur, ubi certe confusio & ruina oriretur, dum incertis scrupulis & hæsitationibus agerentur. Num igitur illud Christo in Ecclesiam gubernando adscribere audemus, quod in hominibus jure meritò stultitiæ & imprudentiæ argui potest? Hanc distinctionem optimè ostendit Apostolus in Epist. ad Rom. cap. 12: v. 6. *habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei: sive ministerium in ministrando: sive qui docet in doctrina: qui exhortatur in exhortando*: quæ me igitur regula Scripturæ docet, quod exhortationem potius, quam prophetiam sequar, aut ministerium magis, quam doctrinam? revera nulla. Multa hujusmodi occurrunt in vita Christiani: Sed quod præ cæteris omnibus præstat illum scire, nempè an sit realiter in fide, & hæres salutis, de hoc Scriptura nullam dat certitudinem, nec regula esse potest. Quod illa scientia sit & expetibilis, & quam consolabunda, omnes unâ voce fatentur, præterquam præcisè mandatur 2. Cor. 13: 5. *vosmetipsos tentate si estis in fide; ipsi vos probate, an non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis sit, nisi forte reprobi estis*. Et 2. Petri 1. v. 10. *quapropter fratres magis studete firmam vestram vocationem & electionem facere &c.* Quænam me nunc Scripturæ regula certum facere potest, quod fidem

habeam, vel quod electio mea firma sit? si dicatur conferendo Scripturæ notas veræ fidei cum mea: quocum hanc observationem faciam, quis mihi præstabit, quod non hallucinatus sim? Scriptura non potest, hæc enim sub lite est: si meum ipsius cor, quàm improprius judex in sua causa, præsertim si adhuc non renovatum sit? Ait ne Scriptura quod *fraudulentum est super omnia & mortiferum*? In Scripturis promissiones invenio, minas observo; sed quis me docet, illas, non has ad me pertinere? Scriptura dat harum meram declarationem, applicationem nullam facit, ita ut assumptio semper à me ipso deducta sit. *exempli gratia*, hanc propositionem in Scriptura reperio, *quicunque credit salvabitur*, ex qua hanc assumptionem deduco, *sed ego Robertus credo. Ergo salvabor.* Minor in Scriptura non invenitur, sic conclusio est humana conjectura, non divina propositio; ita ut fides mea non super propositionem Scripturæ ædificetur, sed super humanum principium, de quo, nisi aliunde certus sim, Scriptura nihil certi affirmat. Sed, si ultra hoc argumentum novo ex Scriptura medio prolequar, eadem difficultas recurret; *Qui habet certa & indubia veræ fidei signa, ille veram habet fidem. Sed ego hæc signa habeo, ideo veram fidem habeo.* Nam assumptio ex mea deductione est, non in Scriptura reperitur, & per consequens conclusio ejusdem naturæ est: nam illa semper sequitur imbecilliorem propositionem; hoc ita pungens est, ut meliores protestantes, qui hanc certitudinem necessariam esse affirmant, ad internum Spiritus testimonium recurrere cogantur, ut ex *Calvini* verbis, priore thesi citatis, manifeste apparet: ac, ut non altius inquiram inter scripta primitivorum protestantium, ipsa confessio Westmonasterientis affirmat Cap. 18. sect. 2. *hæc certitudo non est persuasio mere conjecturalis, & probabilis, innixa spe fallaci, verum infallibilis quædam fidei certitudo, fundamentum habens divinam promissionem salutis; gratiarum, quibus promissiones illæ fiunt, interiorem evidentiam; testimonium denique Spiritus adoptionis, una cum spiritibus nostris testificantis nos esse filios Dei, qui quidem spiritus est arrhabo hæreditatis nostræ, quo in diem redemptionis sigillamur.* Denique ipsa Scriptura, quæ hanc nobis certitudinem tantopere commendat, nullibi affirmat ipsam esse hac in re regulam sufficientem, sed & semper adscribit Spiritui, sicut ad Rom. 8. 16. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*, 1 Joh. 4. 13. *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* ibidem cap. 5. v. 6.

v. 6. *& Spiritus eſt qui teſtificatur, quoniam Spiritus eſt veritas.*

IV. Illud non poteſt eſſe principalis, adæquata, nec ſola regula, quod non univerſaliter ſingulos attingit, quibus neceſſe eſt ad effectum neceſſarium producendum : Sed deinceps (innocenti aliquo defectu, ſeu naturali quadam, ſed innoxia tamen, & irreprehenſibili imperfectione) multi, qui in viſibilis Eccleſiæ gremio ſunt, & qui non ſolum ſine abſurditate, ſed cum magna probabilitate ex electis numerari poſſunt, neceſſario excluduntur, vel omninò, vel ſaltem ab immediato ejus uſu : ſed ita ſæpiſſimè accidit de Scripturis, ut in conditione ſurdorum, infantium, & idiotarum, qui nullo modo Scripturarum beneficium habere poſſunt ; affirmabimus ne igitur, quod abſque ulla regula quoad Deum ſint, vel quod omnes damnantur ? ſicut talis opinio ex ſe abſurdiſſima eſt, & ad juſtitiam, nec non miſericordiam divinam inconſiſtens, ita, quibus rationibus confirmari poſſit, prorſus ignoro : ſi autem horum aliquos ſub novo fœdere eſſe ſupponere poſſumus, ut omnes (ſicut opinor) fateri volunt, non abſurdum eſſe, carere regula, non poſſunt, cum expreſsè affirmetur ; *& erunt omnes edocti à Deo*, Joh 6: 45. *& omnes ſcient me à majore uſque ad minorem*, Heb. 8: 11. Sed fac, hæc difficultas ſoluta ſit: quot illiterati, & tamen pii homines ſunt in Eccleſia, qui literam ne vel in vulgari lingua legere poſſunt, quæ imperfectio, licet quidem non commendanda, neſcio an peccatum ſit? hi nullam immediatam regulæ notitiam habere poſſunt, neceſſe eſt fidem ex aliorum lectura & dictis pendere, ubi unius verbi vel ſententiæ mutatio, additio, aut omiſſio fundamentum pauperibus auditoribus periculoſi erroris eſſe poteſt, quo vel in iniquitate aliqua ignorantes manere, vel mendacio confidenter credere poſſint ; *exempli gratia.* Pontificii, in Catechiſmis ſuis, & publicis plebis inſtructionibus, audacter ſecundum mandatum abſtulerunt, quod uſui & adorationi imaginum nimis adverſari videatur, cum plerique ex iſtis populis, quos in hoc errore talis omiſſio fovet, ſi non ſub ſimplice impoſſibilitate, tamen ſub magna difficultate ſunt, habendi opportunitatem hanc fraudem cognoſcendi : ſed fac, omnes poſſint legere Scripturas vulgari lingua : ubi unus ex millibus invenitur, qui talem originalium linguarum ſcientiam, quibus ſcriptæ ſunt, habet, ut immediato legendi beneficio fruatur ? horum igitur omnium fidem ex interpretum honeſtate pendere oportet, quæ quam incertum ſit fidei fundamentum, multæ correctiones, & emendationes variæ, quotidianæ, & novæ tranſlationes etiam inter proteſtantes, quarum ultimæ ſemper priores defectuum & erro-

errorum increpant & accusant, satis declarant. Et quod postrema in Britannicam linguam interpretatio correctione egeat (ut, si hoc loco proprium esset, facile probarem) docti complures fatentur. Et denique vix minor difficultas occurrit etiam eis, qui in ipsis originalibus linguis edocti sunt, quorum fides saltem oblique pendet ex honestate transcriptorum (cum primos codices omnes fateantur jam dudum periisse). De quibus transcriptoribus Hieronymus etiam suo tempore conqueritur, * dicens, *quod scribunt, non quod inveniunt, sed quod intelligunt.* Et Epiphanius ait, *in bonis & correctis exemplaribus Lucæ scriptum fuisse, quod Christus lachrymatus sit, eumque locum, ab Irenæo allegatum, Catholicos autem deleviſſe, timentes, ne hæretici abusi fuissent.* Ex Marco etiam alii patres integros aliquos versus, Manichæorum causa, sublatos affirmant. Sed præterea, variæ lectiones Hebræi caracteris ratione punctorum, quæ quidam ipsis primis scriptis coæva, alii inventionem diu post excogitatam volunt; discordia aliquorum testimoniorum quæ, citavit Christus & Apostoli, cum iis locis in veteri Testamento, ad quæ referuntur: magna controversia inter patres, quorum aliqui plurimum approbabant interpretationem Græcam septuaginta, in dubium revocantes codices Hebræos, quasi scilicet à Judæis pluribus locis corruptos & vitiatos: Alii vero, sed præsertim Hieronymus magnopere exaltans Hebræum codicem, & non solum rejiciens, sed deridens septuaginta historiam tanquam fabulosam, qua tamen septuaginta interpretatione primitiva Ecclesia præsertim usa est: & historiam illam aliqui Patres integris centuriis ante illum viventes affirmabant esse certissimam. Etiam variæ lectiones codicum græcorum; & magnæ controversiæ inter antiquos patres (quibus erat longè certior, quam habere possumus nunc, cognoscendi oportunitas) de libris admittendis, vel rejiciendis, ut hactenus observavimus. Ea, inquam, omnia & alia plurima, quæ dici poterunt, doctorum animos infinitis dubitationibus, hæsitationibus, & inextricabilibus difficultatibus agitant. Ex quibus bene concludere possumus, quod Jesus Christus, qui semper *liberis suis adesse promisit, & in omnem veritatem eos inducere, & contra omnes adversarii machinationes defendere, & præservare, & super firmissimam petram fidem eorum stabilire*, eos præcipuè ducendos non reliquerit regula tantis hæsitationibus & dubitationibus obvia; Ideò dedit illis Spiritum suum pro principali & præcipuo ductore, quem nec tempus exedere, nec transcriptores, vel interpretes corrumpere possunt: neque ullus adeo illiteratus, surdus, aut tam

* *Hier. Ep. 28. ad Lucin. pag. 247. Epiphan. in Anchor. Tom. 2. oper.*

tam remoto loco positus est, quem non attingat, & recte instruat; cujus etiam Spiritus evidentia & revelatio ea sola est, quâ difficultatibus illis, quæ de Scripturis occurrunt, liberamur: cujus rei experientiam indubitatam ipse vidi, testisque sum, quæ mihi, admirandi divinum erga liberos suos amorem, his ultimis diebus uberrima occasio fuit. Novi enim ex amicis meis aliquos, qui eandem mecum veritatem profitentur, & qui divina veritatis scientiâ, sicut intus & immediatè revelatione Spiritus, & vera vivacique experientia abundè edocti fuerunt, qui non solum Græcæ & Hebraicæ linguæ prorsus ignari sunt, sed qui etiam vulgarem linguam legere non valent, quos cum adversarii presserunt quibusdam testimoniis ex Britannica interpretatione Scripturæ, quæ cum manifestatione veritatis in cordibus suis discordantia senserunt, audacter responderunt Spiritum Dei numquam ita locutum esse, sed corruptionem aliquam esse: non enim crediderunt Prophetarum vel Apostolorum dicta illa esse; quæ cum ego diligentius eorum causa investigarim, revera esse interpretum errorem vel corruptionem inveni, qui, sicut plerisque interpretationibus fit, non tam simplicem & nudam verborum significationem nobis dant, quam quæ magis eorum opinioni aptissima videtur; & hoc mihi visum est Augustini verbis non dissimile esse, qui, postquam dixerit *solis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, illum honorem deferre, ut credat authores eorum in scribendo non erravisse*, addit, *acsi aliquid in eis (viz. canonicis) offenderet literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assequutum esse quod dictum sit, vel me minime non intellexisse non ambigam.* Ita præsupponit posse & in transcriptione & interpretatione errores esse. *Epist. ad Hen. quæ est 19. Tom. 2. fol. 14.*

V. *Si quis igitur me interroget, num hoc modo Scripturas incertas reddere consilium sit?* Absit: thesis ipsa declarat quanti eas habeam; & semel concesso Spiritui (a quo provenere) primo loco, quem & illi ipsæ Scripturæ deferunt; illis secundum locum libenter concedo, nihil detrahens de eo, quod ipsæ sibi assumant: quod Paulus Apostolus duobus præcipue locis declarat; scilicet Rom. 15. 4. *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram eruditionem scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus*; & 2. Timoth. 3. 15. 16. 17. *Sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu: omnis Scriptura, divinitus inspirata, utilis est ad docendum ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne*

opus bonum inſtructus. Nam licet Deus præcipuè & principaliter ducat nos per Spiritum, aliquando tamen tranſmittit conſolationem nobis per filios ſuos, quos ſuſcitat, & quibus inſpirat loqui, & ſcribere verba tempore opportuno, quibus inſtrumenta facti ſunt ſancti in manu Domini ad ſe invicem confirmandos, & animandos; eoque tendunt ad perfectos faciendos, & ad ſalutem inſtruendam; ac, qui Spiritu aguntur, negligere non poſſunt, ſed quaſi naturaliter amant, & mirè delectantur iis verbis vel ſcriptis, quæ ab eodem Spiritu in alio procedunt; quia emanationes illæ cæleſtis vitæ tendunt ad vivificandum animum, ſi aliquando nimia triſtitia vel fatigatione obruitur. Ipſe Petrus declarat hunc fuiſſe ſibi ſcribendi finem in Epiſt. 2. cap. 1. v. 12. *Quapropter non negligam vos de iſtis ſemper commonefacere, quamvis peritos & ſtabilitos in præſente veritate; juſtum autem duco, quamdiu ſum in hoc tabernaculo, expergefacere vos per ſubmonitionem.* Et nihil magis expreſsè dicitur, quàm quod, qui ſub novo fœdere ſunt, non neceſſe habent, ut quiſpiam illos doceret; fructus tamen Chriſti aſcenſionis fuit doctores & paſtores mittere ad conſummationem Sanctorum: ſic idem opus Scripturis attributum eſt, quod doctoribus & paſtoribus illis, nempè, ut his homo Dei perfectus ſit ad conſummationem ſanctorum. Sicut igitur ſub novo fœdere paſtores & inſtructores inſtructioni Spiritûs non antehabendi, ſed poſtponendi ſunt; nec dantur nobis, ut nos illo privilegio Spiritus, quod Chriſtus ſuo ſanguine nobis obtinuit, ſpolient; ita nec Scriptura Spiritus inſtructionibus anteponenda eſt, nec nos illis ſpoliari oportet.

Secundo, Deus voluit, ut in iis conditiones & experientias veterum ſanctorum, quaſi in ſpeculo, videamus, ut, eorum ſtatum noſtro reſpondentem obſervando, magis inde confirmaremur, &, conſolatione roborati, ſpem auctam haberemus ejuſdem finis obtinendi; ut etiam, providentiam illos attendentem intuendo, &, quas obvias habebant, inſidias, & quomodo liberabantur, iis omnibus ad ſalutem inſtructi opportunè argueremur, & in juſtitia doceremur. Hoc magnum Scripturarum opus eſt & erga nos uſus, ut in nobis impletas habeamus; ut Dei Spiritus in illis ſignaturam cognoſcamus illa interna, quam habemus cum eodem Spiritu, communione; & quaſi neceſſitudine Prophetiæ etiam Scripturæ nobis conſolabundæ ſunt & perutiles, ut eodem Spiritu illuminati impletas illas obſervemus: nam in his omnibus obſervandum eſt, ſpiritualem ſolummodo hominem illis recte uti poſſe: utiles ſunt, ut homo Dei perfectus ſit (non igitur eſt homo naturalis) &, quæcumque autem ſcripta ſunt, ad noſtram eruditionem

nem ſcripta ſunt; nos qui fideles, nos qui ſancti ſumus: de iis enim loquebatur Apoſtolus: nam, quoad alios, Petrus apertè declarat, quod indocti & inſtabiles eis abutantur ad ſuam ipſorum perditionem: hi indocti fuerunt in divina, & cæleſti doctrina Spiritus, non in humana & ſcholaſtica, cujus bene præſumere poſſumus ipſum Petrum, hominem piſcatorem, non fuiſſe edoctum; imo cum magna probabilitate affirmare poſſumus illum Logicæ Ariſtotelicæ prorſus fuiſſe ignarum, quam nunc & Pontificii & Proteſtantes, à ſimplicitate veritatis degenerantes, Theologiæ ancillam (ut loquuntur) faciunt, & neceſſariam volunt introductionem carnali, humano, & naturali ſuo miniſterio. Cujus generis homines, innumeris & obſcuris laboribus ethnica rudera immiſcentes Scripturæ, hodie tam inutiles plebi redduntur. De quo ſi Hieronymus ſuo tempore conqueritur, jam à mille & ducentis annis, * dicens, *quod pleriſque nimium diſertis accidere ſolet, ut magis ſit intelligentiæ difficultas in eorum explanationibus, quam in iis, quæ explanare conantur.* Quid nunc dicere poſſumus, cum tot acervi commentariorum, ſeculis longè corruptioribus, additi ſint?

* *Hieron. Epiſt. 134. ad Cypr. Tom. 3.*

VI. Hactenus, quo reſpectu ſacræ Scripturæ ſint utiles & neceſſariæ Eccleſiæ Dei, nempè, ut ducente & juvante Spiritu iis utatur, oſtendimus; ideoq; ſecundaria regula exiſtimari poſſunt. Sed præterea, quia unanimiter (excluſis quæ Apocryphæ dicuntur) ab omnibus Chriſtianis recipiuntur, & dictante Spiritu ſcriptæ habentur, & ſi qui errores, injuria temporis, irrepſerint, parvi ſunt, præſertim in rebus ſubſtantialibus, ita ſaltem, ut teſtimonium amplum & ſufficiens omnibus Chriſtianæ Religionis eſſentialibus relictum ſit, exiſtimamus eas eſſe aptiſſimum externum inter Chriſtianos controverſiarum judicem, ita ut, quæcunque doctrina iis contraria ſit, jure merito negari poſſit, & quaſi hæreſis rejici: Et pro noſtra parte & doctrinas & mores noſtros earum examinationi libentiſſime concedimus; quod nunquam nec recuſavimus, nec recuſabimus in omnibus cum adverſariis controverſiis eſſe judicem, & amuſſim: volumus etiam ex animo, hoc tanquam poſitivum, & certum principium admittatur; ut, quodcunque quis, prædicans ſe Spiritu duci, contrarium Scripturis perpetrat, deluſio & machinatio diabolica exiſtimetur: nam non ideo Spiritu duci ambimus, ut in malo aliquo noſmetipſos defendamus; cum & certè ſciamus, ut, ſicuti malum quodque Scripturis contradicit, *ita etiam primo loco Spiritui contrarium eſt, à quo Scripturæ provenerunt*, & cujus motiones ſibi invicem contradicere nunquam poſſunt, licet contradicere

aliquando videantur cœco naturalis hominis intellectui, ſicut Paulus & Jacobus ſibi invicem contradicere apparent. Hucuſque oſtendimus, & quæ credimus, & quæ non credimus de ſacris literis, quibus locum ſuum dediſſe ſperamus: ſed quia ii, qui neceſſariò volunt eas eſſe ſolam certiſſimam & principalem regulam, non carent argumentis etiam ex Scriptura (licet illa hoc ſibi nullibi vendicet) quibus doctrinam ſuam probare conantur, ea breviter ſubjiciam, iiſque objectionibus reſpondebo, priuſquam hujus theſis finem faciam.

VII. Prima objectio frequenter deducitur ex Eſaia cap. 8. v. 20. *Ad legem & ad teſtimonium, ſi non dixerint juxta verbum hoc, quia non eſt eis aurora.* Hanc autem legem & teſtimonium volunt eſſe Scripturas: Ad quod reſpondeo, hoc eſt quæſtionem petere, & adhuc in dubio manet; quare enim hanc legem & teſtimonium non poſſimus internum vocare, neſcio: ſed fac, ſit externum, nec nobis adverſatur, nec illis magis favet; nam, ſine cauſæ noſtræ detrimento, confiteri poſſumus externam legem Judæis in Regulam ſpeciali aliquo modo datam, & magis principaliter, quam nobis; cum lex iis externa & literalis fuit; & (ſicuti hactenus probatum eſt) lex nobis, qui ſub novo fœdere ſumus, interna & ſpiritualis eſt; ideoque hoc Scripturæ teſtimonium nobis non ſolum non adverſatur, ſed & multum favet: ſi enim Judæis præceptum fuit omnia ſecundum legem ſuam, quæ extra erat in lapideis tabulis & membranis, examinare; ſi volumus hoc nobis Prophetæ conſilium adaptare, neceſſe eſt adæquatum ſit diſpenſationi illi Euangelicæ, quâ nos nunc vivimus; unde fiet, quod oportet nos omnia primo loco examinare ſecundum verbum illud fidei nobis prædicatum, quod Apoſtolus in corde eſſe affirmat, & ſecundum legem illam, quam dedit nobis Deus, quam idem Apoſtolus expreſſe affirmat, & annunciat in corde eſſe inſitam. Denique, ſi ſecundum interpretationem Græcam ſeptuaginta hunc locum inſpiciamus, nihil, quod inde carpant, habebunt adverſarii, nobis autem amplius favebit; illa enim ſolum dicit legem, εἰς βοήθειαν in auxilium, datam eſſe, quod cum ſententia noſtra ſupra ſignificata optimè quadrat. Secunda objectio eſt ex Johan. 5. 39. *Scrutamini Scripturas.* Reſpondeo, primò, quod Scripturas ſcrutari debeamus, non negatur; ſed, quod & per illas examinari parati ſumus, ſupra diximus. Quæſtio autem eſt, num principalis & ſola regula ſint: quod non ſolum hoc loco non probatur, ut & contrarium inde luculenter appareat; redarguit enim hîc Chriſtus Judæos pro nimia erga Scripturas veneratione, dum illum

illum negligerent, qui Scripturis erat anteponendus, & de quo teſtabantur, ſicut declarant ſequentia verba, *quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*: unde apparet, quod, dum vitam æternam aſſequi putarent in Scripturis, negligebant Chriſtum adire, ut vitam haberent; quod optimè noſtro propoſito reſpondet, cum adverſarii hodiè magnificent Scripturas, exiſtimantes in illis vitam conſequi, dum ſcilicet illas principalem, & unicam regulam, & vitæ viam vocant, & interim adire recuſant Spiritum, de quo Scripturæ teſtantur, imo ſpiritualem & internam legem, quæ vitam communicare poteſt: illius igitur populi ignorantia nequaquam ex Scripturæ contemptu aut neglectu proveniebat, quam licet & ſcirent & exaltarent, teſtatur tamen Chriſtus in priore verſu, quod *vocem Patris nec audiverant, nec ſpeciem ejus viderant, nec verbum ejus manens in illis habebant, ideoque in filium non credebant.* Præterea, locus ille indicativè non ſecus, ac imperativè ſumi poteſt; nam Græcum ἐρευνᾶτε utrumque ſignificat, quod *Paſor* indicativè interpretatur; quod etiam ſequente redargutione magis genuinum, & veriſimile videtur; ſic etiam opinatur Cyrillus.

VIII. Objectionem tertiam ex verbis deducunt Act 17: 11. *Hi autem erant nobiliores eorum, qui ſunt Theſſalonicæ, qui ſuſceperunt verbum cum omni aviditate, quotidiè ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent*: hic, inquiunt, laudantur Beræi, quod Scripturas ſcrutabantur. Reſpondeo, non inde ſequitur, quod Scripturæ ſint vel principalis, vel unica regula: nos enim laudamus & approbamus Scripturarum uſum, non inde ſequitur, quod regulam primariam, & unicam exiſtimemus. Secundò, obſervandum eſt hos fuiſſe Berææ Judæos, quibus Scripturæ illæ, nempè lex & Prophetæ, magis ſpecialiter fuerunt regula; & quæſtio erat, num partus, vita, opera, & paſſio Chriſti prophetiis, de illo antecedentibus, reſponderent; ita aptiſſimum erat iis, ſcilicet Judæis, Apoſtoli doctrinam ſecundum Scripturas examinare; cum Scripturam impletam eam eſſe prædicarent. Dicitur tamen, primò, quod ſuſceperunt verbum cum aviditate; & ſecundò, ſcrutabantur Scripturas. Scripturæ enim ad convertèndum non valuiſſent, niſi prius verbum Dei permanens in ſe habuiſſent, quo intellectus aperti ſunt & illuminati; non magis quam Scribæ, & Phariſæi, qui (ut in priore objectione obſervatum eſt) Scripturas ſcrutabantur, & magnificabant, & tamen in incredulitate permanebant, quia verbum in ſe permanens

non habebant. Sed denique, si hæc Judæorum Bereensium commendatio inferret scrutationem Scripturarum esse principalem, & unicam regulam ad Apostoli doctrinam examinandam, quid de Ethnicis ageretur? quomodo unquam reciperent fidem Christianam, qui Scripturas nec cognoverunt nec crediderunt? In ejusdem capitis fine videmus, quomodo Apostolus, Athenienſibus Evangelizans, alia methodo usus est, *& ad aliquod de Deo in semetipsis adhortatus est, ut attrectarent eum*: non primo conatus est disciplinare eos in Religionem Judaïcam,& in credulitatem Legis & Prophetarum, inde probaturus adventum Christi; nequaquam: brevius agebat. Sed certissimum est, primariam & unicam regulam non esse differentem vel disparem, unam Judæis, alteram Ethnicis, sed universalis est, omnibusque applicabilis; licet secundariæ & subordinatæ regulæ variæ esse possint, diversèque ad usum eorum secundum necessitates & respectivas circumstantias accommodatæ: Sic enim vidimus Apostolum apud Athenienses usum esse testimonio Poëtæ, quod existimabat nonnihil apud illos valere: Et absque dubio talia testimonia, quorum authores venerabantur, majoris ponderis apud illos fuere, quam omnia Moysis vel Prophetarum dicta, quos nec cognoscebant, nec æstimabant. Sed quia Apostolus ad Athenienses usus est testimonio Poëtæ, num inde sequitur, fecisse illud principalem seu unicam regulam ad doctrinam suam examinandam? sic nec sequetur, licet usus sit Scripturis ad Judæos (quasi principio jam ab eis credito) & commendaverit eos, quod secundum Scripturas doctrinam examinaverint, Scripturas ideo esse habendas primariam seu unicam Regulam.

IX. Ultima objectio, & quæ primo aspectu gravissima videtur, sic se habet. *Si Scriptura non sit adæquata, primaria, & unica regula, tum non est completus canon, & si canon non sit impletus, & etiam homines nunc immediatè ducantur & regulentur Spiritu, tunc addere possunt novas Scripturas cum antiquis authoritate æquandas, cum, quicumque addit, execrationi subjaceat, imo unusquisque novum Evangelium ad libitum introducere potest.* Quibus periculosis consequentiis hac objectione insinuatis posteriore præcedentis thesis parte ample respondetur, & in eo, quod paulo ante diximus, libenter concedimus omnes pseudorevelationes disclamare, quæ Scripturis contrariæ sunt. Sed si urgeatur *non sufficere has consequentias negare, si naturaliter ex doctrina nostra de immediata revelatione & de Scripturis sequantur.* Respondeo, utrasque illas doctrinas veras & necessarias esse probavimus, etiam secundum ipsas Scripturas; qui igitur ex illis malas conse-

ſequentias aſſumunt, quas non ſequi oſtendimus, non ſolum nos accuſant, ſed Chriſtum & Apoſtolos, qui eas prædicabant. Secundò, tales conſequentias omnino reſcidimus in hac theſi, qua affirmavimus Scripturas dare amplum, & copioſum præcipuis Chriſtianæ fidei doctrinis teſtimonium: Nam firme credimus nullum aliud Evangelium eſſe prædicandum, niſi illud, quod hactenus traditum eſt ab Apoſtolis, ideoque illis verbis libenter ſubſcribimus, *quicunque aliud prædicat Evangelium, quam quod hactenus prædicatum eſt ab Apoſtolis, & in Scripturis declaratum, ſit Anathema.* Ita diſtinguimus inter *revelationem novi Evangelii, & novam revelationem boni antiqui Evangelii*, hanc affirmamus, illam vero negamus; nam certo credimus *aliud fundamentum nemînem ponere poſſe, niſi quod hactenus poſitum eſt.* Quod autem talis revelatio neceſſaria ſit, hactenus probatum eſt, & hæc diſtinctio ſatis contra illius objectionis periculum nos propugnat. Quod vero Scriptura ſit canon completus, nullam ita credendi neceſſitatem video; & ſi illi, qui Scripturam unicam regulam affirmant ſuæ doctrinæ, animadvertant, oportet mecum ita ſentiant, cum ſimpliciter impoſſibile ſit canonem per Scripturam probare: in quo enim Scripturarum libro inveniri poteſt illos & ſolummodò illos libros eſſe canonicos, ut omnes hoc fateri cogantur? Quomodo igitur hoc argumentum evitare poſſunt? Quod Scriptura non poteſt probari, illud non eſt neceſſarius fidei articulus: Sed Canon Scripturæ, videlicet quod ſint præcisè tot libri, nec plures, nec pauciores, non poteſt probari Scripturâ: Ergo non eſt neceſſarius fidei articulus. Si prætendant admiſſionem aliorum librorum, nunc ſcribendorum, novorum dogmatum introductionem inferre, hanc conſequentiam nego; nam præcipuæ & fundamentales doctrinæ Chriſtianæ Religionis decima parte Scripturarum, ne dicam centeſima, continentur, non tamen inde ſequitur cæteras omnes frivolas, & inutiles eſſe, vel à Spiritu non dictatas; ſi tamen ita Deo placeret aliquos ex iis libris, qui temporis injuria perditi ſunt, & quorum ipſa Scriptura meminit, ſicut *prophetiam Enoch, librum Nathanis*, & vel *tertiam Pauli ad Corinth. Epiſtolam*, ad manus noſtras adducere, quare illos non poſſimus recipere, & reliquis annumerare, haud video; hoc ſolum mihi diſplicet, quod affirment Scripturam eſſe unicam, & primariam regulam, & interim magnum fidei articulum illud prædicant, de quo Scriptura nihil certi affirmare poteſt; *exempli gratia*, quomodo poteſt Proteſtans alicui, neganti Jacobi Epiſtolam eſſe canonicam, per Scripturam probare? Primò, ſi affirmet,

quia

quia cæteris non contradicit (nam nulla illius mentio fit in cæteris) fortaſſe hic putat, quod Paulo contradicit in doctrina de fide & operibus: ſed, ſi illud conceditur, non minus ſequeretur, quam quod omnis Scriptura humana, Scripturis Canonicis non contradicens, in canonem referenda erat, & ſic in majorem longè abſurditatem incidunt, quam nobis imponere conabantur: nam hoc modo unuſquiſque ſuæ ſectæ ſcripta cum ſacris literis æqualia faceret. Non dubito, quin hi confeſſionem fidei ſuæ Scripturis non contradicere autument; num inde ſequitur, quod cum Bibliis ſimul appingi debeat? & tamen non videtur poſſibile, ſecundum horum principia, alio modo, Epiſtolam Jacobi eſſe canonicam, probare. Ad hanc igitur anguſtiam neceſſariò res deducta eſt, vel affirmare, quod novimus eam eſſe authenticam eodem Spiritus teſtimonio in cordibus noſtris, quo ſcripta erat; vel Romam reverti, dicendo, traditione novimus Eccleſiam eam in Canonem retuliſſe, & Eccleſiam infallibilem eſſe; medium, ſi quis poſſit, inveniat: Ex hac igitur objectione argumentum ad hominem invincibile noſtro propoſito deducam. *Illud, quod me certum facere non poteſt de articulo fidei creditu neceſſario, non eſt primaria, adæquata, & unica fidei regula: Sed Scriptura ita me certum facere non poteſt: Ergo.* Aſſumptionem probo. *Illud, quod me certum facere non poteſt de canone Scripturæ, de articulo fidei creditu neceſſario me certum facere non poteſt: Sed de hoc Scriptura me certum facere non poteſt, Ergo.* Et denique quod ad verba Apocal. cap. 22: v. 18. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.* Velim demonſtrent mihi, quod aliò referantur hæc verba, quam ad ſingularem illam Prophetiam; non dicit, nunc Canon Scripturæ perfectus eſt; neminem ampliùs ab eodem Spiritu ſcribere oportet. Nonne omnes fatentur poſtea fuiſſe Prophetias, & veros Prophetas? Pontificii non negant; & annon affirmant Proteſtantes Johannem Huſſum prophetaſſe de Reformatione futura, num ideo execrandus fuit, vel peccavit? multa alia exempla, quæ ipſi fatentur, producere poſſem: ſed præterea, idem longè antea præceptum eſt Prov. 30: 6. *Ne adjicito ad verba ejus, ut non corripiat te, neve mendax eſto.* Quot tamen poſtea Prophetarum libri ſcripti ſunt? Idem etiam à Moyſe dictum eſt Deut. 4: 2. *Ne addite ad verbum illud, quod ego præcipio vobis, neque detrahite de eo.* Porro, licet hoc Apocalypſeos extra ſingularem illam Prophetiam extendatur, illud tamen intelligi non poteſt, niſi de novo Euangelio, vel novis doctrinis prioribus contrariis, vel de humano

no ſpiritu arcendo, quò minus ſua verba humana cum divinis conjungat; & non de nova, ſeu magis copioſa antiquorum dogmatum revelatione, ut ſupra diximus.

Theſis Quarta.

Tota poſteritas Adamica, ſive gens humana, cum Judæi, tum Ethnici, quoad primum Adam ſeu hominem terreſtrem, lapſa, degenerata, & mortua eſt, deprivata ſenſu vel tactu interni hujus teſtimonii & Seminis Dei, & ſubjecta eſt potentiæ naturæ, & Semini Satanæ, quod ille ſevit in cordibus hominum, dum in naturali & corrupto ſtatu permanent: unde fit, quod non ſolum dicta & facta, ſed & omnes imaginationes eorum malæ ſint perpetuò in conſpectu Dei, utpote à depravato hoc & maligno ſemine provenientes. Homo igitur, quatenus in hoc ſtatu ſubſiſtit, nihil rectè poteſt cognoſcere, imò, & cogitationes & conceptus ejus de Deo, rebusque divinis, donec à pravo illo ſemine disjunctus, divinoque lumini adjunctus ſit, & ipſi, & aliis omnibus, omninò inutiles ſunt. Hinc rejiciuntur errores Socinianorum & Pelagianorum, qui *lumen naturale* exaltant; nec non Pontificiorum, ac complurium Proteſtantium, qui affirmant poſſe hominem abſque verâ Dei gratiâ eſſe Euangelii miniſtrum, & animabus prodeſſe. Non tamen hoc ſemen infantibus imputatur, niſi quando actualiter ei ſeſe peccando conjungant; *Nam ii ſunt naturâ filii iræ, qui ambulant ſecundum principem aëris, & ſpiritum agentem in hominibus contumacibus, qui converſantur in cupiditatibus carnis, facientes quæ carni ac cogitationibus libent.* Eph, 2.

1. HActenus de obtinendâ verâ Dei cognitione diximus, item cujus uſus & miniſterii ſacræ literæ ſint. Nunc ad examinationem ſtatus & conditionis hominis venimus, ut in lapſu ſtat, quæ ſit ejus capacitas & vis, & quantum progreſſum ex ſe in rebus Dei facere valeat. De hoc paululum egimus in initio

theſis ſecundæ; ſed hujus rei copioſa & perfecta diſcurſio ac ſcientia multum prodeſt: nam ex ejus ignorantia & altercationibus, quæ de illa provenerunt, magni & periculoſi errores ab utrâque parte exorti ſunt; dum quidam tantoperè lumen naturale exaltant, & facultates naturalis hominis, ut eum capacem ex ſe, virtute internæ voluntatis, luminis, ſeu vis ad naturam ſuam pertinentis, bonum aſſequi, & realiter cælum verſus progredi velint. Ex his olim fuere Pelagiani, & Semipelagiani; & hodie Sociniani, & multi inter Pontificios. Quidam autem in alterum extremum ita recedunt (quibus Auguſtinus, declinante jam ætate, zelo contra Pelagium agitatus, viam primus omnium ex antiquis aperuit) ut non ſolum fateantur homines ex ſe ad bene agendum ineptos, & ad malum proclives; ſed & affirment, quod homo, dum adhuc in utero matris eſt, & antequam peccatum ullum actuale perpetrat, reatus & peccati criminis verè noxius ſit, quo æternam mortem meretur: cujus causâ non horreſcunt affirmare innumeros infantes ſempiternè damnari, & perpetuò inferni tormentis cruciari. Ideo Deus veritatis, cum jam demum veritatem ſuam revelavit, bonam illam & æquam viam, ſuo Spiritu docuit nos utrumque extremum fugere; quod nobis nunc tractandum theſis noſtra proponit. Et primò quidem, qualis ſit ſtatus hominis in lapſu, & quantopere incapax ſit ad res divinas operandas. Secundò, quòd Deus hoc malum infantibus non imputat, donec ſe illi actualiter peccando conjungant, ut ſic, veritatem confirmando, errores ex utrâque parte enerventur. Quod ad tertium attinet, illud, theſibus incluſum de paſtoribus gratiâ carentibus, ad decimam theſin referetur, ubi magis particulariter tractatur.

II. Quod ad primum, curioſas illas notiones, quas plerique docent, de ſtatu Adæ ante lapſum prætereo; in hoc omnes conſentiunt, quod lapſu magnam fœlicitatem amiſerit, non ſolùm in iis, quæ ad externum hominem ſpectant, ſed etiam reſpectu propinquæ illius, quam cum Deo habebat, communionis; hoc detrimentum in præcepto illi ſignificatum fuit, *quo die comederis ex eo, utique morieris.* Gen. 2. 17. Hæc mors non fuit externa, ſeu diſſolutio exterioris hominis; nam quoad hanc non mortuus eſt, niſi multos poſt annos. Ita oportet eſſe mortem, quoad ſpiritualem vitam & communionem cum Deo. Hujus lapſus conſequentia, præterquam quòd referat ad terræ fructum, etiam exprimitur cap. 3. v. 24. *expulit ipſum hominem, ſtatuitque à parte anteriore Hedenis Cherubines, & mucronem gladii ſeſe vibrantis, ad cuſtodiendum viam arbo-*

arboris vitæ. Qualemcunque nunc literalem ſignificationem hæc verba habeant, huic paradiſo myſticam ſignificationem attribuere ſine injuriâ poſſumus, & realiter nominare Spiritualem illam communionem, & communicationem, quam Sancti cum Deo obtinent per Jeſum Chriſtum, cui ſoli Cherubini illi cedunt, ut & unicuique, qui intrat per illum, qui ſe *oſtium* vocat. Sic licet nihil Adæ peccati hominibus imputemus, donec ſuum faciunt, talibus inobedientiæ actibus; ita nec concipere poſſumus, quod homo, qui ex Adamo naturaliter oriundus eſt, bonum aliquod in naturâ ſua habeat, ad illam pertinens, quod ille non habuit, ex quo derivatur. Si igitur affirmare poſſimus, quod ille in naturâ ſuâ, ad eam pertinentem, retinuerit nullam voluntatem, nec lumen capax ex ſe ſpiritualia manifeſtandi; ita nec poſteritas ejus: quodcunque enim bonum homo agit in naturâ ſuâ, ex ipſo minimè procedit, ſed ex ſemine divino in illo, quo nova viſitatio vitæ eſt, ut ex naturali ſtatu redimatur. Licet igitur ſit in illo, non ex illo eſt; & hoc Deus ipſe teſtatus eſt, dicens, Gen.6. 5. *Et vidit Iehova, omne figmentum, ac cogitationes cordis ejus, tantummodo malum eſſe omni tempore.* Quę verba quàm maximè poſitiva ſunt, & comprehenſiva; obſerva emphaſin, omne figmentum, id eſt, cogitationes cordis ejus, ubi nulla exceptio admitti poteſt; nullum figmentum, nulla cogitatio excipitur. Secundò, *tantummodo malum omni tempore*, non eſt aliquando malum omni tempore, nec tantummodo malum aliquo tempore, ſed & tantummodo malum, & omni tempore malum: quo certè omne bonum excluditur, ut effectus proprius & naturalis humani cordis; quod enim tantummodo malum eſt, & omni tempore, ex naturâ ſua, vel ex ſe, nullum bonum proferre poteſt; hoc etiam Dominus paulò poſt exprimit cap.8:21. *quamvis figmentum cordis hominis malum ab adoleſcentia*, quo, quàm naturale & inſitum illi ſit, apparet: ex quibus ſic argumentor.

Si cogitationes cordis humani non ſolum tantummodo malæ ſunt, ſed & omni tempore malæ, tunc, ut à corde ſuo proveniunt, nec aliquantulum bonæ ſunt, nec aliquo tempore: Sed prius eſt verum: Ergo & poſterius.

Et iterum. Si cogitationes hominis ſunt omnes & omni tempore malæ; tunc inutiles & prorſus inefficaces ſunt in rebus Dei: ſed prius eſt verum: Ergo & poſterius.

Secundò, hoc etiam luculenter apparet ex illo Prophetę Jeremiæ 17. 9. *Fraudulentum cor ipſum ſupra omnia, & mortiferum eſt*: quis e-

nim, cum aliquâ rationis ſpecie, autumare poteſt, tale cor ex ſe habere poteſtatem, aut aptitudinem, vel aptum eſſe hominem ad juſtitiam perducendi, cui ipſum ex naturâ ſuâ tam oppoſitum eſt ? Hoc non minus rationi contrarium eſt, quàm in natura impoſſibile, quod lapis ex ſuâ naturâ, & proprio motu in aërem evolet, & aſcendat : nam ſicut lapis ex natura ſua ad imum inclinat, & ad centrum proclivis deſcendit ; ſic cor hominis naturaliter pronum & proclive eſt ad malum. Ex quibus ſic etiam argumentor.

Quod fraudulentum ſupra omnia & mortiferum eſt, hoc nec aptum eſt, nec potens hominem gubernare in rebus bonis & honeſtis : Sed cor hominis tale eſt. Ergo. Paulus autem Apoſtolus, in Epiſt. ad Rom. cap. 3. v. 10. ſtatum hominis in lapſu copioſè, ſicut ex Pſalm. extraxerat, deſcribit : *quia non eſt juſtus quiſquam, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum ; omnes declinarunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum : ſepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum, quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt. Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem, contritio & infelicitas in viis eorum, non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Quid magis poſitivum dici poteſt? Videtur miræ curæ fuiſſe, ne quid boni naturali homini aſcriberetur. Oſtendit, quomodo pollutus eſt in viis ejus omnibus ; quomodo expers juſtitiæ, intelligentiæ, & ſcientiæ Dei ; quomodo declinarit, & denique inutilis factus ſit : quo nihil copioſius ad noſtram ſententiam confirmandam dici poteſt : nam ſi hic ſit ſtatus naturalis hominis, ſeu ut ſtat in lapſu & corruptâ naturâ, oportet confiteamur, quod, dum hoc modo ſtat, omninò incapax ſit ad cælum progredi. Si objiciatur, *non hoc loco dici de ſtatu hominis (in lapſu) in genere, ſed ſolummodo de quibuſdam individuis, vel ſaltem quod non comprehendat omnes.* Contextus contrarium demonſtrat in prioribus verſibus, ubi Apoſtolus ſeipſum & Judæos includit, ſicut in naturali ſtatu ſtetit. *Quid ergo ? præcellimus eos ? nequaquam : cauſati enim ſumus Iudæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe, ſicut ſcriptum eſt* ; & ſic procedit ; unde apparet, quod de homine in genere loquitur. Objiciunt, quod idem Apoſtolus ait in ſecundo capite. v. 14. ſcilicet, quod *gentes naturâ ea, quæ legis ſunt, faciant*, & ideo naturâ faciunt id, quod bonum & acceptum eſt in conſpectu Dei. Reſpondeo, hæc natura intelligi nec debet, nec poteſt de *naturâ propriâ hominis*, quæ corrupta, & lapſa eſt; ſed de *naturâ ſpirituali*, quæ procedit à ſemine

Dei

Dei in homine, sicut novam visitationem divini amoris recepit, & eâ vivificatur: quod manifestè apparet ex sequentibus verbis, in quibus ait, *ii legem non habentes* (i. e. externam) *ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Sed Scriptura testatur, opus legis, seu legem, in corde scriptam, partem esse, imò magnam partem dispensationis novi fœderis; & ideo nulla consequentia, seu pars hominis naturæ esse potest. Secundò, si natura, hoc loco dicta, intelligi poterit de naturâ propriâ hominis, quam, ut homo est, habet, tunc necessariò contradiceret sibi ipsi Apostolus, qui alibi affirmat naturalem hominem non percipere ea, quæ Dei sunt, nec posse ea intelligere; nemo autem negabit legem Dei esse ex iis, quæ Dei sunt, præsertim ut in corde scripta est. Apostolus cap. 7. ejusdem ad Rom. Epistolæ ait, v. 12 *quod lex sit sancta, justa & bona*, & v: 14. *quod lex sit spiritualis, sed ipse carnalis.* Quo autem respectu dicendus est Apostolus carnalis, nisi quatenus in lapsu stetit non regeneratus? Quænam autem foret absurditas, dicere hominem esse carnalem, non tamen ex naturâ suâ, cùm à naturâ suâ denominetur? Videmus Apostolum contradistinguere legem spiritualem à naturâ carnali, & peccatrice hominis. Sicut Christus ait de spinis non colligi uvas, nec de tribulis ficus; Matth. 7. 16. ita neque legis obedientia, quæ spiritualis, sancta & justa est, expectari potest à naturâ hominis, quæ corrupta & lapsa est, & degeneravit. Ita ut benè concludamus, naturam, cujus hoc loco meminit Apostolus, quâ gentes dicuntur facere ea, quæ legis sunt, non esse communem hominum naturam, sed spiritualem naturam, quæ ex opere spiritualis & justæ legis in corde scriptæ procedit: fateor eos, qui alterum extremum tenent, quando hoc testimonio à Socinianis & Pelagianis (ut etiam à nostris, quando hoc testimonio ostendimus, quomodo ex gentibus aliqui lumine Christi in corde salutem adepti sint) premuntur, & ad angustias reducuntur, respondere, quasdam reliquias cælestis imaginis in Adamo relictas esse. Sed cum hoc absque probatione affirmatum sit, ita & dictis suis alibi contradicit, quo etiam causam suam amittunt: nam si illis reliquiis justam Dei legem adimplere potuerint, vel Christi adventus non fuit necessarius, vel sine illo homines salutem consequi potuerunt; nisi dicant, quod adhuc pessimum est, fuisse illos homines damnatos (licet legem adimpleverint) quod illius singularis scientiæ (de Christo futuro) ignari fuerint, quam scientiam Deus ipsis impossibilem fecit. Sed de hoc postea.

III. Alio argumento hic uti possem ex istis Apostoli verbis 1 Cor. 2.

quibus ita præcisè naturalem hominem excludit ab intelligentia rerum divinarum: sed quoniam de illo loco locutus sum initio thesis secundæ, repetere hîc nolo. Veruntamen quia Sociniani & alii, qui lumen naturalis hominis, seu naturale aliquod lumen in homine exaltant, contra hæc verba objiciunt, illud, antequam progrediar, removere studebo. Aiunt verbum Græcum hoc loco esse ΨΥΧΙΚΟΣ, & ideo interpretari volunt animalem hominem, non naturalem: ex quo inferunt animalem solummodo hominem, non rationalem hoc loco excludi à percipiendo res divinas: quæ evasio, non certando de verbo, facilè refutatur, nam nullo modo cum capitis illius scopo consistit.

Nam primò, animalis vita nulla alia est, quam illa, quam homines cum cæteris animalibus viventibus communem habent: nam sicut merus homo est, non aliter à brutis, quàm rationalitate, differt. Apostolus autem argumentum suum deducit præcedentibus versibus, ab hac similitudine, quod sicut ea, quæ hominis sunt, non cognoscuntur nisi spiritu hominis, ita quæ Dei sunt, non nisi Spiritu Dei noscuntur. Sed puto hos mihi concessuros, quæ hominis sunt non nosci solo animali spiritu, illo scilicet, quem cum brutis communem habet, sed rationali: Sic oportet rationalitatem hoc loco intelligi. Præterea, subsumptio abundè demonstrat, Apostolum nequaquam voluisse, quod hi commentantur; ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei: Secundum horum sententiam dici oportuit, quæ Dei sunt nemo cognovit animali spiritu, sed rationali: spiritus autem hic Dei, non (absque blasphemiâ) rationalis hominis Spiritus, dicendus est, quum tam frequenter contra distinguantur: & rursus, cum progreditur Apostolus, non ait, quia rationaliter examinantur, sed quia spiritualiter examinantur.

Secundò, Apostolus per totum hoc caput demonstrat, quomodo sapientia hominis incapax sit judex in rebus Dei, earumque ignara. Nunc hos interrogo, num dicatur homo sapiens ab animalitate, an à rationalitate? Si à rationalitate, tunc non solum animalis, sed etiam homo rationalis, ut adhuc in naturali statu permanet, ab Apostolo excluditur; quem etiam à Spirituali homine contradistinguit, *qui*, v. 15. *omnia judicare dicitur*; hoc enim de nemine, utut rationali, dici potest; nam homines maximè rationales, si ita liceret eos haberi, quos Scriptura sapientes vocat, quales olim Græci fuere, non solum possunt, sed etiam sæpissimè fuerunt regno cælorum inimicissimi: *quum & annunciatio Christi sapientibus stultitia, & sapientia hujus mundi apud Deum stultitia fuisse*

fuiſſe dicatur. Num autem veriſimile ſit, ſapientes illos, qui Evangelium ſtultitiam exiſtimaſſe dicuntur, intelligendos, non ut rationales, ſed ſolum ut animales fuerunt; vel ſapientiam illam, quæ apud Deum ſtultitia eſſe dicitur, non de rationalitate, ſed tantum de animalitate intelligendam, quilibet homo rationalis, affectibus & paſſionibus depoſitis, judicare facilè poterit.

IV. Ad alteram jam partem venio, nempè, quod malum hoc & corruptum ſemen non ſit imputatum infantibus, donec actualiter ſeſe ei peccando conjungant. Cujus propoſitionis argumentum ipſa theſi datum eſt ex 2 Eph. cap. *Nam ii ſunt naturâ filii iræ, qui ambulant ſecundum principem aëris, & ſpiritum agentem in hominibus contumacibus, &c.* Apoſtolus hoc loco malas actiones, non aliquid ad actum non reductum, prò argumento, quare filii iræ ſint, aſſignat: & hoc toti Evangelii ſcopo competit, quod neminem condemnet, nec minitetur, qui non actualiter peccaverit: revera, qui in peccato permanent, & ita parentum iniquitates homologant & ſequuntur, viſitabit Deus patrum iniquitates ſuper filios. Mirum ne eſt igitur, quod opinionem ita abſurdam, adeò crudelem, nec non divinæ miſericordiæ & juſtitiæ contrariam foveant homines, de qua Scripturæ omninò ſilent? Sed apparet, opinionem hanc initium ſuum trahere ex amore ſui, quæ amara illa & acerba radix eſt, ex quâ omnes errores oriuntur: nam plerique Proteſtantium, qui hanc tenent opinionem, cùm habeant (ut opinantur) abſolutum electionis decretum, quo & illi, & ſui, ad vitam prædordinati, ſalutem æternam nequaquam amittere poſſunt, non dubitant cæteros omnes, & ſenes & impuberes, ad infernum mittere. Nam, cum amor ſui (qui ſemper, quod cupit, inclinat credere) ſpem illis præbeat, partes ſuas eſſe firmas, & extra periculum poſitas, minimè illis curæ eſt, cæteros omnes mortales, qui maxima longè pars ſunt, in difficultatibus illis inextricabilibus derelinquere. Pontificii autem hac opinione, quaſi artificio, utuntur ad augendam eccleſiæ ſuæ authoritatem, & ſacramentorum venerationem; cùm peccatum hoc baptismo ablutum affirment: in hoc tamen magis miſericordes videntur, quod inbaptizatos illos infantes, non ad infernum, ſed ad limbum quendam relegent, de quo Scripturæ etiam, ſicut de altero, omnino ſilent. Hæc igitur opinio non ſolum Scripturarum authoritate caret, ſed expreſſo earum teſtimonio contraria eſt. Apoſtolus ad Rom. 4: 15. diſertè affirmat, *ubi non eſt lex, ibi nec prævaricatio.* Et iterum, cap. 5. v. 13. *peccatum verò eſſe*

non

non putatur, non existente lege : quibus duobus testimoniis nihil luculentius esse potest. Infantibus enim lex nulla est, siquidem legis omninò incapaces sunt: lex nullos apprehendit, nisi qui secundum aliquam mensuram plus minus rationis usum habent, quem infantes non habent. Ex dictis igitur sic argumentor. Peccatum non imputatur iis, quibus nulla est lex: Sed infantibus nulla est lex: Ergo peccatum infantibus non imputatur. Propositio sunt ipsius Apostoli verba : assumptio sic probatur ; Qui sub physicâ impossibilitate sunt vel audiendi, vel cognoscendi, vel intelligendi ullam legem, & ubi hęc impossibilitas non provenit ab aliquo proprio ipsorum actu, sed sit secundum ipsum naturæ ordinem à Deo ordinatum, talibus nulla est lex: Sed infantes sub hujusmodi physicâ impossibilitate sunt: Ergo illis nulla est lex.

Secundò, quid magis disertum esse potest, quàm illud Ezechielis dictum cap. 18. v. 20. *Anima, quæ peccat, ipsa morietur; filius non feret iniquitatem patris.* Hoc enim loco Propheta primò demonstrat, quæ sit causa homini æternæ mortis, quam ait peccatum esse: & tunc, quasi ex proposito talem opinionem vitaret, certificat nos, filium non laturum iniquitatem patris: ex quo sic argumentor. Si filius non feret iniquitatem patris, seu immediati parentis, multò minùs feret iniquitatem Adæ. Sed filius non feret iniquitatem patris, seu immediati parentis: Ergo.

V. Cùm hucusque ostenderim, quàm absurda sit hæc opinio, nunc breviter argumenta examinabo, quæ afferunt authores, ut eam propugnent. Primò ajunt, Adamum fuisse personam publicam, & ideo omnes in illo peccasse; cum in ejus lumbis fuerint; allegantes illud ad Rom. 5. 12. *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Respondeo, quod Adamus sit persona publica non nego, & quod, per illum, semen peccati ad omnes homines propagatum sit, quod ex naturâ sua inquinatum sit, & homines ad iniquitatem inclinet: non tamen inde sequetur, quod infantes, qui sese ei non jungant, noxii illius sint. Quod ad verba illa Apostoli attinet, ratio condemnationis est, *in quo omnes peccaverunt*, id est, in illo semine, vel occasione illius seminis: nam nemo peccasse dicitur, nisi in suâ personâ. Hæc verba, *in quo*, licet latinè discordent cum antecedente morte, tamen Græca ἐφ' ᾧ optimè referuntur ad Θάνατος, quod est proximum antecedens; ita demonstrant, quomodo Adamus, per peccatum suum, peccato introitum in mundum dedit; & sic mors per peccatum

catum ingreſſa eſt. ἐφ' ᾧ, i. e. ſuper quam ſc. occaſionem, vel in quâ ſc. morte omnes alii peccavere, i. e. actualiter in perſonis ſuis, viz. qui peccandi capaces fuere: de quo numero quòd infantes non potuere eſſe, Apoſtolus ſequente verſu ſignificat; ubi ait, *peccatum non imputari, ubi non ſit lex.* Et quia antea probavimus, infantibus non eſſe legem, hic includi non poſſunt.

Secunda objectio eſt ex Pſal. 51. v. 7. *Et in iniquitate formatus ſum, & in peccato fovit me mater mea.* Hinc (inquiunt) apparet, infantes â conceptione peccato contaminatos eſſe: quomodo hanc conſequentiam inferant, ipſe certè non video. Iniquitas hic & peccatum mihi videtur, multò magis parentibus, quàm infantibus eſſe adſcribendum. Dicitur enim, in peccato fovit me mater mea, non autem peccantem me fovit mater. Præterea, talis interpretatio antè citatæ Scripturæ directè contradicit, dum infantes immediati parentis peccatorum noxios faciat: (nam de Adamo nulla hic fit mentio) quod planis illis verbis contrarium eſt, *non feret filius iniquitatem Patris.*

Tertiò objiciunt, *quod ſtipendium peccati mors ſit*, & cum infantes ægrotationi & morti ſint obnoxii, ideo ſint etiam peccato contaminati.

Reſpondeò, hanc eſſe lapſûs conſequentiam conceditur, ſed quòd neceſſariò inferat iniquitatem in omnibus, qui illis obnoxii ſunt, denegatur. Nam tota externa creatio maximum detrimentum, imò, quodam reſpectu, ruinam Adami lapſu paſſa eſt, quæ etiam ſub vanitate ingemiſcit, ſecundum quod dicitur apud Job, quod *nec cæli puri ſint in conſpectu Dei*: non indè tamen ſequitur, herbas, terram, & arbores peccatrices eſſe. Deindè, licet mors ſit lapſûs conſequentia humanæ naturæ incidens, non tamen peccati ſtipendium eſt in Sanctis, ſed potiùs â morte ad vitam migratio, quæ non ſolùm non moleſta & incommoda illis eſt (ſicuti omnia realia ſupplicia ſunt) ut Apoſtolus eam lucrum exiſtimet. *Mihi mori lucrum eſt.* Phil. 1: 21. Quidam ita ſtulti ſunt, ut adhuc objectionem hoc modo formentur: Si peccatum Adæ, non niſi iis, qui actualiter peccarunt, imputatum ſit, tunc ſequeretur, quod omnes infantes ſalvandi ſint. Sed libenter volumus potius hanc ſuppoſitam abſurditatem eſſe doctrinæ noſtræ conſequentiam, quam quod innumeri infantes ſempiternum crucientur, non ſui ſed ſolummodo Adæ peccati cauſâ, quod adverſarii videntur non opinari abſurdum; ubi & controverſiam ſiſtere non recuſamus, utrumque illuminato Chriſtiani lectoris intellectui commendantes. Hunc adverſariorum errorem negavit & refutavit Zuinglius,

idemque nobiscum in hoc negotio censuit, lib. de Baptis. cujus causâ à concilio Tridentino. Sess. 6. anathematizatur.

Confitemur igitur, semen peccati ab Adamo ad omnes homines transmitti (licet nemini imputatum, donec peccando sese illi actualiter jungat) in quo semine in omnibus occasionem peccandi præbuit, & origo omnium malarum actionum & cogitationum in cordibus hominum est ἐφ' ᾧ nempè θανάτῳ, ut 5. ad Rom. habet, i. e. in quâ morte omnes peccavere. Hoc enim peccati semen frequenter in Scripturâ mors dicitur, & corpus mortiferum, quum revera mors sit ad vitam justitiæ & sanctitatis; ideoquè hoc semen, & quod ex eo sit, dicitur homo vetus, vetus Adam, in quo omnes peccant. Proindè, hoc nomine ad significandum peccatum illud utimur, & non originali peccato, cujus phrasis in Scripturâ nulla fit mentio, &, sub quâ excogitata, & (ut hoc verbo utar) inscripturali barbarismo, hæc peccati infantibus imputatio inter Christianos intrusa est.

De universali redemptione Christi, & salutifero nec non supernaturali lumine unumquemque illuminante.

Thesis Quinta.

Deus ex infinitâ suâ bonitate, qui non delectatur morte improbi, sed ut omnes vivant & serventur, *ita dilexit mundum, ut filium suum unigenitum, Lumen, dederit; ut quisquis credat in eum, servetur: qui illuminavit omnem hominem venientem in mundum, & omnia vituperabilia manifestat, docetque omnem justitiam, temperantiam & pietatem.* Atque hæc lux illucet cordibus omnium pro tempore in ordine ad salutem; & hoc est, quod redarguit peccatum omnium individuorum, perfecturum omnium salutem, ni obstarent: nec minùs universalis est, quam semen peccati; *ejus enim mortis beneficium est, qui pro omnibus mortem gustavit: sicut enim in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.*

Thesis

Thesis Sexta.

Secundum quam hypothesin, omnes objectiones contra mortis Christi universalitatem facilè solvuntur; nec opus est recurrere ad ministerium Angelorum, cæterosque prodigiosos illos modos, quibus ajunt Deum uti ad manifestandam doctrinam, & historiam passionis Christi iis (in illis orbis angulis, ubi externa Euangelii prædicatio ignota est, habitantibus) qui prima & communi gratia benè usi sunt: hinc etiam disertè sequitur, quod sicut ex antiquis Philosophis aliqui vitam æternam consequuti sint, ita & nunc possint quidam (quos nativitatis sors posuit in remotis mundi partibus, ubi historiæ cognitio deest) participes fieri divini mysterii, si gratiam illam, *cujus manifestatio unicuique datur ad utilitatem*, recipiant: quâ doctrinâ certissimâ receptâ, nempè, Euangelicum & salutiferum lumen, & gratiam omnibus inesse; universalitas amoris & misericordiæ divinæ erga genus humanum (cum in morte filii ejus dilecti Domini Jesu Christi, tum in manifestatione lucis ejus in cordibus) stabilitur, & confirmatur contra omnes objectiones denegantium. Christus igitur pro omnibus mortem gustavit, non solum pro generibus singulorum (ut quidam garriunt) sed etiam pro singulis generum; cujus oblationis & victimæ beneficium extenditur, non solum ad eos, qui distinctam externam mortis passionisque ejus habent cognitionem, sicut ea in Scripturis declarata est, sed ad illos etiam, qui ab hujus cognitionis beneficio, casu aliquo inevitabili, necessariò excluduntur: quam cognitionem libenter concedimus esse perutilem & consolabundam, sed non absolutè necessariam illis, qui-

bus ipse Deus eam impossibilem fecit: tales enim participes fiunt beneficii mysterii mortis ejus (licet historiæ ignari) si scilicet obtemperent *semini & lumini ejus illucenti cordibus suis, in quo lumine communio habetur cum Patre & Filio*, ita ut ex impiis Sancti fiant, & amatores potentiæ illius; cujus internis & secretis viribus & contactibus se à malo ad bonum converti sentiunt, & doceri, *quod sibi fieri nolunt, alteri non facere*, in quibus ipse Christus affirmat omnia includi. Sicut igitur falsò & hæreticè docuerunt, qui Christum pro omnibus mortuum fuisse denegarunt; ita nec satis abundè veritatem annunciarunt, qui affirmantes Christum pro omnibus mortuum fuisse, absolutam externæ historiæ cognitionis necessitatem addiderunt, ad assequendum salutiferum ejus effectum. Inter quos præcipuè Remonstrantes Belgici fuerunt, & alii complures universalis redemptionis affirmatores; eò quod non posuerunt salutis hujus extensionem & exhibitionem, in divino illo & Evangelico principio luminis & vitæ, qua *Christus illuminavit omnem hominem venientem in mundum*, quod præclarè & perspicuè exhibetur his Scripturis, Gen. 6:3. Deut. 30:14. Johan 1:7, 8, 9, 16. Rom. 10:8. Tit. 2:11.

HActenus statum hominis lapsum, degeneratum, & corruptum consideravimus. Nunc opus est inquirere, quomodo, quibusque mediis ex hâc miserâ & depravatâ conditione liberetur: quod hisce duabus thesibus editum & demonstratum est, quasque simul tractandas & defendendas, propter materiæ affinitatem, censuimus.

Quod ad doctrinam attinet, quam hæ theses maximè expugnant, absoluta reprobatio dicitur; secundum quam aliqui non dubitant affirmare, Deum ad sempiternam damnationem prædestinasse ex hominibus longè maximam partem; idque, non consideratis, ut creati, multò minus, ut lapsi

lapsi sunt, nullo habito inobedientiæ seu peccati respectu, sed solummodo ad demonstrandam justitiæ gloriam: quodque Deus ad hoc perficiendum destinaverit, ut miseræ hæ animæ necessariò in iniquitate versarentur, ut justitiâ suâ eos jure reprehenderet & affligeret: ideoque Deum non solum pati, illos huic miseriæ in pluribus orbis locis esse obnoxios, subtrahendo Evangelii prædicationem, & Christi cognitionem; sed etiam in iis locis, ubi Evangelium prædicatur, & salus per Christum oblata est: & licet publicè & apertè invitet, & justè propter inobedientiam recusantes & rebellantes condemnet, gratiam tamen ab illis omnem omninò subtraxisse, quâ possibile fuisset Euangelium apprehendere, quia scilicet secretâ voluntate omnibus ignotâ ordinavit & decrevit (non habito inobedientiæ seu peccati illorum respectu) ut non obediant, & Euangelium nunquam ad eorum salutem efficax futurum sit, sed solummodo ad accumulandam & coacervandam condemnationem.

Quod ad hanc, inquam, horribilem & blasphemam doctrinam negandam attinet, causa nostra cum aliis compluribus communis est, qui & sapienter & doctè, secundum Scripturas, rationem, & antiquitatem, hanc doctrinam refutârunt. Cùm igitur contra illam tantum, & tam benè hactenus dictum sit, ut vix aliquid, nisi quod prius dictum sit, superaddi possit, hoc loco breviter agam. Sed quoniam mihi in hanc rem ingredienti adeò directè opposita sit, omninò alto silentio transire non duxi.

I. Doctrinam hanc meritò novam vocare possumus, quia nulla mentio ejus fit primis quadringentis à Christo annis: sicut enim Scripturis & naturæ Euangelii contraria est, ita veteres omnes scriptores & doctores ecclesiæ alto silentio illam transierunt. Prima ejus fundamina postremis suis scriptis jecit Augustinus in calore zeli contra Pelagium, ubi dicta quædam seminavit, quæ quidam infæliciter assumpserunt, ad hunc errorem ædificandum, quo & veritati, & ipsius Augustini aliorumque haud paucorum dictis & scriptis contradicitur. Illum postea fovit Dominicus & ejus ordinis monachi: & denique hunc errorem perincommodè (proh dolor) assumsit Johannes Calvinus (vir aliundè multis nominibus commendandus) quo nomen suum multùm infecit: & cujus doctrinæ defensione & Christiana & Protestantium religio magnoperè defamatur, multisque odiosa reddita est: licet Dordrechtensis Synodi decretis propugnata sit. Exindè tamen minùs invaluit, magisque indies à majore parte doctorum & piorum hominum in omnibus ecclesiis Protestantibus exploditur: non tamen ideo rejiciendam existimaremus, quod de

ea veteres siluerunt, vel quod à paucis propugnatur, vel quod à doctis oppugnatur, si ullum solidum in sacris literis fundamentum haberet, & non *quam maximè injuriosa esset & ipsi Deo, & Christo Salvatori, ac Redemptori nostro, nec non beati Euangelii virtuti ac nobilitati, & denique toti humano generi.*

II. Primò, *quàm maximè Deo injuriosa est*; quia illum peccati authorem efficit, quo nihil naturæ suæ magis contrarium esse potest. Fateor hujus doctrinæ affirmatores hanc consequentiam negare; sed hoc nihil est nisi pura illusio, cùm ita disertè ex doctrina sua pendeat, nec minus ridiculum sit, quam si quis pertinaciter negaret, unum & duo non facere tria. Nam si Deus decrevit prædestinatos illos perituros, nullo habito malorum eorum actorum respectu, sed ex mero suo beneplacito; & si etiam decrevit, diu antequam existerent, vel in aliquâ capacitate sive bonum sive malum agerent, ut in iniquitatibus illis versarentur, quibus secundariò ad illum finem ducendi sunt, quis est hujus primus author & causa, nisi Deus, qui ita voluit & decrevit, quâ magis necessaria sequela esse non potest? & ideo licet plerique hujus doctrinæ prædicatores varias, raras, & inusitatas distinctiones commenti sint, quibus sententiam defenderent, & horrendam hanc consequentiam vitarent; aliqui tamen, iique notatissimi hujus dogmatis authores, ita plani in hoc negotio fuerunt, ut procul omni dubio & hæsitatione positum sit, ex quorum multis aliqua hic referam. * *Dico Dei ordinatione & nutu lapsum esse Adam. Hominem labi voluit. Volente & jubente Deo excæcatur homo. In Deum transferimus obdurationis causas. Dei voluntas summa est vel remota causa obdurationis. Sequitur absconditum Dei consilium obdurationis esse causam.* a *Deus non solum ad damnationem, sed etiam ad causas damnationis prædestinavit quoscunque libuerit.* b *A corruptionis causis excludi Dei decretum non potest.* c *Certum est, Deum primariam fuisse hujus obdurationis causam. Reprobati ita tenentur sub Dei omnipotentis decreto, ut non possint nisi peccare & perire.* d *Nostrorum doctorum sententia est, quod Deus tentationem & lapsum hominis infalliblliter decreverit. Necessario quidem & justissimo Dei judicio peccat creatura. Lapsum hominis ex accidente ob Dei decretum, necessarium & inevitabilem fuisse nostri certissimè asserunt.* e *Deus inclinat & impellit voluntates impiorum in gravia peccata.* f *Movet Deus latronem ad occidendum. Deo impulsore oc-*

* *Calv. in cap. 3. Gen. Id. l. 1. inst. c. 18. S. 1. Id. lib. de præd. Idem li. de provid. Id. Inst. cap. 23. S. 1.*

a *Beza lib. de præd.*

b *Id. de præd. ad art. 1.*

c *Zanch. de excæcat. q. 5. Idem lib. 5. de nat. Dei cap. 2. de præd.*

d *Paræus lib. 3. de amiss. gratiæ c. 2. ibid. c. 1.*

e *Martyr. in Rom.*

f *Zuing. lib. de prov. ca. 5.*

occidit. At inquies, coactus est ad peccandum, permittio, inquam, coactum esse. * Piscator ait, *reprobatos absolute decretos esse, ad duplicem hunc finem, æternam damnationem pati, & necessariò peccare, & ideo peccare, ut justè puniantur.* * *Resp. ad Vorst. part. 1. p. 120.*

Si hæc non clarè & luculenter declarant, & prædicant Deum esse peccati authorem, horum virorum sententia, non ex verbis, sed aliundè petenda est; & videntur sibi ipsis assumere monstrosam illam & bifariam voluntatem, quam de Deo finxerunt, alteram, quâ sententiam suam apertè & manifestè declarat, alteram verò planè contrariam, secretiorem & obscûriorem. Nihil tamen indè evincunt, quod homo libenter & volens peccat, cùm ea proclivitas, & ad peccandum propensitas, secundum illos, ei adeò necessariò imposita sit; ut non possit non esse pronus, quia Deus ita voluit & decrevit illum fore. Hoc perinde est, ac si ego infantem, resistere omninò incapacem, arriperem, & ex sublimi rupe in imum dejicerem; corporis gravitas & pondus per se descendere efficit; & violentiâ lapsus in saxum prolabentis viscera & cerebra effunduntur, vitaque expirat, & amittitur. Nunc autem rogo, quia corpus infantis ex se grave, &, ut omne ponderosum, per se & citò in imum proclive descendit, vel quia corporis gravitas, non autem immediatus aliquis manus meæ ictus, qui fortè pluribus ulnis disto, lethale vulnus infligit, utrum ego, vel infans causa ejus mortis est? Judicent igitur æqui, si Dei pars tanta sit, imo magis immediata, ut secundum sup. a dicta illorum testimonia apparet, in hominum factis, an non solum peccati author factus est, sed etiam injustissimis hominibus longè injustior.

III. Secundò, *hæc doctrina Deo injuriosa est*, utpote quæ efficit illum delectari morte improborum & velle multos in peccatis suis mori, quod iis Scripturis expresse contradicit, Ezech. 33. 11. 1 Tim. 2: 3. 2 Pet. 3: 9. nam si hominem in hunc finem creaverit ut justitiam suam in illis hoc modo demonstraret, (sicuti hi affirmant) eaque causâ gratiam, quâ bonum facere possit, abstraxit; & malum, ut pereat, præordinaverit; & si inclinet & impellat voluntates eorum in gravia peccata, necessariò oportet illum delectari morte eorum, & velle illos mori, cùm invitus Deus nihil agat.

IV. Tertiò, *hæc doctrina quam maximè injuriosa est Christo Mediatori nostro, & efficaciæ, nec non excellentiæ Evangelii*: ejus enim mediationem inefficacem reddit, quasi passionibus suis medium parietem non solvisset, nec iram Dei leniisset ad omnes homines, si antea decretum fuit

fuit inutilem mortem ejus fore majori hominum parti; hîc nihil juvat allegare mortem Chriſti ex ſe ſufficientem fuiſſe ad omnes homines ſalvandos, ſi virtus ejus non exhibeatur & extendatur, qua omnes capaces ſalutis redduntur, vel quâ omnibus poſſibilitas ſalutis facta eſt.

Quartò, *hâc doctrinâ prædicatio Euangelii ludibrium & mera illuſio evadit*, ſi multi ex iis, quibus prædicatur, irrevocabili decreto ſecluſi ſint à recipiendo per illum beneficium aliquod. Prædicationem fidei & pœnitentiæ omninò inutilem reddit, totumque ſcopum promiſſionum & minarum Euangelii, cùm omnia referantur ad prius decretum, & media hactenus ordinata; quæ cum fallere minimè poſſint, ita hominum eſt ſolummodo attendere irreſiſtibilem illorum impetum, qui veniet, vel ipsâ mortis horâ, ſi in decreto electionis ſint: è contrà, quem nemo aſſequi poteſt quavis diligentiâ, patientiâ, & labore, ſi ad decretum reprobationis pertineat.

Quintò, *adventum Chriſti, & propitiatorium ejus Sacrificium*, quod Scriptura declarat fuiſſe, erga mundum, Dei amoris fructum, & pro peccatis, & ſalute omnium oblatum, *divinæ iræ teſtimonium facit, & maximum nec non acerbiſſimum ſeveræ Dei indignationis, adverſus genus humanum, judicium*, cùm ſolùm ad paucos quoſdam ſalvandos inſtitutum fuerit; ſed ad plurimorum longè obdurationem, condemnationemque augendam, & accumulandam, qui verè non credunt in illum: cùm hujus incredulitatis cauſa (ut theologi illi ſuprà dixerunt) à ſecreto Dei conſilio, & inevitabili neceſſariò proveniat; his certè Chriſti adventus nunquam divini amoris teſtimonium fuit, ſed iracundiæ implacabilis. Et ſi pro mundo major pars inhabitantium in eo ſumi poſſit, Deus nunquam mundum dilexit ſecundum hanc doctrinam; ſed ſemper maximo odio habuit, dum filium ſuum crucifigendum in mundum miſerit.

V. Sextò, *hæc doctrina quàm maxime injurioſa eſt generi humano*: pejorem enim hominum conditionem facit, quàm diabolorum; his enim aliquando fuit ſtandi poſſibilitas, & proprio peccato jure puniuntur; cùm, ſecundum hanc doctrinam, plurima hominum millia, quibus nunquam fuit ſalutis opportunitas, Adamici peccati cauſâ perpetuò crucientur, quem nunquam cognoverunt, nec cujus criminis unquam ſocii fuerunt. Beſtiis & brutis eos multùm deteriores reddit, à quibus domini non ultra poſſe requirunt; & ſi trucident, mors iis dolorum finis eſt; cùm homo perpetuò crucietur, quia id non fecit, quod facere nunquam potuit.

potuit. Longè magis hoc modo vexantur, quam à Pharaone olim Judæi, licet enim stramen abstraxerit, labore & industriâ inveniri potuit. Ab hominibus autem, hoc modo, Deus omne, ad salutem conducens, abstrahere fingitur, ita ut nullo modo acquiri possit. Genus humanum hæc doctrina eâ conditione locat, quam Poëtæ olim Tantalo affinxerunt, qui sitiens mento tenus in aquâ stat, quam tamen linguâ attingere nullo modo potest; &, esurie cruciatus, poma, in ipsis fere labiis dependentia, habet, quæ dentibus apprehendere nunquam valet: hæc illi apposita sunt non ad nutriendum, sed cruciandum. Sic hi doctores aiunt, opera creationis & providentiæ, conscientiæ stimulos, solummodo ad ethnicos de peccato arguendos, & ideo condemnandos conducere, sed nullatenus ad salvandos. Sic etiam ferunt prædicationem Evangelii, oblationem salutis per Christum, Sacramentorum, precum, & bonorum operum usum ad condemnandos reprobatos, qui in visibili Ecclesiâ versantur, sufficere, dum his erudiantur ad fidem fictitiam, & spem inanem assequendam. Sed ob secretam impotentiam, quam ab infantiâ ipsâ habuere, hæc omnia omninò inefficacia futura sunt, ad vel minimum salutis progressum, ducendi illos, sed solummodo conducunt, ut majore afficiantur condemnatione, & vehementiùs crucientur. Paucis igitur sic remotâ falsâ hâc, quæ nobis obviabatur, doctrinâ, cum qui plura de hâc videre cupiunt, piè & doctè in aliorum scriptis refutatam videre possint, ad thesis nostræ materiam progredior, viz, *quod Deus ex infinitâ suâ bonitate, qui non delectatur morte improbi, sed ut omnes vivant & salventur, filium suum unigenitum in mundum miserit, ut quicunque in illum credat salvetur.* Quod rursus etiam affirmatur thesi sextâ, his verbis; *Christus igitur pro omnibus mortem gustavit, non solum pro generibus singulorum, sed pro singulis generum.* Talis est hujus veritatis evidentia in ipsis ferè Scripturæ verbis expressa, ut longâ probatione non egeat. Et quia propositio hæc nostra cum pluribus aliis communis est, qui enixè & religiosè secundum Scripturas pro universali hac redemptione scripserunt, brevius hoc loco agam, ut ad ea perveniam, quæ nostra magis peculiariter videri possint.

VI. Hæc, de universali, seu de Christi pro omnibus morte, doctrina ex se ita evidens est, ut vix alius religionis Christianæ articulus inveniatur, qui tam frequenter, disertè & luculenter â Sacris literis confirmetur. Inde prædicatio Christi verè dicitur εὐαγγέλιον seu annunciatio bonorum omnibus. Sic Angelus adventum & partum Christi pastoribus annunciabat, Luc. 2: 10. *Ecce, evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo;*

pulo; non ait, paucis ex populo. Si autem adventus iſte Chriſti omnibus ſalutis poſſibilitatem non attuliſſet, potius dicendus fuiſſet, annunciatio magni doloris plerisque populis, neque fuiſſet Angelorum turbæ occaſio laudandi & dicendi, *in terrâ pax, & erga homines nuncium bonum, & bona voluntas.* Si hominum major pars neceſſariò excluderetur, ut ex illo nullum beneficium recipere poſſent, quómodo potuiſſet Chriſtus miniſtros ſuos emittere, ut *omni creaturæ* evangelizarent, Marc. 16: 15. Commiſſio, quam maxime comprehenſiva, i. e. unicuique filio & filiæ hominum abſque omni exceptione, jubet eos ſalutem omnibus, pœnitentiam omnibus, & remiſſionem peccatorum omnibus prædicare, *hortantes omnem hominem, & docentes unumquemque*, ut ait Paulus ad Col. 1: v. 28. Quomodo autem omnibus prædicare Euangelium potuiſſent, ſicut decebat miniſtros Chriſti, in perſuaſione certâ, ſi ſalus per illud Euangelium omnibus non fuiſſet poſſibilis? Quod ſi ex iis aliquis interrogaſſet illos, vel hodiè interrogaret doctores illos (qui Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe negant, interea dum Chriſtum omnibus promiscuè ſalvatorem prædicant) num Chriſtus pro me mortuus eſt? Quàm certum huic quæſtioni reſponſum dare poſſunt? Si conditionaliter reſponderent dicentes, ſi reſipueris, Chriſtus pro te mortuus eſt. Quæſtio adhuc recurrit hoc modo, num Chriſtus pro me mortuus eſt, ut mihi pœnitentiam poſſibilem faceret? Huic nihil reſpondere poſſunt, niſi in circulum redeant. Cùm autem pedes eorum, qui bonam Evangelii pacis annunciationem adducunt, dicantur eſſe pulchri & ſpecioſi, quod communem & catholicam ſalutem prædicent, pœnitentiam omnibus, miſericordiæ januam omnibus offerentes per Jeſum Chriſtum, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Euangelium omnes invitat, & certe per Euangelium noluit Chriſtus illudere & decipere maximam hominum partem, quando invitat & vocat, dicendo, *venite ad me omnes vos, qui defeſſi eſtis & onuſti, & vobis requiem dabo.* Si igitur omnes illum quærere debeant, & per illum ſalutem expectare, oportuit eum feciſſe illis ſalutem poſſibilem: nam quis tenetur impoſſibile perſequi; hominibus illudere procul dubio eſſet, hoc illis imponere. Et qui negant Chriſti morte ſalutem omnibus poſſibilem factam eſſe, blasphemè Deum mundo illudere faciunt, cum miniſtris ſuis mandet Euangelium ſalutis omnibus annunciare, dum ipſe ab æterno decreverat, iis non poſſibile fore illud recipere. Nonne ſic miniſtros ſuos cum mendacio in ore (quod & blasphemia eſt cogitare) Deus emitteret, dum præcipit illis, ut unumquemque & ſingulos jubeant credere Chri-

Christum pro se mortuum, & vitam ac salutem pro illis consequutum esse, cùm revera nihil tale sit verum quoad plerosque secundum hanc doctrinam. Sed cum Christus, postquam resurrexerit & redemptionis opus perfecerit, mandatum Apostolis & discipulis suis dedit, ut pœnitentiam, peccatorum remissionem, & salutem omnibus prædicarent, manifestum est pro omnibus illum esse mortuum; qui [illegible] enim mandavit ita prædicare, Deus veritatis est, & nullo modo generis humani illusor, neque ab aliquo requirit, quod illi impossibile factu est: nam *quod nemo teneatur ad impossibile, veritatis axioma est in omnium animis inscriptum.* Et cùm Dominus sit, & justissimus & clementissimus Deus, nec cum justitiâ, nec cùm clementiâ ejus stare potest, ab iis pœnitentiam vel fidem requirere, quibus credere, & pœnitere suo decreto impossibile fecerit.

VII. Præterea, si Scripturarum testimonium hâc in re animadvertemus; ne unus invenietur locus, quem memini, quo affirmatur Christum pro omnibus non esse mortuum, cum multi luculenter & disertè affirmant illum pro omnibus esse mortuum, sciz. 1 Tim. 2: 1, 3, 4, 6. *Adhortor igitur ante omnia, ut fiant deprecationes, preces, interpellationes & gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Nam hoc bonum est, & acceptum in conspectu Servatoris nostri Dei, qui omnes homines vult servari, & ad agnitionem veritatis venire. Qui sese ipse dedit redemptionis pretium pro omnibus.* Nisi volumus Apostolum hoc loco planè contrarium, quam verba exprimunt, sensisse, nihil luculentius ad confirmandam propositionem nostram esse potest. Quod etiam testimonium optimè respondet illi argumentandi generi, quo hactenus usi sumus. Nam primò, jubet illos Apostolus *pro omnibus orare*; & ut tali objectioni obviet, ne quis cum adversariis nostris dixisset; *Christus pro mundo non precatus est, nec vult nos pro omnibus precari, qui non vult omnes servari, sed decrevit, quòd multi damnarentur, ut justitiam suam in illis demonstret.* Tali, inquam, objectioni ut obviet, dicit, *bonum & acceptum esse in conspectu Salvatoris, qui omnes homines vult salvari.* Velim audire quid magis expressum dici possit, vel si duæ propositiones in terminis magis contradictoriis poni possint, quàm hæ duæ; *Deus non vult aliquos servari, & Deus vult omnes servari, vel Deus vult nullos perire.* Si postremam credimus, sicut affirmavit Apostolus, prior destruitur; *cum ex propositionibus contradictoriis, posità unâ, altera cadat.* Et denique, dat nobis rationem, quare vult omnes servari, *qui sese ipse dedit redemptionis pretium pro omnibus*, quasi dixisset, cùm Christus pro omnibus mortuus sit, cùm pro omnibus sese redemptionis

pretium dederit : ergo vult omnes salvari : hanc dat ipse Christus rationem divini amoris erga mundum, his verbis: Joh.3.16. *Ita Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut quisquis credat in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Confer cum 1 Joh.4. 9. *Quisquis* hîc est terminus indefinitus, quo nemo excluditur : ex quibus omnibus sic argumentor.

Pro quocunque licet orare, illi salus possibilis est : sed licet orare pro unoquoque & singulo homine totius orbis : ergo unicuique salus est possibilis. Assumptionem hoc modo probo. Nemo tenetur, neque alicui licet orare pro impossibili : sed unusquisque tenetur, imò præcipitur pro omnibus orare : ergo non est impossibile. Iterum, nemo tenetur orare nisi in fide : sed qui orat pro impossibili, non potest in fide orare : ergò. Rursus, quod Deus vult, non est impossibile : sed Deus vult omnes servari: ergo non est impossibile. Et denique, illis, pro quibus Christus sese redemptionis pretium dedit, salus est possibilis : sed Christus sese dedit redemptionis pretium pro omnibus ; ergo salus omnibus est possibilis.

VIII. Secundò, hoc disertè affirmatur in epist. ad Heb. his verbis: cap.2.v.9. *Sed Iesum illum cernimus gloriâ & honore coronatum; qui paulisper fuit inferior Angelis factus propter mortis perpessionem, ut beneficio Dei pro omnibus mortem gustaret.* Si pro omnibus mortem gustavit, tunc certè nemo est, pro quo mortem non gustavit, & ideo nemo est, qui beneficii mortis ejus particeps esse non possit ; *non enim venit ut mundum damnaret, sed ut servetur mundus per eum* : Joh.3:17. *non venit, ut damnaret mundum, sed ut servaret*, Jo.12:47. cùm, secundum adversariorum doctrinam, oportuit illum ad condemnandum mundum, non ad servandum venisse ; nam, si non venit ad salutem maximæ hominum parti adducendam, sed adventus ejus, licet illis bonum nullum afferat, condemnationem necessariò auget, necessariò sequitur, quòd non ad servandam, sed eo animo, ut condemnaret maximam hominum partem, venit ; quod ipsis expressis verbis contrarium est. Et sicut Paulus in verbis suprà citatis affirmativè declarat *Deum omnium salutem velle*; sic etiam Petrus negativè asserit *Deum velle neminem perire* : 2 Pet.3:9. *non tardat Dominus promissionem (ut nonnulli tarditatem hanc esse dicunt) sed patiente est animo erga nos, nolens ullos perire, sed omnes ad resipiscentiam reverti.* Et hoc simile est illi Ezechielis, cap.33.11. *ne vivam ego, dictum Domini Iehovæ, si delector morte improbi, sed delector, quum revertitur improbus à viâ suâ, ut vivat.* Si salvum sit confidere in Deum, non existi-

existimandum est, voluisse illum verba nobis dare (ut fert adagium) omnibus illis, per ministros suos, dictis, sed realiter & ex animo, quòd voluit, dixisse; &, quòd voluntas ejus non effectum habet, à nobis causa est, ut postea dicetur: quod esse non posset, si nos nunquam salutis capaces fuerimus, & si Christus pro nobis nunquam mortuus fuisset, sed sub physicâ salutis impossibilitate deseruisset. Quid sibi volunt invitationes illæ adeò vehementes, expostulationes illæ ita ardentes, querimoniæ illæ acerrimæ, quibus sacræ literæ scatent? *Nonne perditio vestra ex vobismetipsis est? Tota die vocavi vos.* Si, qui hoc modo invitantur & rogantur, in nullâ salutis possibilitate positi sint, & si salus iis impossibilis sit, an hoc non est fingere Deum in hoc negotio fabulæ authoris similem, vel comœdiæ magistri, qui varios spectatorum affectus & passiones movet, & diversè agitat, variis & multifariis casibus, dum aliquando spe elevat, aliquando desperatione deprimit, cum interim realiter mera illusio est, omnium enim conclusionem jam certè præordinavit.

Tertiò, doctrina hæc abundè confirmatur illo Apostoli Johannis 1. Joh. 2: 1,2. *Si quis peccarit, Advocatum apud Patrem habemus Iesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi peccatis.* Hoc testimonium adversarii ineptissimè evitare conantur; *mundus* hoc loco, ajunt, est mundus fidelium, sive sanctorum. Sed ostendant mihi, si possint, in totâ Scripturâ, ubi totus mundus pro solis fidelibus usurpatur, ego ostendam, ubi pro contrario frequentissimè sumitur, ut, *mundus me non novit: mundus me non recipit: ex hoc mundo non sum.* Præterea loca illa inspiciantur, Psal. 17: 14. Isa. 13: 11. Matth. 16: 26. 18: 17. Joh. 7: 7. 8: 26. 12: 19. 14: 17. 15: 18. 19. 17: 14. 18: 20. 1. Cor. 1: 21. 2: 12. 6: 2. ad Gal. 6: 14. Jac. 1: 27. 2. Pet. 2: 20. 1. Joh. 2: 15. 3: 1: 13: 4, 5. 5: 19. & quam plurima alia. Deinde Apostolus in hoc ipso loco contradistinguit mundum à fidelibus, *nec pro nostris solum*, sed *etiam pro totius mundi peccatis.* Quid sibi vult Apostolus per hæc verba *pro nostris*? hæcne sunt peccata fidelium: nonne ille ex istis fidelibus fuit? & fuitne hæc epistola catholica omnibus, qui tunc erant, fidelibus scripta? Secundum verò horum commentarium superflua & inutilis admodum redundantia erit in Apostoli verbis, quasi dixisset, *est propitiatio pro peccatis non solum omnium fidelium, sed omnium fidelium.* Talem loquendi methodum in Scripturis nequaquam invenimus, & hoc modo certè Apostoli verba boni sensus inania fuerunt. Quo unquam loco sacrarum literarum authores primò fideles cum semetipsis in concreto

nominant, & tunc à toto alio aliquo fidelium mundo contradiſtinguunt? Oportet totum illum mundum, ſi fidelium ſit, non eſſe eum, in quo nos vivimus: ſed meliore interprete non opus eſt quàm ipſo Apoſtolo, qui iiſdem verbis, & dicendi modo, & phraſi, in eadem Epiſtola utitur: cap. 5. v. 19. *Novimus, quod ex Deo ſumus: & totus mundus in malo jacet, vel poſitus eſt.* In toto Bibliorum volumine vix inveniuntur ſententiæ duæ magis adæquatæ, cum ambæ, ab eodem Apoſtolo, in eadem epiſtolâ, ad eaſdem perſonas, ſcriptæ fuerint, ubi ipſum & fideles, quibus ſcribebat, à toto mundo contradiſtinguit. Secundum horum interpretationem, mundus hic totus de fidelibus eſſet dicendus, quaſi dixiſſet Johannes, nos pauci ſingulares fideles ex Deo ſumus, ſed totus mundus fidelium in malo jacet & poſitus eſt. Quam ineptè eſt hoc modo Scripturam torquere & abuti; non minus tamen ex his verbis, quam altera illa interpretatio ex iis deducitur. Cum igitur nos aperte moneat Johannes Apoſtolus, quod Chriſtus non ſolum pro ipſomet, illisque, qui tunc erant eccleſiæ membra, mortuus, & pro eorum peccatis propitiatio ſit, ſed pro toto mundo, illam doctrinam quaſi indubitatam & certiſſimam veritatem agnoſcemus, non obſtantibus adverſariorum cavillationibus. Hoc etiam probari poteſt ex multis aliis Scripturæ teſtimoniis, ſi hoc tempore neceſſarium eſſet. Patres omnes (ut dicuntur) & doctores eccleſiæ, primis ſexcentis annis, hanc doctrinam annunciarunt; ſecundum quam audacter prædicarunt Euangelium Chriſti & efficaciam mortis ejus, gentes omnes invitantes & adhortantes, ut venirent, & beneficii hujus participes fierent, nullatenùs dicentes, Deum ullos ex iis ad damnationem prædeſtinaſſe, aut ſalutem impoſſibilem feciſſe; ſubſtrahendo vim, vel gratiam ad credendum neceſſariam; & ex multis ad hoc propoſitum, eorum dictis, pauca hoc loco, brevitatis causâ, ſubjungam. Auguſtinus in Pſalmum 95. *Sanguis Chriſti pretium eſt. Tanti quid valet? Quid, niſi totius orbis.*

Proſper ad Gall. cap. 9. „ *Redemptor mundi dedit pro mundo ſanguinem* „ *ſuum, & mundus redimi noluit, quia lucem tenebræ non receperunt:* „ *Qui dixit, quod non pro totius mundi redemptione Salvator ſit crucifixus,* „ *non ad Sacramenti virtutem, ſed ad infidelium reſpicit partem, cùm ſan-* „ *guis Domini noſtri Jeſu Chriſti pretium totius mundi ſit, à quo pretio extra-* „ *nei ſunt, qui aut, delectati aptivitate, redimi noluerunt, aut poſt redemptio-* „ *nem ad eandem ſunt ſervitutem reverſi.* Idem, reſponſione ad primam „ objectionem Vincentii: *Cùm itaque propter unam omnium naturam,*

&

„ & unam omnium causam, à Domino nostro in veritate susceptam, rectè
„ omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captivitate sint eruti, re-
„ demptionis proprietas haud dubiè penes illos est, de quibus princeps mundi
„ missus est foras, & jam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi: cujus
„ mors ita impensa est humano generi, ut ad redemptionem ejus etiam, qui
„ regenerandi non erant, pertinerent: Sed ita, ut, quod per unicum exemplum
„ gestum est pro universis, per singulare Sacramentum celebraretur in singu-
„ lis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate
„ nostra & virtute divina, habet quidem in se, ut omnibus prosit, sed si non
„ bibitur, non medetur.

Scriptor de vocatione Gentium, lib. 11. cap. 6. „ Nulla igitur dubi-
„ tandi ratio est, Iesum Christum Dominum nostrum pro impiis ac pecca-
„ toribus mortuum: à quorum numero si aliquis liber inventus est, non est
„ pro omnibus mortuus Christus: redemptio universo se intulit mundo.

Chrysostomus in Joan. cap. 1. „ Si illuminat omnem hominem venien-
„ tem in hunc mundum, quonam pacto tot homines sine lumine permanent?
„ Neque enim omnes Christum agnoscunt. Quomodo ergo illuminat omnem
„ hominem? Illuminat profecto quantum in ipso est. Si qui autem sponte
„ sua mentis oculis conniventibus ad hujus lucis radios aciem dirigere no-
„ luerint, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt, sed malitiâ suâ,
„ qui sponte tanto se dono indignos reddiderant. Cur non crediderunt?
„ quia noluerunt. Ipse autem Iesus, quod suarum erat partium,
„ fecit.

Synodus Arelatensis, habita circa annum 490. „ Anathema sit ille, qui
„ dixerit, quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines sal-
„ vos esse velit.

Ambrosius in Psalm. 118. Serm. 8. *Mysticus sol ille justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Ideo autem passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum generali beneficio se fraudat: ut si quis, clausis fenestris, radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore ejus ipse se fraudavit: Sed quod solis est, prærogativam suam servat: quod imprudentis est, communis à se gratiam lucis excludit.* libro 11. de Cain & Abel, cap. 3. *Ideo omnibus operâ sanitatis detulit, ut quicunque perierit mortis suæ causas sibi adscribat, qui curari noluit, cum remedium haberet, quo posset evadere.* Cum igitur doctrina hęc de universalitate mortis Christi ita nota sit, & Scripturarum testimonio, nec non purioris antiquitatis sensui consentanea, mi-

rum

rum forsan videbitur, quomodo tot & tam docti & pii (ut existimantur) viri in tantum & tam gravem errorem cecidere. Hujus causa ex hoc luculenter apparet, quod vel modus, quo virtus & efficacia hujus mortis omnibus communicatur, non rectè jam pridem intellectus est; sed & qui priorem veritatem defenderunt, de hoc hæreticè & obscurè docuerunt. Pelagiani hominum arbitrio & naturæ totum attribuerunt, negantes homines ab Adamo malum ullum semen trahere. Semipelagiani quasi ex merito rectè naturæ suæ viribus utentis donum esse autumabant; secundum tritum illorum axioma, *facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.*

Hæc Augustino, Prospero, & aliis quibusdam ex veteribus occasionem præbuêre, cum enixè contra Pelagianos laborarent gratiam divinam magnificantes, & naturæ humanæ innatas corruptiones declarantes, dum, ut fert adagium, curvum baculum detorquere studebant, ad aliud extremum inclinandi. Reformatores autem, Lutherus, & alii, dum Pontificiorum errores de libero arbitrio, & de naturâ & gratiâ refutarent, Augustini cæterorumque illorum dictis freti, eosque imitati, in eundem errorem, eâdem occasione, prolapsi sunt; quem tamen postea Lutherani, cum observarent Calvinum hanc rem prosequentem (qui cum esset vir subtili & profundo judicio, prospiciens quâ appulerit, apertè declarat media, & indè peccata, à Deo ordinata esse sicut finem, &, ad hunc finem prosequendum, Deum homines ad peccandum & ordinare & excitare, quod enixè probare conatur) & cum nullo modo evitare posse Deum hoc modo peccati authorem fieri animadverterent, hujus opinionis falsitatem videntes, deseruêre, ut ex posterioribus Philippi Melanthonis scriptis apparet. Et in colloquio Mompelgartensi Lucas Osiander, ex colloquutoribus unus, *hanc doctrinam impiam, quâ Deus peccati author fit, & horribilem horrendamque blasphemiam vocat.*

Epit. Hist. eccles. sæc. Lucæ Osiand. cent. 16 lib. 4. cap. 32.

Sed quia, qui hanc universalem redemptionem affirmarunt à reformationis tempore, nec distinctum nec clarum testimonium dedere, quomodo hujus mortis beneficium omnibus communicatum sit, ideo defuerunt in copiosè & amplè evangelicæ dispensationis perfectionem declarando, aliique in erroribus suis hoc defectu magis corroborati sunt; quod uno hoc exemplo, notatu digno, ostendam. Remonstrantes Belgici hoc quasi præcipuo argumento utuntur: Quod unusquisque tenetur credere, illud est verum: Sed unusquisque tenetur credere Christum pro se mortuum: Ergo illud est verum. Pars adversa hujus argumenti assu nptio-

sumptionem negant, dicentes, qui de Christo nunquam audierunt, in illum credere non tenentur. Et cum ipsi Remonstrantes affirment, quòd sine Christi cognitione nulla sit salus, hoc parti adversæ adhuc argumentum validius præbet, ad præcisum suum de reprobatione decretum propugnandum. Dicunt enim, cùm omnibus appareat, quòd Deus realiter & effectivè jam multis seculis, & a multis gentibus illam scientiam, quæ saluti omninò necessaria est, abstraxerit, & hæc salutem illis simpliciter impossibilem fecerit: cur non etiam possit gratiam illam, salutiferæ applicationi hujus cognitionis necessariam, a quibusdam ex illis, qui hanc cognitionem habent, subtrahere? Hoc enim injustitiæ sive partialitatis non magis in Deo erit, quàm quòd alios in profunda hujus scientiæ ignorantia reliquerit: cùm illud sit non communicare gratiam ad objectum apprehendendum; hoc abstrahere ipsum objectum.

Ut huic respondeant, conclusiones coguntur inferre ex priore hypothesi de Christi pro omnibus morte, & divinâ misericordia & justitiâ, dicentes, quod si gentes illæ, quæ in remotis istis locis habitabant, communi cognitione benè usi fuissent, quibus externa creatio est quasi fidei objectum, quâ colligi possit esse Deum; tunc Dominus singulari aliquâ providentiâ vel Angelum mitteret, qui Christum illis annunciaret, vel Scripturas eis transmitteret, vel aliquam opportunitatem præberet, quâ cum quibusdam, qui declarare & communicare illis cognitionem Christi possent, occurrerent. Quæ omnia ut nimis viribus virtutique humanæ voluntatis & naturæ tribuere videntur, & non nihil Socinianismum, Pelagianismum, vel saltem Semipelagianismum olent & sonant; ita, cùm solummodo probabilibus conjecturis innitantur, non habent evidentiæ satis, ut quempiam contrariâ sententiâ contaminatum convincerent, neque æquitatem, & mirabilem divinæ misericordiæ nec non justitiæ harmoniam, erga omnes sufficienter commendant. Ideò crebrò observavi universalis redemptionis istos affirmatores multò validiùs, & magis nervosè falsam adversariorum doctrinam oppugnare, quam suam propugnare. Et licet ex Scripturis testimonia complura habeant, ad universalitatem mortis Christi confirmandam, & ad præcisum aliquod decretum, quo quidam ad damnationem dicuntur prærordinari, debellandum; cùm tamen huc adducantur (ut suprà observatum est) nimirum, ut ostendant, quomodo hujus mortis beneficium ad omnes extenditur & exhibetur, quo sufficiens hujus participandi medium habent, nonnihil hæsitant, & plus conjecturas suas ex priore præsuppositâ veritate tradunt, (scilicet cùm

certum sit Christum pro omnibus esse mortuum, & Deum salutem nemini impossibilem fecisse, ideo oportet aliquod esse medium, quo illi salutem assequi possint, quod est vel communi aliquâ gratiâ bene utendo, vel ex operibus creationis & providentiæ colligendo, &c.) quam realiter & secundum Scripturas demonstrationibus evidentibus & certis argumentis, quod sit illud medium, ostendunt.

X. Fit igitur, quod, quemadmodum tenebræ & magna apostasia in Christianum orbem non simul una ætate diffusa fuit, sed certis gradibus, dum aliud alii locum fecit, donec crassum illud & densissimum velum nationes obnubilasset & obumbrasset, quo, à sexta vel septima usque ad decimam sextam ferè centuriam, obscuratæ sunt, sicut noctis tenebræ in externam creationem non in instanti, sed gradatim superveniunt, & sicuti sol in unoquoque horizonte declinat, sic etiam nec amplum & clarum lumen & scientia Euangelicæ dispensationis Christi omnibus simul apparuit. Primorum testium opus fuit magis contra apostaseos abusus testificari, quàm veritatem rursus stabilire, & ad primitivam puritatem restaurare. Qui novam civitatem vult ædificare, oportet primò vetera rudera removere, antequam novum fundamentum jacere videat, & qui ædes maximè fœdatas, & omni stercoris genere pollutas habitaturus ingreditur, pollutiones illas primò removet, antequam novam & speciosam suam suppellectilem in ordinem per domum disponat. Diei aurora tenebras aliqua ex parte dispellit, resque maximè conspicuas oculis nostris subjicit: sed distincta & certa rerum omnium visio & perceptio, ut observationes indubitatas & perfectas faciamus, ad solis ortum & meridianam lucem reservatur, & quidem ex certâ experientiâ audacter affirmare possumus, quòd Protestantes plerique in quamplurimos errores, maximaque pericula sese injecerint; quoniam, non expectantes pleniorem & clariorem solis ortum & lucem, citiùs quàm par fuit, non solùm inter antiqua Papistica rudera, sed ex ipsis ruderibus ædificare incepere.

Itaque Dominus Deus, qui, secundum beneplacitum suum, hominibus communicat ampliorem & luculentiorem sempiternæ suæ veritatis scientiam[1], hujus gloriosæ admodum & beatæ euangelicæ dispensationis abundantiorem revelationem ad nostram usque ætatem reservare voluit: (licet quædam de illa testimonia omni ferè seculo ab uno vel alio perhibita sint, ut postea apparebit) &, ad ampliorem gratiæ suæ gloriam, ut nemini gloriandi occasio præberetur, paucos quidem despicabiles & illiteratos homines exsuscitavit, plerumque pauperes mechanicos, qui hujus

Quicunq; in mechanitudine vel in handicraftman Euan-
mechanitudine. um. or belonging to han
craft

Euangelii dispensatores forent, quo omnes scrupuli, dubitationes, hæsitationes, & objectiones suprà dictæ facilè & luculenter explicantur & solvuntur, & justitia, nec non misericordia Dei, secundum divinam ac cæleſtem earum harmoniam, exhibentur, stabiliuntur, & confirmantur. Secundum quod lumen & Euangelium, sicut ejus cognitio nobis manifestata est per revelationem Jesu Christi in nobis, & sensibili nostrâ experientiâ confirmata, internoque in cordibus nostris Spiritus Sancti testimonio consignata, *has tres sequentes propositiones* certò affirmare, & secundum Scripturarum testimonium probare nequaquam dubitamus.

XI. Primò, *quod Deus*, qui ex infinito suo amore filium suum in mundum misit, qui pro omnibus mortem gustavit, *unicuique*, sivè Judæo, sivè Gentili, sivè Turcæ, sivè Scythæ, sivè Indo, sivè Barbaro, cujuscunque gentis, nationis, seu generis sit, vel ubicunque terrarum degat, *certum diem & visitationis tempus dederit, quo de & tempore possibile est illis servari, & beneficii Christi mortis participes fieri.*

Secundò, *quod in eum finem Deus communicaverit, & unicuique homini dederit mensuram quandam luminis filii sui, mensuram gratiæ, seu manifestationem aliquam Spiritus*, quæ in Scripturis sub diversis appellationibus frequenter nominatur; nempè, *semen regni*, Matth.13:18,19. *Lux omnia patefaciens*, Eph.5.13. *Verbum Dei*, Rom.10.18 *Manifestatio Spiritus unicuique data.* 1.Cor.12.7. *talentum*, Matth.25.14. *Euangelium omni creaturæ prædicatum*, Col.1.23.

Tertiò, *quòd Deus per hoc lumen & semen invitet omnes, & singulos vocet, redarguat, & hortetur illos, cumque iis quasi disceptet in ordine ad salutem*, id si recipitur, & non resistitur, omnium salutem operatur, etiam eorum, qui & Adæ lapsûs, & Christi adventûs, & mortis ignari sunt; quia & sensibiles illos facit miseriæ suæ, & Christi passionum introrsum eos participes facit, imò etiam resurrectionis ejus participes puri & justi ab illo facti evadunt; quo etiam & illi salutem adipiscuntur, qui habent externam Christi scientiam, cum hoc intellectus eorum aperiuntur ad rectè utendum & applicandum, quę in Scripturis traduntur, ut salutiferum illorum usum accipiant. Potest tamen obsisti & rejici in utrisque; & in illo Deus dicitur resisti & premi, & Christus dicitur denuò crucifigi, inter, & in hominibus, & ignominiæ exponi; & illis, qui hoc modo resistunt & rejiciunt, fit condemnatio.

Primò, secundum hanc doctrinam Dei misericordia optimè exhibetur in eo, quod nemo necessario excluditur à salute; & justitia ejus de-

monstratur, quod nullos condemnet nisi illos, quibus realiter obtulit salutem, communicans iis media ad illam sufficientia.

Secundò, hæc doctrina bene ponderata fundamentum Christianitatis & salutis esse apparebit.

Tertiò, toti Evangelii promissionum & minarum scopo optimè respondet, nec non naturæ ministerii Christi, secundum quod Evangelium, salus & pœnitentia jubentur prædicari omni creaturæ; nullâ habitâ gentium, generum, vel linguarum ratione.

Quartò, magnificat & commendat hæc doctrina merita & mortem Christi, quod non solum ea sufficere ad omnes servandos efficiat, sed declaret ita omnes attigisse, ut in proxima salutis capacitate positi sint.

Quintò, super omnia gratiam Dei exaltat, cui attribuit vel minima opera bona; cuique adscribit primos ad bonum motus, sicut & integram & continuam conversionem, præservationem & salutem animæ.

Sextò, contradicit & enervat falsam Pelagianorum, Semipelagianorum, & Socinianorum doctrinam; qui naturæ lumen exaltant & liberum hominis arbitrium; dum omninò naturalem hominem à vel minima in salute sua parte excludit, ullo opere, actu vel motu suo, quoad primò vivificetur, suscitetur, & actuetur Spiritu Dei.

Septimò, sicut totam hominis salutem ex Deo solummodo pendere facit, ita condemnationem ejus ex seipso totaliter & omni respectu efficit, quia restitit & recusavit illud, quod à Deo illi communicatum fuerat, ideoque cogit hominem justum Dei judicium agnoscere in deserendo & derelinquendo illum.

Octavò, omnem removet desperationem, quòd unicuiqui spei fundamentum & certam fiduciam, quod possint servari, prebeat; neque quempiam in securitate foveat, cùm nemo certus sit, quàm citò dies visitationis ejus expirabit; ideoque perpetuum incitamentum & provocatio omnibus est, malum fugere & derelinquere, & ad illud, quod bonum est, attendere.

Nonò, mirificè commendat non minùs Christianæ religionis certitudinem in fidelibus, quàm innatam suam veritatem omnibus manifestat; quod omnium experientiâ confirmatur & stabilitur; quum nemo adhuc inventus sit ubicunque terrarum, utut Barbarus & sævus, qui non confessus est, quod aliquando plùs minùs senserit aliquid in corde suo redarguens, & ei quædam esse mala significans, & horrorem quendam inferens & minitans, si in malo permaneat, nec non pacem quandam, requiem

quiem & suavitatem delectabilem promittens & communicans, prout locum & aditum recipiebat, & non resistebatur.

Decimò, excellentem Dei sapientiam mirè demonstrat, quâ medium salutis ita catholicum & comprehensivum fecit, ut non sit opus recurrere ad miraculosos & mirabiles modos; quum, secundum hanc verissimam doctrinam, Euangelium omnes attingat, quacunque conditione, ætate, vel natione sint.

Undecimò, realiter & effectivè, licet non totidem verbis, tamen actis, stabilitur & confirmatur ab omnibus prædicatoribus, promulgatoribus & doctoribus Christianæ religionis, qui unquam fuerunt, vel nunc sunt; etiam ab iis, qui hanc doctrinam rejiciunt & negant, in eo quòd omnes illi, ubicunque fuerunt, vel sunt, ad quemcunque populum, quocunque loco, vel regione, prædicent omnibus & singulis, quod servari possint: rogant & persuadent, ut in Christum credant, qui pro iis mortuus est: sic quod in genere negant, de unoquoque individuo fatentur, quod nemo sit, cui Christum nolint prædicare in ordine ad salutem, dicendo singulis, quòd Jesus Christus vocat & vult illos credere & servari, & si recusent, ideo condemnabuntur, & quòd condemnatio eorum ex seipsis est. Talis est veritatis evidentia & vis, ut adversarios suos etiam invitos aliquando concedere cogat.

Denique, secundum hanc doctrinam, argumentum illud, à Remonstrantibus productum, & à Calvinistis evitatum, nempe, quod unusquisque tenetur credere Christum pro se mortuum, mutando assumptionem, invincibile redditur, hoc modo; Quod unusquisque tenetur credere, illud est verum: Sed unusquisque tenetur credere Deum sibi misericordem esse: Ergo. Hanc assumptionem nemo negare potest, quum misericordia sit super omnia opera ejus; & in hoc Scriptura ubique declarat misericordiam Dei, quod peccatores ad pœnitentiam invitet & vocet, & illis salutis viam aperiat. Sic quamvis hic non tenetur credere Christi historiam, quam nunquam audivit, nec scit, tamen tenetur credere fore Deum sibi misericordem, si vias ejus sequatur, & Deum in hoc illi misericordem esse, quòd redarguat de malo, & ad bonum moveat. Neque ullus tenetur credere Deum sibi non esse misericordem, vel ab initio præordinasse illum in mundum venire, ut, suis pravis inclinationibus derelictus, & mala perpetrans, quasi medio à Deo instituto, ad æternam condemnationem ducatur: quòd si verum esset, non video, cur non liceret alicui credere illud, quod verum est.

Sicut ex re ipsâ luculenter apparet, excellentes has & optimas consequentias ex hujus doctrinæ fide pendere; ita, ex ampliore ejus probatione, postea magis apparebit. Sed antequam ad eam veniam, necessarium est de statu controversiæ quædam præfari, quod nonnihil luminis nobis adferet; nam ex statu controversiæ, non rectè intellectæ, fit sæpius, ut & argumenta ex una, & objectiones ex altera parte frequenter adducantur, quæ prorsus extra controversiam sunt. Hoc modo etiam sensus & sententia nostra magis distincte & clarè intelligetur & aperietur.

XII. Primò, per hunc diem & tempus visitationis, quod Deum omnibus impertire dicimus, quo servari unusquisque possit, non intelligimus totam uniuscujusque hominis vitam, licet quibusdam extendatur etiam ad ipsam mortis horam, ut in exemplo pœnitentis furis in cruce conversi apparet: sed tale tempus duntaxat, quo satis exoneratur Deus a singulorum condemnatione; quod quibusdam diuturnius, quibusdam brevius esse potest, sicut Deo secundum sapientiam suam videtur. Ita ut multi ultra hunc diem vivere possint, post quem nulla illis est salutis possibilitas, & obdurari illos patitur Deus, ut justum pro incredulitate judicium; & tunc suscitat tales, quasi iræ suæ instrumenta, & ad invicem virgam suam facit. Hominibus igitur, in hoc statu positis, rectè applicantur illa Scripturarum testimonia, quibus alii abutuntur, ut probent Deum homines ad peccandum necessariò impellere; quod optimè ab Apostolo ad Romanos exprimitur: cap. 1. a versu 17. ad finem. Sed præsertim v. 28. *& sicut illis non placuit Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea &c.* Quòd multi ultra hunc diem vivere possint, apparet exemplo Esau, ad Heb. 12:16, 17 *qui vendidit jus primogenitti*; aliquando igitur habuit, & servasse potuit; *sed postea hæreditare cupiens benedictionem, reprobatus est.* Hoc etiam apparet Christi de Hierosolymis lamentatione Luc. 19:42. *Quia si cognovisses tu, & quidem in hoc die, hæc, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Hinc apertè infertur, fuisse tempus, quo cognoscere potuissent, quod nunc remotum erat, licet illi adhuc viverent: sed de hoc fusius postea.

XIII. Secundò, hoc semine, gratiâ, verbo Dei, & lumine, quo unumquemque illuminari dicimus, ejusque mensuram aliquam habere in ordine ad salutem, & quod hominis pertinaciâ & voluntatis ejus malignitate resisti, extingui, vulnerari, premi, occidi & crucifigi potest, minimè intelligimus propriam essentiam & naturam Dei in se præcise sum-

sumptam, quæ in partes & mensuras non est divisibilis; cùm purissima & simplicissima sit, omnis compositionis & divisionis expers, & ideo nec extingui, nec vulnerari, nec crucifigi, nec occidi omnibus hominum viribus potest: sed intelligimus Spirituale, cœleste, & invisibile principium & organum, in quo Deus, ut est Pater, Filius, & Spiritus, habitat; cujus divinæ & gloriosæ vitæ mensura omnibus inest, sicut semen, quod ex natura suâ omnes ad bonum invitat & inclinat, & hoc vocamus vehiculum Dei, Spirituale Christi corpus, carnem & sanguinem Christi, quæ ex cælo venere, & de quibus omnes Sancti comedunt, & nutriuntur in vitam æternam. Et sicut contra omnia facta mala hoc lumen & semen testatur, ita ab eis etiam [illegible]cifigitur, extinguitur, & occiditur; & à malo fugit & abhor[illegible] caro humana fugit & abhorret, quod naturæ suæ noxiu[illegible]ntrarium est. Et quum hoc nunquam separetur à Deo & Christo, sed ubi est, ibi etiam Deus, & Christus est in illo involutus & velatus: eo igitur respectu, ubi illi resistitur, Deus dicitur resisti & deprimi, & Christus crucifigi & occidi; & sicut etiam recipitur in corde, & effectum suum naturalem & proprium producere non impeditur, Christus formatur & suscitatur in corde, de quo Scriptura frequenter mentionem facit, *qui novus homo*, sciz. *Christus in Sanctis spes gloriæ dicitur.* Hic ille Christus internus est, de quo nos tantum & tam sæpè loqui & declarare audimur, ubique prædicantes illum, & omnes hortantes, ut in lumen credant, illique obediant, ut Christum in semetipsis natum & exsuscitatum noscant, ab omni peccato illos liberantem.

Per hoc nec volumus nec cupimus nosmetipsos æquare sancto illi viro, Domino Jesu Christo, qui ex Maria Virgine natus fuit, in quo habitabat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, neque præsentis ejus existentiæ realitatem destruimus, sicut quidam nos falsò calumniati sunt. Nam licet affirmemus Christum in nobis habitare, tamen non immediatè, sed mediatè, ut est in illo semine, quod in nobis est; cum ille, nimirum verbum æternum, quod erat apud Deum, & ipse Deus erat, & immediatè habitabat in sancto illo homine: sic ille quasi caput est, nos quasi membra; ille vitis, nos quasi palmites: & sicut anima multò aliter & magis immediatè existit in capite, & in corde, quam in brachiis vel pedibus; & sicut sapor, vis, vitaque vitis existit aliter & magis in trunco & radice, quàm in palmitibus; sic etiam Deus habitat aliter in homine Jesu Christo, quàm in nobis.

Quin

Quin ex animo rejicimus Apollonarii hæresin, qui negabat eum habuisse animam, sed corpus tolummodo divinitate actum; & etiam Eutychetis errorem, qui naturam virilem à divinitate prorsus absorptam voluit. Nam sicuti credimus fuisse illum verum & realem hominem; ita credimus sic illum adhuc remanere in cœlis, cùm in corpore, tùm in anima glorificatum, per quem Deus judicabit mundum in novissimo & extremo die judicii.

XIV. Tertiò, non intelligimus hanc gratiam, hoc lumen, & semen esse accidens, ut plerique ineptè faciunt, sed credimus esse realem, spiritualem substantiam, quam anima hominis apprehendere & sentire potest; & ex qua realis ille & spiritualis partus, in fidelibus vocatus nova creatura, novus homo in corde provenit & oritur. Hoc mirum videtur carnalibus hominibus, quia hisce peregrini & alieni sunt; sed nos novimus, & hujus sensibiles sumus verâ & certâ experientiâ; licet hoc difficile sit intellectu homini naturali, suâ & mundanâ sapientiâ, donec in seipso sentiat; & quamvis in mera notione teneret, parum illi proderit. Possumus tamen hanc veritatem demonstrare, quòd fides nostra hac de re solidissimo fundamento innitatur, hoc interno & substantiali semine in cordibus nostris: prout radicem in nobis obtinet, & partum sivè genituram accipit, spirituales illos sensus assequimur, quibus gustare, odorari, videre, contrectare, quæ Dei sunt, possumus. Hæc enim nemo attingere potest naturali suo spiritu, & sensibus humanis, ut suprà demonstravimus.

Præterea, novimus hoc esse substantiam, quia subsistit in cordibus impiorum, dum in impietatibus maneant; ut postea fusius probabitur. Sed nullum accidens in subjecto esse potest, nisi subjectum denominetur ab illo, sicut ubi albedo est in subjecto, denominat subjectum album. Distinguimus igitur inter sanctitatem, sicut accidens est, quâ denominatur homo, ut hoc semen locum in corde suo obtinet, & inter hoc sanctum & substantiale semen, quod sæpè in hominum cordibus jacet, veluti nudum granum in terra petrosa; sicuti distingui possit inter sanitatem & medicinam; sanitas non potest esse in corpore, nisi corpus denominetur sanum, quia sanitas est accidens: sed medicina potest esse in corpore maximè insano, quoniam substantia est. Et veluti quum incipit medicina operari, corpus quodam respectu possit dici sanum, alio verò ægrotum. Sic fatemur, quod, ubi divina hæc medicina locum obtinet in hominum cordibus, denominet eos ex parte sanctos & bonos, licet pars aliqua adhuc re-

ma-

maneat corrupta, & non mortificata, & quidam ex malis humoribus non sint expurgati. Nam ubi duo contraria accidentia in uno subjecto sunt, sicut sanitas & ægrotatio in uno corpore, subjectum denominatur ab illo accidente, quod magis prævalet; ita multi dicuntur sancti, pii, & viri boni, idque verè, quando sanctum hoc semen nonnihil in illis operatum est, & aliquantulum natura sua fermentavit illos, licet multis infirmitatibus, & imbecillitatibus, imò nonnullis iniquitatibus adhuc obnoxii sint: nam sicut semen peccati, & corruptionis radix, inque illam cadendi capacitas virum bonum & pium non denominat impium; ita nec semen justitiæ in malis, & possibilitas fermentandi cum illo, impios & pravos denominat bonos.

XV. Quartò, per hoc nullo modo intelligimus, neque volumus minuere, nec derogare à sacrificio & propitiatione Jesu Christi, sed è contrà magnificamus & exaltamus illam; nam sicut credimus ea omnia, quæ in sacris literis de conceptione, partu, vitâ, miraculis, passione, morte, resurrectione & ascensione Christi consignata sunt, verè & realiter fuisse transacta; ita sentimus omnes obligari ea credere, quibus Deus illorum scientiam adfert: imò putamus damnabilem incredulitatem fore, siquis non crederet ea sibi allata, quoniam divinum illud semen omnes ita credere inclinaret, & licet unicuique non revelet explicitam & externam eorum scientiam, semper tamen veritati assentitur, ubi declaratur. Nihilominus sicut firmiter credimus necessarium fuisse Christum advenire, ut morte & passione suâ semetipsum Deo pro peccatis nostris sacrificium offerret, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; ita credimus, quicunque remissionem peccatorum habet, non aliundè, nisi virtute sacrificii illius quàm satisfactorii habet; nam hujus solùm obedientiâ donum gratuitum in omnes supervenit ad justificationem: credimus enim, quod, sicut omnes participes sunt mali fructus Adæ lapsus, cum malo illo semine, quod per eum illis communicatum est, proni & ad malum proclives sint, licet millies mille Adæ sint ignari, & quomodo prohibitum fructum ederit; ita multi possint sentire divini hujus & sancti seminis virtutem, eâque à malo ad bonum converti, licet de Christi in terram adventu, per cujus obedientiæ & passionis beneficium hoc fruuntur, prorsus ignari sint. Et sicut credimus omninò necessarium esse iis historiam externam Christi credere, quibus Deus ejus scientiam voluit aliquo modo communicare, ita ingenuè fatemur, hanc externam scientiam esse consolabundam illis, qui subjecti sunt, & hoc interno semine &

lumine acti: nam non solùm sensu mortis & passionum Christi humiliantur, sed & iis confirmantur, & ad sequendum præstantissimum ejus exemplum animantur; *qui*, ut ait Petrus, 1 Petr. 2. 21. *passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus*; nec non sæpissimè reficiuntur & recreantur gratiosissimis sermonibus, qui ex ore ejus procedebant. Historia igitur prodest, & consolabunda est cum mysterio conjuncta, sed non sine illo; at mysterium est, & prodesse potest sine explicita & externa cognitione historiæ.

Quintò, hoc autem ad aliam quæstionem nos adducit, nempe, *num Christus in omnibus sit*. De hoc sæpè interrogamur & argumenta contra affirmativum adducuntur, quia in quibusdam scriptis nostris invenitur, quod Christus in omnibus sit, & sæpè audimur in publicis conventibus, & concionibus exhortantes unumquemque, ut Christum in se noscant, & ad illum veniant, qui in ipsis est. Libet igitur, hoc loco, hac de re aliquid dicere, ut omnes scrupuli removeantur. Hactenus affirmavimus divinum, spirituale, supernaturale lumen omnibus inesse, etiam illud lumen vel semen esse Dei vehiculum, in quo Deus & Christus semper habitant, & à quo separari nequeunt; & quòd, prout locum in corde obtinet, cumque eo conjungitur, Christus formatur & oritur. Porro nunquam diximus, nec intelligimus Christum hoc modo in omnibus, vel in impiis esse formatum; nam hoc magnum in spiritualitate incrementum est, propter quod Apostolus laborabat, ut in Galatis produceretur. Neque est Christus in omnibus per unionem, vel strictè loquendo, ratione inhabitationis, quia inhabitatio, ut sæpiùs sumitur, unionem significat, sive modum, quo Christus in sanctis est, sicut scriptum est, 2 Cor 6. 16. *Habitabo in eis, & inambulabo.* Sed quoniam Christus in omnibus est, veluti in semine, quia nunquam separatur à puro illo & sancto semine & lumine, quod in omnibus est; igitur sensu latiore dici potest, Christum inesse omnibus, sicut antea observavimus. Scriptura ait, Hamos 2. 13. *Premitur Dominus sicut plaustrum plenum manipulis*: & Christus crucifigitur in iniquis, licet, strictè loquendo, nec possit Deus premi, nec Christus, qua Deus est, denuò crucifigi. Hoc igitur respectu, veluti in semine, est, quod in omnibus Christum inesse diximus, & omnibus prædicavimus, & invitavimus, ut ad Christum in se, crucifixum iniquitatibus & peccatis eorum, veniant, ut inspicientes illum, quem transfixerunt, pœnitentiam agerent: quo is, qui nunc jacet quasi sepultus in illis, suscitetur, & omnia in cordibus eorum gubernet & dominium exerceat: hoc modo etiam prædi-

dicavit Paulus Corinthiis, & Galatis, 1 Cor. 2. 2. *Christum in illis crucifixum in vitâ*; hunc Jesum Christum cupiebat Apostolus cognoscere in illis, & iis manifestare, ut sensibiles facti, quomodo Christum crucifixerint, resipiscerent & servarentur: & quoniam Christus dicitur esse illud lumen, quo unusquisque illuminatur, lumen mundi, ergo lumen pro Christo sumitur, qui reipsa omnis luminis fons est, & in lumine in æternum habitat. Sic lux Christi aliquando Christus dicitur, i. e. illud, in quo Christus habitat, & à quo nunquam separatur.

XVI. Sextò, ex suprà dictis abundè apparebit, nos hoc divinum principium minimè intelligere esse partem aliquam hominis naturæ, neque reliquias quasdam esse alicujus boni, remanentis in Adamo post lapsum, quum hoc, ab anima ejusque omnibus facultatibus quid distinctum & separatum, statutum sit; ea tamen est adversariorum malitia, ut non desinant nos calumniari, quasi lumen aliquod naturale, seu naturalis conscientiæ lumen prædicaremus. Sunt etiam, qui, non tamen injuriandi consilio, Socini & Pelagii doctrinæ faventes, falsò sibimet ipsis persuadent, illud, quod nos prædicamus, esse aliquod naturale; quasi non realiter, sed solum verbis & logomachiâ ab illis differremus; quum re ipsa haud majus esse possit, quàm inter nos & illos hac in re constat, discrimen; cùm hoc lumen, de quo loquimur, ab hominis animâ ejusque facultatibus non solum differens quid, sed planè alienum & diversæ naturæ certò compererimus. Fatemur quidem hominem, sicut est animal rationale, habere rationem, quâ veluti naturali facultate animæ suæ discernit, & intelligit quæ rationalia sunt: hæc enim est proprietas illi naturalis & essentialis, quâ cognoscere, & discere plurimas artes & scientias potest, quas nullum aliud animal merâ animali proprietate potest: neque negamus, quòd hac rationalitate capax sit homo in cerebro apprehendere quasdam notiones scientiæ Dei, & rerum spiritualium; sed, cùm hoc non sit aptum & rectum organum (ut thesi secundâ fusius significatum est) nihil illi ad salutem prodesse potest, sed potius impedit: & revera magnæ apostasios causa fuit, quod homo res Dei comprehendere conatus est per rationalem hanc & naturalem proprietatem, inquè eâ religionem ædificare, dum semen hoc & principium divinum negligeret & contemneret: quo factum est maximè universaliter, ut *Antichristus* in unoquoque exaltatus sit, & *sedeat in templo Dei, quasi Deus, & supra omne quod dicitur Deus.* Nam cum *homines sint sancti Spiritus templa*, ut ait Apostolus: 1 Cor. 3: 16. quando principium seu proprietas rationalis ibi sese

exaltat ſuper ſemen Dei regnare & gubernare in rebus ſpiritualibus, dum ſemen Dei premitur & vulneratur, ibi Antichriſtus in unoquoque eſt, vel aliquid exaltatum ſuper & contra Chriſtum. Non hinc affirmamus, quaſi homo recepiſſet rationem ſuam in nullum finem, vel prorſus inutiliter; nequaquam: rationem datam & conceſſam hominibus exiſtimamus, ut illum in rebus naturalibus & mundanis gubernaret: nam ſicut Deus duo magna luminaria creavit ad externum orbem gubernandum, ſolem & lunam, majus lumen ad diem, minus verò ad noctem regendam. Ita hominibus dedit lumen filii ſui, ſpirituale & divinum lumen, ad gubernandum illum in rebus ſpiritualibus; & lumen rationis ad gubernandum illum in rebus naturalibus. Et ſicut luna lumen ſuum à ſole mutuatur; ita debent homines, ſi in rebus naturalibus rectè & benè gubernari vellent, habere rationem ſuam illuminatam divino hoc & puro lumine: quam rationem illuminatam illis, qui obediunt & ſequuntur verum lumen, fatemur utilem eſſe in rebus ſpiritualibus, quando priori ſemper ſubſervit, & ſequitur; veluti vita animalis in homine juvat illum ea, quæ rationalia ſunt, agere, ut ratione reguletur & ducatur. Deinde, rectè hoc diſtinguimus a naturali hominis conſcientia; nam, cùm conſcientia illud ſit in homine, quod ex naturalibus animæ facultatibus oritur, corrumpi & pollui poteſt: diſertè dicitur de impuris ad Tit. 1: 15. *Sed inquinatæ ſunt eorum mens & conſcientia.* Hoc lumen autem nunquam corrumpi nec pollui poteſt; neque unquam peccato aut iniquitati conſentit. De illo enim diſertè dicitur, quòd *omnia reprobanda manifeſtet.* Eph. 5: 13. & fidelis eſt Dei teſtis contra omnem hominum injuſtitiam. Conſcientia autem, ut rectè definitur, a conſcire provenit, & illa cognitio eſt, quæ in hominis corde oritur, illius, quod aut conſentaneum eſt, aut quod contradicit & contrarium eſt fidei ejus, quâ ſibi ſit conſcius, quod transgreditur faciendo id, quod perſuadetur facere non debere. Sic ſi animus ſemel excæcatus ſit, vel falſâ fide deceptus, tunc etiam oritur conſcientia hujus fidei, quâ vexatur, cùm contrarium agat: e. g. Si Turca vinum bibat; quoniam jam, falſâ fide deceptus, credit hoc ſibi non licere, ergo conſcientiæ ſtimulis vexatur: ſi autem concubinas plures foveat, vel mæchetur, quia jam coinquinatus eſt animus, hoc ſibi licere, conſcientia non premitur; lumen autem Chriſti in illo, ſi animadverteretur, non ſolùm pro mæchatione illum argueret; ſed etiam, ſi locus ei daretur, annunciaret illum eſſe Mahometum nequam; ſicut Socrati perſuaſit de falſitate ethnicorum deorum.

Præ-

Præterea, si Pontificius in quadragesimâ carnes edat, vel in adoratione Sanctorum & imaginum non satis diligens sit, aut si etiam imagines contemnat, conscientiæ timulis affligeretur; quia jam de his falsam fidem imbibit. Lux autem Christi talibus abominationibus nunquam consensit. Hoc modo naturalis hominum conscientia satis ab hoc lumine distinguitur: conscientia enim judicium sequitur, non instruit: sed lumen hoc, prout recipitur, cæcitatem removet, judicii intellectum aperit, & judicium ac conscientiam dirigit. Confitemur etiam esse conscientiam quid præstantissimum, si rectè illuminetur atque edoceatur; & ideo ex nostris quidam aptè compararunt conscientiam laternæ, & lumen Christi candelæ in illa lucenti; laterna utilis est, cùm in illâ clara candela luceat, sed hâc extinctâ nulli usui est. Lumen igitur Christi in conscientia, non autem naturalem hominis conscientiam nos omnibus indesinenter commendamus, &, ad vitam æternam, certissimum ducem annunciamus.

Denique, hoc non aliqua vis, seu facultas hominis animæ est; quia homo in sanitate potest, quando placet, movere & exercere animæ suæ facultates, earumque ipse dominus est; &, si non impediat naturalis aliquis defectus, illis ad libitum uti potest. Sed hoc lumen & semen Dei nemo potest, quando vult, suscitare; sed movet, & afflat, & disceptat cum homine, sicut Domino videtur bonum: nam, licet omnibus possibilitas salutis sit per diem visitationis ejus, non potest tamen homo, quando vult, vel aliquem miseriæ suæ sensum habet, ita hoc lumen & semen excitare, ut sibimet cordis mollitiem & teneritatem procuret; sed oportet, hoc attendat, quòd omnibus superveniat certis temporibus, quibus mirum in modum cor mollificat & concalefacit, & operatur in illo; quo tempore, si homo non resistat, sed cum eo jungat, salutem per illud adipiscitur. Sicut lacus Bethsaidæ non omnes, qui sese illo abluêre, sanavit, sed qui primò abluti sunt post motum Angeli super aquas; ita in corde movet Deus, in amore erga genus humanum, per hoc semen, quibusdam singularibus temporibus, disponens peccata eorum in ordine ante oculos, ad pœnitentiam invitans, remissionem peccatorum & salutem offerens, quod si non recuset homo, servari potest. Nullus autem homo vivit, & certus sum neminem hanc chartam lecturum, qui, si fideliter & honestè cum animo suo in conspectu Dei agere velit, his acquiescere non cogatur; quique hujus sensibilis secundum aliquam mensuram plùs minùs non fuerit. Hocque illud est, quod homo in seipsum inducere, omni

ſuo labore & induſtriâ, non poteſt. Hic igitur, ô homo, qualiſcunque ſis, eſt pretioſus Dei erga te dies viſitationis; cui ſi non reſiſtas, fælix in æternum futurus es. *Hic eſt dies Domini, qui*, ut ait Chriſtus, *eſt ſicut fulgur, lucens ab oriente ad occidentem; & ſicut ventus, vel Spiritus ſpirans in animam, & vox ejus auditur, ſed neſcimus unde veniat, aut quo vadat.*

XVII. Et nunc denique ducor quædam dicere de modo hujus ſeminis operandi in cordibus omnium, quo adhuc luculentius apparebit, quomodo ab eis omnibus longè differamus, qui naturale lumen, vel vim in homine exaltant; & quomodo doctrinâ noſtrâ præ omnibus ducimur, integram noſtram ſalutem, unicæ Spiritûs & gratiæ Dei virtuti, attribuere. Qui nos hoc modo interrogant, quomodo à Pelagianis vel Arminianis differtis? nam ſi duo æqualem ſeu ſufficientem gratiam habeant, & alter ſervetur, alter pereat, nónne cauſa eſt, quia alter benè utitur gratiâ, alter non? Et nónne voluntas hominis alteri cauſa ſalutis eſt? ita, inquam, interrogantibus ſic reſpondemus. Gratia & lumen omnibus datum ſufficit omnes ſervare, & ex natura ſua vult omnes ſervare; & ita cum omnibus diſceptat ac operatur, ut illos ſervet. Qui reſiſtit, ſuæ condemnationis cauſa eſt; qui non reſiſtit, fit illius ſalus. Qui ſervatur, opus ex gratia eſt, non ex homine, & quod hominis eſt, paſſio eſt potius, quam actio; licet poſtea, dum nonnihil operata eſt gratia, oritur in homine voluntas nova, qua cum gratiâ cooperatur, ſecundum illud Auguſtini, *qui nos fecit ſine nobis, nos non ſalvat ſine nobis.* Primus igitur progreſſus non eſt cooperando, ſed non contra opponendo aut operando. Ad hæc etiam credimus, quod ſpeciali illo tempore uniuſcujuſque viſitationis, (de quo ſupra) ſicut homo ex ſe totaliter impotens eſt ad operandum cum gratiâ, ita ne vel minimum progreſſum, ex naturali ſtatu, movere poteſt, donec gratia illum apprehendat. Ita poſſibile eſt illi pati & non reſiſtere, ſicut etiam poſſibile eſt multis reſiſtere.

Dicimus igitur, gratiam Dei in & ſuper naturam humanam operari, quæ, licet ex ſe totaliter corrupta, polluta, & ad omne malum prona ſit, capax tamen eſt, in quâ gratia divina operari poteſt; ſicut ferrum, ex ſe metallum durum & frigidum, ignis tamen calore calefieri & emolliri poteſt: item cera ſolis calore liquefieri. Et ſicut ferrum, aut cera, quando ab igni vel ſole remota eſt, ad priſtinum duritatis & frigiditatis ſtatum revertitur; ſic cor hominis, ubi reſiſtit, vel à gratia recedit, ad priſtinam conditionem redit. Hujus, Dei erga omnes ad ſervandos eos, operationis

mo

modus mihi frequenter uno vel altero exemplo illustratus est, quæ hoc loco, alius instruendi gratiâ, apponere libet.

Primum exemplum est hominis graviter ægrotantis; huic comparo hominem in degenerato & naturali statu; Deum, ut magnum & eximium medicum, non solùm puto huic medicinam offerre, postquam viderit illum suâ industriâ omnibus modis ad sanitatem acquirendam usum esse, sicuti ajunt, quod, si homo ratione & naturalibus viribus benè utitur, Deus gratiam superaddet; vel quod Deus veniens remedium huic offert, libertati voluntatis ejus relinquens, ut, si vult, recipiat, vel si non vult, rejiciat, ut alii dicunt: sed ille etiam Dominus eximius hic medicus venit, & hanc medicinam in os hominis infundit, & quasi in lecto eum ponit; quòd si ægrotus solum passivus sit, necessariò effectum operabitur, sed si adeò pertinax & refractarius sit, ut datâ operâ velit surgere, ac frigori se exponere, & fructus illos, qui noxii sunt, edere, dum deberet operari medicina; licet illa ex naturâ suâ tendat ad sanandum illum, tamen destructiva ei & mortifera fit, quia interpositis obstaculis naturam violare cogitur. Sicut igitur homo, qui hoc modo periclitatur, certè suæ ipsius ruinæ causa est; ita quis ausit dicere, quod is, qui sanatur, sanitatem suam non ex medico, vel medicina, sed ex seipso habeat; cùm partes ejus non actio, sed mera passio, fuerint.

Alterum exemplum est plurimorum in tenebrosa caverna jacentium, ubi sensus eorum ita stupefacti sunt, ut vix suæ miseriæ sensibiles sint; his comparo hominem in corrupto suo & naturali statu; non puto ex iis aliquos, enixè laborantes semetipsos liberare, aliquem spectantem & redimere capacem, hoc modo, ad misericordiam & auxilium præbendum, provocare: quasi dixerit, video ex istis quosdam volentes redimi, &, quod in se est, facientes, ut liberentur, ergo auxilium merentur, ut ajunt Pelagiani, Sociniani & Semipelagiani. Neque puto liberatorem, ad summam cavernæ accedentem, scalam demittere, dicentem, si quis vult ascendere, ascendat; ita ut oporteat propriis viribus ad ascendendum uti; sicut Jesuitæ, Arminiani, & alii statuunt: qui tamen prædicant se totum gratiæ attribuere. Sed puto liberatorem certis temporibus manifestè declarare illis miseriam, in quâ versantur; periculum, quid, & quantum sit, annunciantem, si in pestiferò illo loco remaneant; quin imò quendam hujus miseriæ sensum illis imprimit: (nam etiam nequissimi homines aliquando Dei visitatione miseriæ suæ sensibiles sunt) & non illud solum, sed apprehendit illos, extrahit & evellit, ut ex miseria expromat, & educat; cui si non re-

reſiſtunt, ſervabuntur; certum eſt autem, quòd reſiſtere poſſint. Hoc, ut alterum applicatum, eodem modo rem noſtram illuſtrabit; non tamen gratia Dei fruſtratur, ſed effectum ſuum operatur, viz. Dei gloriam, licet effectus varius ſit quoad objectum: miniſtratio miſericordiæ & amoris eſt in illis, qui non rejiciunt, ſed recipiunt: *&, quotquot receperunt illum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Sed miniſtratio iræ & condemnationis iis, qui rejiciunt & reſiſtunt. *Hæc eſt autem condemnatio, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras.* Sic ſol uno eodemque actu ceram emollit, lutum indurat. Natura ſolis eſt reficere & recreare mundum; vivi igitur ejus radiis recreantur, & flores odorem bonum emittunt, dum ſol in illos ſplendeſcit, & arborum fructus matureſcunt. Sed, ſi cadaver aliquod, vel vitâ carens ſolis radiis objiciatur, ejusdem reflexio putorem & fœtorem emittet, non tamen proprii effectûs fruſtratur ſol. Sic in unumquemque, durante die viſitationis ejus, *ſol juſtitiæ* illuceſcit, ut bonos ferrent fructus & bonum odorem; & radiis ejus molliri & calefieri corda eorum poſſint. Sed, ſi diem illum præterire ſinant, tunc idem ſol obdurat eos ſicut lutum, & iniquitates eorum magis manifeſtat; ac putreſcere atque perolere facit.

XVIII. Denique, ſicut certè & verè affirmamus Deum neminem perire velle, & ideo omnibus gratiam ad ſalutem ſufficientem dediſſe: ita minimè negamus, quin ſpeciali aliquo modo in quibusdam operetur; in quibus gratia ita prævalet, ut neceſſariò ſalutem obtineant, neque patitur illos reſiſtere Deus. Abſurdum enim erit dicere, quòd non longè aliter erga Mariam virginem & B. Paulum Deus ſeſe extenderit, quàm erga multos alios: neque affirmare poſſumus, Deum æqualiter Johannem dilectum diſcipulum, & Judam traditorem amaſſe. In eo tamen, quòd nemo caruerit eâ gratiæ menſurâ, quâ ſervari potuit, jure inexcuſabiles ſunt; & Deus etiam in illis operando, quibus hæc gratiæ prævalentia datur, ita ſe abſcondit, ad omnem ſecuritatem & præſumptionem excludendam, quo ipſi humiliantur, & libera Dei gratia magnificatur, & ex gratuito dono omnia reputantur, ex ſui ipſius viribus nihil; etiam qui pereunt, dum tempora illa divinæ erga illos viſitationis meminere, quibus Spiritu & lumine ſuo cum illis diſceptabat & luctatus eſt, coguntur confiteri fuiſſe tempus, quo illis janua miſericordiæ aperta erat, & quòd juſtè condemnentur, quoniam ſalutem ſuam rejiciebant. Hoc modo & miſericordia & juſtitia Dei ſtabiliuntur; & voluntas & vires hominis abjiciuntur, & deprimuntur. Condemnatio ejus ex ſe ipſo fit, & ſalus

ſolum

solùm ex Deo pendet. Hisce etiam positis, duæ maximæ objectiones, quæ sæpiùs contra hanc doctrinam afferuntur, optimè solvuntur.

Objectio prima ex istis Scripturæ locis deducitur, quibus Deus videtur præcisè destinâsse, decrevisse & prædestinâsse quosdam ad salutem, eoque fine specialia ordinâsse media, quæ cæteris non accidunt, sicut in vocatione Abrahæ, Davidis, & cæterorum; & in conversione Pauli: nam si hi referantur inter illos, quibus hæc prævalentia tribuitur, objectio optimè solvitur.

Secunda ex istis locis deducitur, quibus Deus videtur destinâsse iniquos quosdam ad perditionem, ideoque obdurâsse corda eorum, & in gravia peccata impellere, &, ad demonstrandam virtutem & vim suam in illis, exsuscitâsse: qui si referantur ad homines post transactum diem visitationis illorum, ista objectio etiam solvitur, ut volenti sigillatim eorum applicationem facere luculentiùs apparebit; quod ego brevitatis causâ hac vice prætermittendum duxi.

XIX. Quum statum controversiæ hoc modo clarè & luculenter ostendimus & aperuimus, ut & multę objectiones præventæ sunt, ita facilior & brevior erit nobis probatio illarum trium propositionum, quas supra probandas suscepi; quod sic aggredior.

Prima propositio, quæ probari debet, est, *quòd Deus unicuique diem & tempus visitationis dederit, quo possibilis eis salus est.* Si probare possumus diem eis datum esse, qui realiter pereunt, rem habemus. Nam nemo dubitat, quin illi, qui salvantur, diem habeant: illud manifestum est ex conquestibus & querimoniis, quibus per totas Scripturas Spiritus Dei utitur contra illos, qui peribant; increpans & acriter reprehendens, quod divinam visitationem & amorem rejecerunt, & misericordiam recusarunt; sic se Deus declarat primò adversus Cajinum, Gen. 4: 6, 7. *Tum dixit Iehova Cajino, quare accensa est ira tua? & quare cecidit vultus tuus? nónne si bene egeris, remissio; si verò non benè egeris, præ foribus est peccatum excubans?* Hoc dictum est Cajino, antequam occideret fratrem suum. Deinde, cùm inciperet semen malum tentare illum, & in corde operari, apparet, quomodo Deus monuerit Cajinum opportunè, & diem visitationis illi dederit, promittens illi remissionem, si benè ageret. Ita ut, si Deo omnis veritatis fonti credere fas sit, possibile fuit Cajino aliquando servari. Neque potuisset Deus proponere illi istud bene agere, tanquam conditionem salutis, nisi vires ei ad benè agendum sufficientes dedisset. Dominus etiam ostendit, quòd diem visitationis veteri mundo ante diluvium dederit,

Gen. 6: 3. *Quapropter dixit Iehova, non disceptabit Spiritus* בְּאָדָם *in homine in æternum.* Quo apertè infertur, Spiritum aliquo tempore cum hominibus disceptasse; quo tempore transacto, cessat cum illis disceptare ad salutem. Nam Spiritus Dei non potest dici disceptare cum hominibus post præteritum visitationis diem, cùm tunc fortiter & irresistibiliter in judicium operetur, viz. semper judicando & condemnando illos. At hoc die visitationis, quem unicuique Deus dedit, dicitur *expectare, gratiosus esse erga homines*: Isa 30: 18. *& esse longanimis*, Exod. 34: 6. Num. 14: 18. Psal. 86: 15. Jer. 15: 15. Hoc loco Propheta Jirmeja in oratione sua longanimitatem Dei apprehendit, & in expostulatione cum Deo adversariorum objectionem elidit, versu 18. *Quare esset dolor meus æternus, plaga & percussio mea mortifera? si renueret curari, omninò esses mihi similis fallaci, aquis instabilibus.* Cùm, secundum illorum sententiam, dolor plurium est, & semper fuit æternus, & plaga mortifera; imò Euangelii illis prædicatio fallax est, & veluti aquæ instabiles, nimirum nunquam salutis causa proposita. Petrus Apostolus exprobrat incredulitatem veteris mundi, *quoniam expectabat pro iis longanimitas Dei in diebus Noachi.* 1 Pet. 3: 20. quod, si conferatur cum illo Gen: antè citato, 6. 3. nostram propositionem satis illustrat. Et ne quis objiceret hanc Dei longanimitatem & luctationem (ut hoc verbo utar) non fuisse ad salutem, idem Apostolus disertè ait: 2 Pet. 3: 15. Longanimitatem Dei esse salutem, *Dominique nostri tarditatem ad iram & longanimitatem salutem arbitremini.* Dixerat paulò antè versu 9. *nolle Deum ullos perire.* Si igitur Petro utimur pro suorum dictorum interprete, quod maximè convenit, sic opinatus est, quod illi, quibus Deus longanimis est, (qualiter fuit veteri mundo, & omnibus hodiè, nolens ullos perire) debeant æstimare hanc Dei longanimitatem esse sibi salutem. Quo autem respectu salutem æstimare possunt, nisi eâ salutis possibilitas illis communicata sit? minimè iis esset salus, nisi servari eâ possent. Et hâc in re Petrus ad Pauli scripta respicit, insinuans hanc fuisse catholicam & communem Ecclesiæ doctrinam: & notatu dignissimum est, quod hoc præsertim loco advertit, in epistolis Pauli quædam intellectu difficilia esse, quæ indocti & instabiles detorquent ad suam ipsorum perditionem; apertè ostendens hoc de illis dici in Pauli epist. ad Rom. cap. 9. & aliàs, quæ instabilibus & indoctis in rebus spiritualibus, huic doctrinæ de amore & longanimitate Dei erga omnes, contradicere videntur. Utinam complures, magis quàm fecere, huic admonitioni obtemperâssent! Illud Pauli, ad

quod

quod inprimis videtur Petrus hoc loco collimare, huic rei nonnihil luminis affert, nempè Rom. 2: 4. *An divitias benignitatis ejus & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Paulus hîc irregeneratos & impios alloquitur, quos sequente versu ait, *thesaurizare sibi iram in die iræ*: & his commendat divitias patientiæ & longanimitatis Dei; ostendens quomodo benignitas ejus ducat ad pœnitentiam; quomodo igitur iis divitiæ vel benignitas dici poterit, nisi tempus esset, quo per illam pœnitentiam agere possent, & participes fieri divitiarum, quæ in illo tempore exhibitæ sunt? ex quibus omnibus sic argumentor. Si Deus argumentatur cum peccatoribus à possibilitate salutis illis traditâ; si Spiritus Dei disceptat cum illis ad tempus, ad servandos illos, qui postea pereunt; si expectat illis gratiosus esse; si est erga illos longanimis, & si longanimitas ejus salus est illis dum permanet, quo tempore non vult Deus illos perire, sed dat eis divitias benignitatis & patientiæ suæ, ut ad pœnitentiam adducantur; tunc dies datur visitationis, quo illi potuissent, & nunc multi possent servari, qui perierunt, & perire possunt, nisi pœnitentiam agant: Sed verum est prius: Ergo & posterius.

XX. Hoc porro apparet ex hisce Prophetæ verbis, nempe Jeschajæ 5: 4. *Quid faciendum amplius vineæ meæ, quod non fecerim in eâ?* nam versu 2. ait, *quod eam circummunivit & elapidavit, & tamen, eum expectasset, ut proferret uvas, protulit labruscas, ideoque vocat Ieruschalaimanos, inquiens: Iudicate inter me & vineam meam, quid faciendum amplius fuerit vineæ meæ?* Hoc multis in Israële applicatum est, qui misericordiam divinam rejecerunt. Eodemque exemplo utitur Dominus Matth. 21: 33. Marc. 12: 1. Luc. 20: 9. ubi declarat Christus, quibusdam vineam fuisse commissam, & omnia ad fructum domino præbendum necessaria tradita: pro quibus expectabat dominus misericors, multa delicta condonans, & ministrum post ministrum ad colligendum fructum mittens, antequam destinarit ejicere & delere illos. Primò igitur, per hos sancti non possunt intelligi, neque ii, qui pœnitentiam agunt, & servantur; quum diserte dicatur, quòd perdet illos; neque parabola fuisset ullo modo iis, quibus annunciata est, apposita, nisi potuissent cultores illi fructum reddere: ea fuit illis possibilitas, ut Christus per Prophetam dicat, *Quid faciendum amplius vineæ meæ fuerit, quod non fecerim in eâ?* Abundè igitur patet, quod, hâc parabolâ, à tribus Euangelistis repetitâ, Christus longanimitatem suam erga homines demonstret, & eorum ma-

litiam; qui, salutis capacitatem sibi concessam habentes, tamen ad suam ipsorum condemnationem resistunt. His similia sunt & alia Scripturę testimonia, videlicet Prov. 1: 24,25,26. Jer. 18: 9,10. Matth. 18: 32,33,34. Act 13: 46.

Denique, quòd sit dies visitationis malis datus, quo possint servari, eoque expirato à salutis possibilitate omninò excludantur, luculenter apparet ex Christi lamentatione super Hierosolymis, tribus locis significata; Matth. 23: 37. Luc. 13: 34. & 19: 41, 42. *Et ut appropinquavit, visâ urbe, flevit super eâ, dicens: Si vel tu nosses hoc saltem tuo die, quæ ad pacem tuam pertinent: Sed ea nunc occulta sunt oculis tuis*: quo nihil luculentius ad nostram sententiam confirmandam esse potest: nam primò significat fuisse diem, quo habitatores Jeruschalaimorum potuissent cognoscere quæ ad pacem eorum pertinebant. Secundò, quòd die illo voluit congregare liberos ipsorum, quemadmodum gallina congregat pullos sub alas. Exemplum equidem valdè familiare, significativum tamen hoc loco, quo ostenditur salutis exhibitionem à parte Dei minimè inanem esse, & non minore alacritate & voluntate Christum perditos homines congregare & servare velle, quàm gallina congregat & tuetur pullos suos. Tertiò, sed noluistis, nunc autem abscondita sunt ab oculis vestris, nempè, quæ ad pacem vestram spectant. Quare sunt abscondita? quia noluistis à me congregari; noluistis ea videre, quæ ad bonum vestrum & salutem pertinebant, dum divinus amor erga vos exhiberetur; & ideo, quia dies iste nunc expiravit, non potestis videre: jure augetur condemnatio vestra, & in incredulitate obduramini.

Post misericordiam igitur & salutem revera oblatam ac exhibitam, atque ab homine recusatam & rejectam, cor ejus obduratur; tuncque verificatur dictum illud, *omni habenti dabitur & abundabit; ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* Hoc paradoxum videri possit, sed secundum hanc doctrinam facilè solvitur. Non habet, quia tempus utendi amisit, ei igitur jam quasi nihil est, nam hoc dicto utitur Christus: Matth. 25: 29. de talento ablato à servo pigro, & dato diligenti, quod talentum ex se minimè insufficiens erat, sed ejusdem generis, quo cætera, aliis data, erant. Jure igitur Dominus postulabat usum ejus proportionaliter, sicut ex cæteris; & eodem igitur jure post rejectum visitationis diem, obdurationis pœna infligitur, sicut Christus pronunciat in Judæos ex Isaia, cujus meminere omnes quatuor Euangelistæ; Matth. 13: 14. Marc. 4: 12. Luc. 8: 10. Joh. 12: 40. Et postremus omnium Paulus Apo-

postolus, postquam Judæis, qui Romæ erant, Euangelium salutis obtulisset, idem pronunciat: Act. 28. 26 postquam quidam non credebant, *benè loquutus est Spiritus sanctus per Isaiam Prophetam patribus nostris, dicens; vade ad populum istum, & dic ad eos; auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non cernetis. Incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos compressérunt, ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos.* Hinc apparet, quod voluerit Deus eos videre, sed compressêre oculos; & ideo jure obdurantur. Hac de re igitur optimè agit Cyrillus Alexandrinus in Joannem lib. 6. cap. 21. dum huic objectioni respondet. *Sed quidam dicere possint, si Christus in mundum venit, ut, qui videant, excæcentur, hæc cæcitas non illis imputanda est, sed potius Christus videtur esse cæcitatis causa; qui ait, se ideo in mundum venisse, ut, qui videant, excæcentur. Sed* (ait ille) *non rationaliter loquuntur, qui hæc Deo objiciunt; & non timent illum mali authorem esse affirmare. Nam sicut sol sensibilis super nostrum horizonta vehitur, ut claritatis suæ donum omnibus communicet, & lumen in omnes vibret, sed si quis cilia occludat, vel sponte se à sole avertat, luminis ejus beneficium recusans, illumination caret, & in tenebris remanet, non solis defectu, sed suâ culpâ. Ita verus ille sol, qui venit illuminatum illos, qui sedebant in tenebris, & in regione umbræ mortis, hac causâ terram visitavit, ut omnibus communicet donum scientiæ & gratiæ, & internos omnium oculos illuminet spirituali splendore; sed multi rejiciunt donum hoc cælestis luminis gratis illis datum, & mentis oculos compressérunt, ne tam excellens illuminatio seu irradiatio æterni luminis illis illucesceret. Non igitur veri solis defectu occæcati sunt, sed solummodo propriâ iniquitate & obduratione. Nam, ut sapiens ait,* (Sapient. 2.) *excæcavit eos malitia eorum.* Ex quibus sic argumentor: Si dies fuit, in quo obstinati Judæi potuerunt cognoscere, quæ ad pacem suam pertinebant, & quia rejecerunt, abscondita sunt ab oculis eorum: & si tempus fuit, quo voluit Deus congregare eos, qui revera periêre; tunc illis divinæ visitationis adfuit dies, quo converti potuerunt & servari: Sed prius est verum: Ergo & posterius.

XXI. Secunda propositio, quæ secundo loco probanda venit, est, *quod Deus offerat hanc salutem operari, durante omnium visitationis die*, id est, *quod unicuique dederit mensuram aliquam salutiferi, sufficientis, & supernaturalis luminis & gratiæ.* Hoc quibusdam luculentis Scripturæ testimoniis, Deo annitente, facturus sum.

Primò, ex illo Joannis 1. 9. *Hic erat illa lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Hic locus nobis ita favet, ut à quibusdam Quakerorum textus nuncupetur ; luculenter enim noſtram propoſitionem demonſtrat, ut vix vel conſequentiâ vel deductione egeat ; quum ipſe ex duabus propoſitionibus, prioribus verſibus affirmatis, quaſi concluſio in ipſis fidei noſtræ terminis ſequatur : nam primò ait, *quod vita, quæ in illo erat, erat lux hominum* : deindè, *quòd hæc lux in tenebris luceat* ; & denique ex eo concludit, *lucem hanc veram illuminare omnem hominem venientem in mundum.*

Ex quibus breviter obſervo, primò ; quod divinus hic Apoſtolus Chriſtum *hominum lumen* appellat : hancque ſpecialem ejus proprietatem eſſe erga nos vel nobis ſaltem ponderandam & inprimis obſervandam hoc reſpectu, ſc. quâ lux eſt, *& ſicut ambulamus cum illo in luce ea, communionem ad invicem habemus, & ſanguis Ieſu Chriſti filii ejus emundat nos ab omni peccato.* 1 Joan. 1: 7. Secundò, quod *hæc lux in tenebris lucet, licet tenebræ eam non comprehendant.* Et tertiò, quod *hæc lux vera illuminet omnem hominem venientem in mundum* ; quo loco Apoſtolus divino Spiritu ductus eorum cavillationem evitat, qui certo cuidam numero hanc illuminationem reſtringerent : ubi omnes ſunt, ibi nemo excluditur. Præterea, licet ita obſtinati fuerint (quemadmodum aliquando ſunt) ut [*per omnes*] omnes electos tantummodo intelligi contendant : hæc verba ſequentia, *omnem hominem venientem in mundum*, tali ſubterfugio obviabunt. Manifeſtè igitur patet, neminem in mundum venire, quem Chriſtus non illuminavit, & cujus cordi hæc lux non illuceat ; & *licet tenebræ eam non comprehendant*, tamen ibi lucet, & ex naturâ ſua tenebras diſpellit, ubi homines oculos ſuos non occludunt. In quem finem hæc lux data ſit, dicitur verſu ſeptimo, ubi Johannes dicitur *teſtimonium perhibere de lumine, ut omnes per illud crederent*, viz. per lumen δι' αὐτοῦ, quod benè concordat cum πάντες, quod proximum antecedens eſt ; licet interpretes, ut ſuæ doctrinæ adiptarent, frequenter ad Joannem referant, quaſi omnes per Johannem credere deberent. Sed ut nihil in textu huic interpretationi favet, ita contextus ſcopo contradicit, nam, cum Chriſtus omnes hoc lumine illuminarit, annon hoc fit, ut per illud credant ? Omnes per Joannem credere non potuerunt, quia ad omnes Ioannis teſtimonium non pervenit : omnes autem, lumine illuminati, per illud credere potuerunt. Ioannes minimè in tenebris lucet, ſed hæc lux lucet in tenebris, ut diſcuſſis & diſſipatis tenebris fidem generet. Et denique, per illud

illud credere, vel per illud fideles fieri oportet, in quo communio cum Deo obtinetur, ut suprà observatum est. Sed ambulando in lumine hanc communionem obtinemus, non in Ioanne ambulando, quod ineptissimum esset dictu. Hoc igitur relativum δι αὐτοῦ ad φωτὸς i. e. lumen referendum est, de quo Ioannes testimonium perhibebat, ut per illud lumen, quo Christus omnes homines illuminavit, unusquisque crederet.

Cùm igitur hoc lumen sit lumen Christi, per quod omnes debent credere, non dubitandum esse opinor, quin sit supernaturale, salutiferum & sufficiens: Nam primò, si non esset supernaturale, non propriè dicendum esset Christi: quia, licet omnia ejus, ex eo, & per illum sint, ea tamen, quæ communia & naturæ nostræ peculiaria sunt, ut pars ejus, non dicimur ita specialiter à Christo habere. Præterea Euangelista hoc loco Christi officium, quâ mediator est, declarat, & beneficia, quæ ab illo nobis, quâ tali, redundant.

Secundò, non potest esse ex dotibus seu naturalibus animæ facultatibus, quò hoc loco dicimur illuminari, quia hoc lumen dicitur *in tenebris lucere, & ab illis non comprehendi*; hæ autem tenebræ nihil aliud sunt, nisi naturalis hominis status, in quo naturali statu facilè comprehendere potest, & comprehendit, quæ sibi quâ tali communia & peculiaria sunt. Quòd autem homo in naturali statu dicatur tenebræ apparet Eph. 5:8. *eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Vide Act. 26:18. Col. 1:13. 1 Thess. 5:5. ubi status hominis naturalis tenebræ dicitur. Ideo dico hoc lumen non esse naturale aliquod donum, sive facultatem hominis animæ, sed supernaturale donum & gratiam Christi.

Tertiò, salutiferum & sufficiens est. Quod datur, ut omnes per illud credant, oportet esse sufficiens & salutiferum: illud, in quo ambulando communio cum sanctis, & sanguis Jesu Christi ab omni peccato mundans, obtinetur, est sufficiens & salutiferum: Sed tale est lumen. 1 Joa. 1:7. Ergo. Præterea illud, in quod jubemur credere, ut fiamus filii lucis, est principium supernaturale, sufficiens & salutiferum: Sed jubemur credere in lumen: Ergo. Propositio negari non potest. Assumptio sunt ipsa Christi verba, Joa. 12:36. *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.* Hoc loco contendunt, per lucem intelligi externam Christi personam, in quam volebat illos credere: quod debebant credere in Christum, i. e. quod fuit Messias, non negatur; sed quomodo probent, illud hoc loco præcipi, non video: nam textus ipse contrarium demonstrat illis verbis, *dum lucem habetis*, & præcedente versu, *ambu-*

late

late dum lucem habetis, ut non comprehendant vos tenebræ. Quibus verbis apertè infertur, quòd remotâ illâ luce, in quam debebant credere, tunc tempus credendi amitterent. Hoc autem intelligi non potuit de perſonâ Chriſti: potuerunt Judæi credere, & multi ad ſalutem credidere in illum, ſicut hodiè omnes veri Chriſtiani, quamvis perſona ejus longè removeatur. Oportet igitur lucem hanc, in quam juſſi ſunt credere, internam & ſpiritualem lucem eſſe, quæ in omnium cordibus illucet pro tempore, imò durante die ſingulorum viſitationis, quæ dum continuat vocare, dicuntur homines invitari & admoneri, eamque habere, & in eam credere poſſe. Sed quando nolunt homines in eam credere, & rejiciunt, tunc deſinit lux eis lux eſſe ad ſalutem, ſed relinquit incredulitatis ſenſum in conſcientiis, quaſi ſtimulum, qui illis eſt ſicut horror, & tenebræ, in quibus quò ire neſciunt, nec aliquid utiliter ad ſalutem operari poſſunt: ideoque talibus rebellantibus *dies Domini tenebræ & non lux eſt.* Amos 5: 18.

Ex his apparet, quòd, licet multi non recipiant lucem, & tenebræ non comprehendant illam, tamen in omnibus hæc lux ſalutifera lucet, ut ſervet illos. De quâ etiam Cyrillus Alexandrinus ſuper Ioann. lib. 1. cap. 11. optimè agit, noſtramque ſententiam propugnat. *Cum magnâ diligentiâ & vigilantiâ* (inquit) *laborat* (ſcilicet Ioannes) *anticipare & prævenire vanas hominum cogitationes, nam mira hæc ſublimium rerum methodus eſt, & objectionum everſio, jam vocavit filium lumen verum, à quo affirmavit unumquemque hominem venientem in mundum eſſe illuminatum, etiam illum in mundo fuiſſe, mundumque ab illo factum. Poteſt igitur quis objicere; Si verbum Dei lumen eſt, & ſi hoc lumen corda hominum illuminat, pietatemque & rerum intelligentiam hominibus ſuggerit; ſi ſemper in mundo fuit, & mundi creator ſeu ædificator fuit, quare tamdiu mundo ignotus manſit? Videtur potius ſequi, quia ignotus fuit mundo, ergo mundum ab illo non fuiſſe illuminatum, & non eſſe totaliter lumen. Ne quis hoc objiceret, divine infert, & mundus non novit illum: ne accuſet, inquit, mundus verbum Dei, & æternum ejus lumen, ſed imbecillitatem propriam; nam filius illuminat, ſed creatura repellit gratiam ſibi datam, & intelligentiæ acumine ſibi conceſſo abuſa eſt, quo naturaliter Deum cognoſcere potuiſſet; & quaſi prodigus viſum ſuum ad creaturas convertit, ultra progredi neglexit, & per pigritiam & negligentiam illuminationem ſepelivit, & gratiam hanc contempſit. Quod ne diſcipulus Pauli pateretur, vigilare juſſus eſt; ideo eorum malitiæ, qui illuminati ſunt, non juſtè luci imputabitur: nam licet ſol in omnes aſſurgat, tamen qui cæcus eſt, non indè beneficium habet; nemo*

ideo

ideo jure potest solis splendorem accusare, sed non videndi culpam cæcitati ascribit. Sic (ut opinor) intelligendum est de unigenito, nam ille lux vera est, & splendorem suum in omnes emittit, sed Deus hujus seculi, ut ait Paulus, excæcavit mentes infidelium, 2: Cor. 4. *ut non fulgeat illis illuminatio Euangelii. Dicimus enim superveniſſe hominibus cæcitatem, non quia omninò luce priventur, nam retinet natura semper intelligentiæ vim divinitus datam; sed quia malo habitu hebescit homo, & in deterius vergit & mensuram gratiæ quodam respectu languescere facit. Quando igitur hujusmodi accidit homini, jure orat Psalmista, clamans, retege oculos meos, ut intuear mirabilia ex lege tuâ. Lex enim data erat, ut ea lux in nobis accenderetur, lippitudine mentis oculorum abstersâ, exclusâque cæcitate, quæ in priore ignorantiâ nos detinebat. His ergo verbis accusatur mundus, quasi ingratus & insensibilis, authorem suum nescions, neque bonum illuminationis fructum producens; ut nunc videatur vere de omnibus dici posse, quod per Prophetam de Iudæis dicebatur, expectabam ut produceret uvas, produxit autem labruscas: nam bonus illuminationis fructus erat scientia unigeniti, quasi uva ex fructifero palmite dependens*, &c.

Ex quibus apparet, credidiſſe Cyrillum illuminationem omnibus salutiferam traditam fuiſſe. Quod autem de naturâ ait, de merâ & communi hominum naturâ ex se minimè intellexit, sed de naturâ, quæ habet vim intelligentiæ sibi divinitus datam: nam hanc universalem illuminationem ejusdem generis esse censuit cum illâ gratiâ, cujus Paulus ad Timotheum meminit, dicens, *Noli negligere gratiam quæ in te est*; neque credendum est, Cyrillum adeò ignarum fuiſſe, ut existimaret hanc gratiam naturale aliquod donum fuiſſe.

XXII. Secundò, quòd salutiferum hoc lumen & semen, vel saltem quædam mensura ejus, omnibus data sit, declarat Christus in parabolâ seminantis, Matth. 13. Marc. 4. & Luc. 8. v. 11. ait, *semen hoc*, quòd satum est in diversis his terris, *esse verbum Dei*, verbum regni, quod vocat Apostolus *verbum fidei* ad Rom. 10. & Jac. cap. 1. 21. vocat τὸν ἔμφυτον λόγον, i. e. *verbum insitum, quod animam salvare potest.* Verba ipsa satis declarant, semen hoc ex natura sua fuiſſe salutiferum, nam in terrâ bonâ abundanter fructum ferebat.

Observandum est igitur hoc regni semen salutiferum, hoc supernaturale & sufficiens verbum, realiter satum esse in terrâ petrosâ, spinosâ, & secus viam, ubi fructum nullum protulit, sed, quoad terram illam, inu-

tile fuit. Idem (inquam) ſemen fuit, quod in bonâ terrâ ſeminatum eſt. Eſt igitur perſequutionis vel tribulationis timor, & fallacia divitiarum, (ut ipſe Chriſtus parabolam interpretatur) quæ impediunt, quo minùs creſcat ſemen in plurimorum cordibus. Non quaſi illud ex natura ſua eſſet inſufficiens, cùm planè idem ſit cum illo, quod in cordibus eorum, qui recipiunt, fructum fert. Ideo, licet omnes per illud non ſalventur, ſemen tamen ſalutis in omnibus eſt, quod creſceret, & animam redimeret, niſi impeditum & ſuffocatum eſſet. De hac parabolâ Victor Antiochenus (in cap. 4. Mar: ut à Voſſio citatur hiſt: Pelag. lib. 7.) ait, *Dominum Chriſtum liberaliter, nullâ habitâ perſonarum ratione, divinum illud verbi ſemen ſeminaſſe, & omnibus propoſuiſſe. Et ſicut, qui ſeminant, inter terram & terram non diſtinguunt, ſed ſemen ſimpliciter & abſque diſtinctione injiciunt; ſic Salvatorem noſtrum, quod ſuarum erat partium, omnibus promiſcuè divini verbi victum obtuliſſe, licet non ignoraret, quid de pluribus eventurum eſſet. Denique ita ſe geſſit, ut meritò dicere poſſet, quid mihi faciendum eſſet, quod non feci.* Et huic ſimilis eſt parabola talentorum Matth. 25. qui duo talenta habebat, acceptus fuit, non minus, quàm qui habebat quinque, quia ad Domini utilitatem uſus eſt. Et qui unum habuit, idem feciſſe potuit: talentum ejuſdem generis cum cæteris fuit, & uſum ſuum proportionaliter, ſicut cætera, producendi capax. Licet igitur non eadem gratiæ menſura omnibus tribuatur: quibuſdam quinque talenta, quibuſdam duo, & quibuſdam unicum tantum; quod tamen ſufficit, omnibus tribuitur, & amplius à nemine poſtulatur, quam ſecundum quod datur. Nam ab omni, cui multum datum eſt, multum quæretur, Luc. 12. 48. Qui duo talenta habuit acceptus fuit, quòd quatuor reddiderit, non minùs quàm qui decem reddidit. Acceptus etiam fuiſſet qui unum habebat, ſi duo reddidiſſet; & proculdubio, duo ex uno potuiſſent, non ſecùs quàm decem ex quinque, & quatuor ex duobus, produci.

XXIII. Tertiò, ſalutiferum hoc lumen Euangelium eſt, quod Apoſtolus diſertè ait, prædicatum eſſe ἐν πάσῃ τῇ κτίσει, *in omni creatura, quæ ſub cælo eſt, etiam illud ipſum Euangelium, cujus erat Paulus miniſter*: Coloſſ. 1. 23. Nam *Euangelium* non eſt nuda declaratio bonorum, quum ſit *virtus Dei in ſalutem omni credenti*, Rom. 1. 16. licet externa Euangelii declaratio aliquando pro Euangelio ſumatur. Hoc ſolum figurativè & per Metonymiam fit, nam, propriè loquendo, Euangelium eſt interna illa vis, virtus & vita, quâ bonorum annunciatio in omnium

nium cordibus prædicatur, salutem illis offerens, & ab iniquitatibus eorum volens redimere eos, ideoque dicitur prædicari in omni creaturâ; cum plurima sint hominum millia, quibus externum Euangelium nunquam prædicatum est. Igitur Paulus Apostolus primo capite ad Rom: ubi ait *Euangelium esse virtutem Dei in salutem*, addit, *in eo* non solùm *revelari justitiam Dei ex fide in fidem*, sed etiam *iram Dei super omnes, qui veritatem Dei in injustitiâ detinent*, propter hanc causam sc. quia, *quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit.* Quod autem notum est Dei, per Euangelium notum est, & hoc in illis manifestum erat: nam hi, de quibus loquitur Apostolus, externum Euangelium non habebant. Internâ igitur manifestatione, scientiâ Dei intus revelatâ, quod revera est Euangelium in hominibus prædicatum, *justitia Dei ex fide in fidem revelatur.* i. e. revelatur animæ, quod bonum, justum & æquum est; &, prout anima recipit ac credit divinæ illi justitiæ, magis magisque revelatur ex fidei unâ mensurâ ad aliam: nam licet (sicut fert sequens versus) externa creatio Dei virtutem declaret, quod tamen Dei notum est, introrsum revelatur; quâ internâ revelatione apti facti sumus, æternam virtutem Deitatis in externâ creatione videre & discernere. Nam, si non adesset interna hæc revelatio, non magis poterit homo invisibilia Dei per visibilem & externam creationem intelligere, quàm cæcus colorum varietatem discriminare, & visibilis creationis pulchritudinem cernere potest.

Primò igitur ait, *quod notum est Dei, vel notitia Dei manifesta est in illis*; & postea, in & per illam manifestationem intus concessam & receptam, virtutem Deitatis in visibilibus legere & intelligere valent. Et si quis contenderet externam creationem ex se, sine ullâ internâ, supernaturali, & salutiferâ gratia, vel semine, naturali homini declarare, quòd Deus sit. Quid quæso talis scientia proderit, si mihi non etiam communicet, quæ sit Dei voluntas, & quomodo, quod illi acceptum est, faciam? Nam, licet externa creatio generet conjecturam, aut persuasionem, esse quandam æternam vim, & virtutem, à quâ hic orbis initium habet; non mihi tamen annunciat, quid sit bonum, sanctum & æquum, quomodo tentationibus & malis affectibus liberer, & justitiam assequar; necesse est hoc fiat internâ aliquâ manifestatione. Ethnici autem illi, de quibus loquebatur Apostolus, internâ lege & manifestatione cognitionis Dei, sciebant inter bonum & malum distinguere, ut ex sequenti capite ap-

paret, de quo postea dicetur. Et Micha in genere vel indefinitè ait : cap. 6. vers. 8. *Indicavit tibi, ô homo, quid sit bonum, ecquid Ichova requisivit abs te, nisi ut exerceas jus, & ames benignitatem, & modestè ambules cum Deo tuo?* Non ait Dominum requirere, donec primo affirmat, quod indicavit. Quoniam autem hoc omnibus manifestum est, & in illis indicatum, ergo, ait Apostolus, *ira Dei revelatur contra illos, qui veritatem in injustitia detinent.* i. e. mensuram veritatis, lumen, semen, gratiam in ipsis; quia talentum in terrâ, i. e. in terrenâ, mundanâ, & injustâ parte in cordibus abscondunt, & fructum ferre non sinunt, sed sensualibus hujus vitæ solicitudinibus suffocari patiuntur. Hoc adhuc fusiùs illustrat Apostolus : 10. ad Rom. ubi declarat *verbum à se prædicatum*, (verbum autem quod prædicabat, & Euangelium quod prædicabat, & cujus erat minister, unum planè idemque erat) *non longinquum esse, sed prope, in ore & in corde* : & tunc quasi adversariorum objectionem proponit vers. 14, 15. *quomodo credent ei, quem non audierunt, quomodo autem audient sine prædicante?* Huic respondet versu 18. *Sed (inquam ego) an non audierunt? Imò verò in omnem terram exivit sonus eorum, & ad ultima orbis terrarum verba eorum.* Ex quibus liquet, divinum hunc Prædicatorem in omnium aures & corda sonuisse : nam de Apostolis & eorum discipulis dictum illud minimè fuisset verum. Nam nec tunc, nec multa post secula, imò, non certum est, quin adhuc magnæ & spatiosæ nationes & regna sint, quæ nunquam nec de Christo nec de Apostolis ejus audivêre. Internum hoc potens Dei verbum adhuc copiosius describitur, in epist. ad Heb. cap. 4. 12, 13. *Vivum enim est verbum Dei & efficax, & penetrantius omni gladio ancipite, & pertingens usque ad divisionem animæ & Spiritûs, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.* Hoc loco hujus spiritualis verbi virtutes enumerantur. *Vivum est*, quia scrutatur & penetrat omnium corda : nullius cor eximitur, nam hanc vivacitatis ejus rationem dat Apostolus sequente versu ; *omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus, quicum nobis est negotium* : *& non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus*. licet hoc mediatè ad Deum referatur, immediatè tamen & proximè ad verbum & lumen refertur, quod (ut antè probatum est) in omnium cordibus est, alioquin impropriè hoc loco adductum fuisset. Denotat Apostolus, quomodo omnes cogitationes & conceptus cordis dijudicantur per verbum Dei, quia omnia coram Deo nuda sunt : quod apertè insinuat, in & per hoc verbum, Deum cogitationes hominum videre & discernere; ideoque omnibus inesse oportet,

tet, cùm (ut ait Apostolus) *nulla creatura in conspectu ejus invisibilis sit.* Hic igitur fidelis testis Dei est, qui pro Deo, & pro justitia ejus in omnium cordibus dat testimonium : nam *constituit eum Deus testem gentibus* : Isa. 55. 4. & sicut hic testis est pro Deo, ita non datur hominibus solum ad condemnandos illos ; nam veluti in testem constituit eum, sic etiam ait Propheta, *ducem & præceptorem illum esse gentibus. Lux data est, ut omnes per illam credant.* Joh. 1: 7. *Nam fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Dei*, quod in hominum cordibus positum est, ut sit pro Deo testis, & medium, quo homines ad Deum adducantur per fidem & pœnitentiam ; ergo *efficax est, & gladio ancipite penetrantius, ut dividat inter animam & Spiritum, inter pretiosum & vile* ; &, quia cor hominis frigidum & durum ex natura sua est, sicut ferrum, ideo posuit *hoc verbum* in illo Dominus, quod dicitur *esse quasi ignis & quasi malleus.* Jer. 23: 29. Sicuti enim ignis calore ferrum, ex natura sua frigidum, calefactum est, & mallei vi mollescit, & secundum operantis animum figuratum & impressum est : sic etiam frigidum & durum hominis cor, vi & virtute hujus divini verbi, prope & in corde, si ei non resistitur, calefactum est, & mollescit ; nec non cælestem ac divinam imaginem, & impressionem accipit. De hoc verbo, semine, lumine, & voce salutiferâ omnes ad salutem vocante & servare potente, plerique patres fusè locuti sunt. Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum ait. *Divinum verbum clamavit, omnes vocans, bene sciens, qui non obtemperaturi sint. Et tamen quia in potestate nostra est, vel obedire, vel non obedire, ut nemo habeat ignorantiæ prætextum, justam vocationem fecit ; sed requirit, quod secundum uniuscujusque potestatem & vires est.* Idem in admonitione ad gentes ; *Nam ut ait cælestis ille Domini Apostolus, salutifera Dei gratia illuxit omnibus &c. Hic est novus cantus, adventus & manifestatio verbi, quod nunc in nobis illuxit, quod in principio erat, & primum omnium erat.* Ibidem. *Audite igitur qui longè abestis, audite qui propè adestis, verbum à nemine occultum est, lumen omnibus commune est, splendet omnibus : in verbo nullæ sunt tenebræ, ad salutem accelleremus & ad regenerationem, ut multi existentes in unicum amorem congregemur.* Ibid ait. *in omnibus, sed præsertim in iis, qui in doctrina exercitati sunt, infusum esse divinum quendam influxum.* τὶς ἐπίροια θεῖα. Ibid. etiam loquitur, de teste innato fide digno, qui ex se apertè eligit, quod optimum est. Ibid. etiam ait, *non impossibile esse ad veritatem venire, & apprehendere illam, cùm proxima nobis sit, in domibus nostris, sicut sapientissimus Moyses declarat in tribus*

noſtri corporis partibus, viz. in manibus, in ore, in corde, hoc inquit, veriſſimum veritatis ſymbolum eſt, quæ etiam in tribus impleta eſt, viz. *in conſilio, in actione, in loquutione.* Ibid. Etiam ad infideles gentes ait: *Chriſtum recipe, viſam recipe, lumen recipe, ut rectè noscas & Deum & hominem. Verbum, quod illuminavit nos, eſt dulcius auro, & lapide pretioſo.* Rurſum ait, *recipiamus lumen, ut recipiamus Deum; recipiamus lumen, ut diſcipuli Domini ſimus.* Ibid. Gentibus illis infidelibus ait, *cæleſtis Spiritus juvat te, voluptatem repelle & fuge.* Rurſus lib. Strom. 5. ait. *Abſit ut homo non ſit particeps divinæ notionis*, θείας ἐννοίας, *qui in geneſi dicitur inſpirationis eſſe particeps.* Et Pæd. lib. 1. cap. 3. *amabile* (inquit) *& deſiderabile quid in homine eſt, quod vocatur inſpiratio Dei* ἐμφύσημα Θεοῦ. Idem. lib. 10. Strom. Homines ad lumen & aquam in ſemetipſis dirigit, qui oculum animæ obſcuratum habent, vel malâ educatione & doctrinâ obtuſum: ad domeſticum ſuum lumen ingrediantur, ſeu ad lucem, quæ in domo ſua eſt, πρὸς τὸ οἰκεῖον φῶς βαδίζέτω, ad veritatem, quæ graphicè & clarè ea manifeſtat, quæ ſcripta ſunt.

Juſtinus Martyr in prima apologia ait, *verbum, quod erat & eſt, omnibus ineſſe, etiam illud ipſum verbum, quod per Prophetas prædixit quæ futura erant.*

Scriptor de vocatione Gentium. lib. 1. cap. 2. *Secundum ipſam* (Scripturam) *credimus & piiſſimè confitemur, quod nunquam univerſitati hominum divinæ providentiæ cura defuerit: quæ licet exceptum ſibi populum ſpecialibus ad pietatem duxerit inſtitutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis ſuæ dona ſubtraxit, ut propheticas voces & præcepta Galilæa convincerentur in elementorum obſequiis ac teſtimoniis accepiſſe.* Cap. 7. *Credere ſe*, ait, *nullis hominibus opem Gratiæ in totum fuiſſe ſubtractam.* Lib. 2. cap. 1. *Quoniam, etſi longè à peccatoribus eſt ſalus, præſentia tamen ſalutis ipſius ac virtute nihil vacuum eſt.* Cap. 2. *Sed cùm in illo populo, cui utraque eruditio præfuit, nemo niſi gratiâ juſtificatus ſit per Spiritum fidei, quis ambigat eos, qui de quibuscunque nationibus quibuſlibet temporibus Deo placere potuerunt, Spiritu gratiæ Dei fuiſſe directos: qua, etſi parcior antea atque occultior fuit, nullis tamen ſeculis ſe negavit, virtute una, quantitate diverſa, conſilio immutabili, opere multiformi.*

XXIV. Tertia propoſitio, quæ probari debet, eſt; *quod hac gratia, lumine & ſemine Deus omnium ſalutem operatur, & quod per hoc mortis Chriſti beneficii fiunt participes, & ſalutis per illum acquiſitæ.* Hujus etiam internis & efficacibus operationibus Ethnici plerique promiſſionum par-

participes facti sunt, qui ex semine Abrahæ non fuere: ita & nunc possunt aliqui, quibus Deus historiæ scientiam impossibilem fecit, per Christum salutem adipisci. Cùm hactenus probaverim Christum pro omnibus esse mortuum, & diem visitationis omnibus esse datam, in qua servari possint; & Deum omnibus realiter dedisse mensuram gratiæ, & luminis, Evangeliumque in iis prædicasse, nec non fidei verbum in corda eorum posuisse, propositionis hujus substantia jam probata videri potest; hoc tamen paulò fusiùs probabo eorum causâ, qui veritatem scire & credere cupiunt, sicut in Jesu est, idque ex duobus vel tribus luculentissimis Scripturæ testimoniis; communesque & fortiores, quæ produci solent, objectiones removebo.

Thema igitur nostrum duas habet partes; Primò, *quod ii, quibus Evangelium externum prædicatum est, non salvantur, nisi hujus luminis & gratiæ internis operationibus.*

Secundò, *Quod operationibus ejus plerique fuere, & quidam nunc possunt salvari, quibus Evangelium externum nunquam prædicatum est, & historiæ Christi prorsus ignari sunt.*

Quod ad primam attinet, licet à plerisque concessa sit, sed magis ore quam more, & copiosior ejus discussio in sequente de justificatione thesi occurrat, paucis tamen probabo, & primò ex Christi ad Nicodemum verbis. Joh. 3: 3. *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit desursum, non potest videre regnum Dei.* Hic autem partus non fit externa prædicatione Evangelii, seu scientiâ Christi, vel historicâ in illum fide, quam multi habent & firmiter credunt, qui tamen nunquam hoc modo renati sunt. Eousque procedit Apostolus Paulus, dum excellentiam & necessitatem novæ creationis commendat, ut quodam respectu externam Christi cognitionem secundum carnem deponere videatur, his verbis, 2 Cor. 5: 16: 17. *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem: quod si etiam novimus Christum secundum carnem, nunc tamen non amplius novimus. Siquis igitur est in Christo, nova creatura est, ecce facta sunt omnia nova.* Unde apparet, Apostolum cognitionem Christi, quasi rudimenta, quibus utuntur pueri, facere, quibus, postquam eruditiores facti sunt, minùs utuntur; tunc enim ipsam primorum istorum præceptorum substantiam in animis possident. Sicut omnis comparatio claudicat, ita neque hanc per omnia quadrare contendam: in hoc tamen quadrat, quod sicut qui præter rudimenta non procedit, nunquam eruditus existimandus est; & qui doctus fit, minùs iis utitur: sic etiam qui præter externam

nam Christi cognitionem non progreditur, regnum cælorum nunquam possidebit. Qui autem novum hunc partum cognoscunt, & quid sit revera esse in Christo, novam creaturam habere, & quibus omnia fiunt nova, ii tutò cum Apostolo dicere possunt, *si Christum cognovimus secundum carnem, nunc jam non novimus.* Hæc autem nova creatio ab hujus luminis & gratiæ opere in corde provenit. Verbum illud, de quo loquuti sumus, est vivum, & penetrans ac insitum. i. e. verbum animam salvare potens, quô partus hic generatur: nobis igitur procuravit Christus sanctum hoc semen, quo partus hic in nobis produceretur, quod ideo appellatur *manifestatio Spiritus unicuique ad utilitatem data*; scriptum est enim, *quod uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus.* Et huic semini hunc partum Petrus attribuit, 1. Pet. 1. *Regeniti non ex semine corruptibili, sed incorruptibili*, id est *per sermonem Dei vivi, & permanentis in æternum.* Licet igitur semen hoc parvum sit in prima manifestatione, ut a Christo *grano sinapis, quod minimum quidem est omnium seminum*, comparetur, Matth. 13: 31, 32. & licet abscondatur in terrena parte hominis cordis, in illo tamen vita & salus erga filios hominum abscondita & velata est, quæ revelatur, prout ei cedunt: & in semine hoc in omnium cordibus regnum cælorum potentialiter latet, producendum vel potius exhibendum, prout profunditatem accipiat, & nutriatur, & non suffocetur. Hinc Christus ait, *regnum cælorum fuisse in ipsis Pharisæis*, Luc. 17. 20, 21. qui oppugnabant & rejiciebant illum; & jure dicebantur serpentes & progenies viperarum: regnum autem cælorum non aliter in illis esse potuit, quàm in semine; sicut enim tricena, quadragena, & centena parvo semini insunt, quod in sterili agro jacet; & ideo non producuntur, quia non fovetur granum, nec profunditatem terræ habet: & sicut integer truncus magnæ arboris potentialiter latet in semine, & tempestivè producitur; & quemadmodum homo non solùm potentialiter est in infante, sed & in embryone; sic etiam regnum Jesu Christi, imò ipse Jesus Christus, Christus internus, *spes gloriæ, qui sit sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio*, omnium cordibus inest in parvo illo & incorruptibili semine producendus & oriturus, sicut fovetur & recipitur in amore ejusdem. Nemo enim pejor rebellantibus illis & infidelibus Pharisæis esse potest, & nihilominus hoc regnum sic illis inerat, ibique illud quærere jussi sunt; non ecce hìc, aut ecce illic petendum est, in hac vel illa observatione; sed ut hoc semen in corde animadvertitur & recipitur. Et procul dubio, quia hoc semen & lumen in corde revelatum tantoperè ne-

negligitur & contemnitur, tam pauci Christum intus in se natum sentiunt. Ex una parte Calviniſtæ gratiam, vim quandam irreſiſtibilem, eſſe putant, ideoque parvum hoc regni ſemen negligunt & contemnunt, tanquam vile quid & inſufficiens, & ad ſalutem inutile. Ex altera parte Pontificii, Sociniani, & Arminiani naturales vires, & arbitrium hominis nimium exaltant, omnes unanimiter negligentes & negantes parvum hoc ſemen, & tenuem luminis manifeſtationem eſſe ſupernaturalem illam & ſalutiferam Dei gratiam omnibus ad ſalutem datam. Sic verificatur in iſtis dictum illud Domini Jeſu: *Hæc eſt condemnatio, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem*: hæc additur ratio, *quia ſunt illorum opera mala.* Omnes enim fatentur hoc ſe ſentire, ſed tantæ efficaciæ & virtutis nolunt eſſe. Quidam rationem illud eſſe cenſent; quidam conſcientiam naturalem; quidam aliquas reliquias imaginis Dei in Adamo poſt lapſum relictas; adeoque ſicuti Chriſtus à profeſſoribus omnis generis oppugnabatur in externa ſua manifeſtatione, ſic etiam nunc rejicitur in interna. Exterioris ejus hominis paupertas, & (ut hominibus videbatur) indignitas, & ignobilitas multis contemnendi illum occaſio fuit. *Nonne hic eſt fabri filius? nonne mater ejus & fratres & ſorores apud nos ſunt? nonne Galilæus hic eſt? nunquid à Galilæa venit Chriſtus?* & tales ratiocinationes. Nam externum ſalvatorem expectabant, qui veluti Princeps eos ab eorum hoſtibus externis liberaret, non autem eum Meſſiam, qui turpiter crucifigendus erat, & in varias tribulationes & adverſitates ducebat illos. Sic etiam prima hujus luminis in corde manifeſtatio ſubtilibus Jeſuitis, rationalibus Socinianis, doctiſque Arminianis nimis abjecta videtur, & non ſufficit, in quâ ſubtilitates ſuas, eruditionem & ingeniorum acumina, ſapientiamque hanc mundanam exerceant; voluntatis enim libertatem nimis reprimit & coërcet. Securi autem Calviniſtæ talem ſervatorem volunt, qui omnia ferè extrà, nihil aut parum intus reparet, quò etiam in peccatis viventes, quaſi ſalutis certi & ſecuri, remanent. Omnibus igitur rectè perquiſitis, eadem planè cauſa apparet; quia mala eorum ſunt opera, ideo uno ore lumen rejiciunt; nam ſapientiſſimos arguit, doctiſſimos ſecretè ſtimulat; nec omnibus ſuis ſubtilitatibus & ſyllogiſmis huic ſilentium imponere valent; imo maximè ſecuri vocem ejus intus clamantem & exprobrantem, fortiſſimâ in Chriſti exteriores paſſiones fide, impedire non poſſunt. Nam (ut ſæpius dictum eſt) cum omnibus tempore quodam diſceptat, & luctatur, & natura prima adhuc vivit & viget in ſapientiſſimis, in doctiſſimis, &

n maximè zelotibus pro externa Christi scientia, quæ hanc lucem negat, contemnit, & ad suam ipsorum perditionem negligit; & sic uno omnes prædicamento comprehenduntur: *quisquis enim, quæ mala sunt, agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ipsius*, Johan. 3. 20. ita ut nunc dici possit, quod & in Scripturis toties inculcatum est, Psalm. 118. 22. Matth. 21. 42. Marc. 12. 10. Luc. 20 17. Act. 4. 11. *Lapis, quem reprobárunt ædificantes, hic factus est in caput anguli; à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Hoc certâ & verâ experientiâ dicere possumus, lapidem illum, quem omnis generis ædificantes reprobarunt, nobis factum esse in caput anguli. Gloria Deo in æternum, qui vocavit nos esse primitias sibi in die hoc, quo resurrecturus & disceptaturus est cum gentibus: nos itaque emisit, ut sempiternum hoc Euangelium multis annunciemus, Christum prope omnes, lumen in omnibus, semen in cordibus omnium seminatum, ut homines animos suos ad hoc applicent. Et gaudemus, quod hujus causâ sapientes sapientiam suam, & eruditos eruditionem, & subtiles subtilitatem & ratiocinationem carnalem deponere voluerit Deus, & à Jesu discere, ad pedes Jesu in cordibus nostris, illumque audire, qui ibi omnia manifestat, luce illâ, à quâ mala omnia arguuntur. Eph. 5. 13. Multi enim sapientes & docti sunt in notione, in literâ Scripturæ, ut erant olim Pharisæi, & de Christo multa loqui possunt, & acutè contra infideles, & Turcas, & forsan etiam contra quosdam hæreticos disputare, dum interea Christum in parvo ejus semine in cordibus suis crucifigunt. Meliùs esset his omnibus spoliari, & quasi detrimentum, imò & stercus arbitrari, & stultum pro Christo fieri; ut illum hoc modo noscas, te in corde tuo instruere & docere, & illum ibi suscitatum, ac crucis ejus virtutem sentias, ita ut cum Apostolo dicere possis: *A me absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.* Hoc præstantius est quàm mille commentaria scribere, & conciones multas declamare, & hoc modo Christum prædicare: ad purum ejus in corde lumen omnes dirigere Deus nos exsuscitavit, cujus causâ à sapientibus hujus mundi stulti dicimur, quia crucis istius Christi in corde operatione sapientiam nostram abnegavimus, & voluntatem nostram in multis, & varios hujus seculi cultus, mores & habitus deseruimus: nam non paucis seculis abundavit mundus steriliti, aridâ, & infructiferâ Christi scientiâ, umbram prosequens, substantiæ ignarus, & siliquis pastus, carens verò nucleis. Diabolus autem, cui minimè curæ est quantum ista scientia abundet, dum ille

cor

cor possideat, voluntati dominatur, Christi manifestationem in corde crucifigit, & semen regni à radicando ibi impedit: homines hoc modo eduxit hic & illic quærere Christum, eosque falso zelo quotidiè ad contendendum & altercandum inter se invicem animavit pro hac & illa observatione; Christum in his & illis rebus exterioribus quærentes, nempè, in pane & vino, & inter se invicem disceptantes quomodo illic sit, dum alii eum hoc modo, alii aliter inesse volunt, etiam in Scripturis, in libris, in societatibus, in peregrinationibus, in meritis. Quidam autem, in externam fidem confidentes, firmiter credunt eum pro eorum peccatis præsentibus, præteritis, & futuris mortuum esse, quod si credere possint, sufficere contendunt: dum interea Christus in omnium eorum cordibus, secundum manifestationem suam, quotidiè contradictus, crucifixus & occisus jaceat. Hujus igitur cæcitatis & ignorantiæ, quæ super Christianum orbem venit, sensu ducti & à Deo acti & moti sumus, frequenter & constanter vocare omnes, invitare omnes, rogare omnes, ut ad lucem in se convertantur, & in Christum, ut in illis est, credant. Ideoque in nomine, virtute, & authoritate omnipotentis Dei obtestamur, jubemus, imperamus, suademus, & præcipimus eis (quâ causâ ab hujus mundi sapientibus stulti & insani æstimamur) sapientiam suam deponere, & ex superba illa, inani, & cerebrosâ scientiâ descendere, oseque illud, utut mundo facundum videatur, occludere, silere, & quasi in cinere sedere, & lumen Christi in conscientiis suis audire: ad id si attenderint, sentient quasi gladium ancipitem in cordibus suis, & quasi ignem & malleum; quæ confundent & exurent acervata illa, hypocritica & carnalia rudera, ac omnium audacissimos & impavidissimos contremiscere facient, ut revera Quakers i. e. tremuli fiant. Quod qui nunc non sentiunt, neque filium, donec dies maneat, exoseulantur, sed semetipsos obdurant, certissimam esse veritatem, sed nimis serò, sentient; & ut finem faciam, ut ait Apostolus, *omnes debent semetipsos explorare, an sint in fide, & semetipsos probare: nam nisi Christus Iesus in illis sit, certè reprobi sunt.* 2 Cor. 13. 5.

XXV. Secundò, quod nunc restat probandum, est nimirum *hujus luminis & seminis operationibus quosdam fuisse servatos, & adhuc posse servari, quibus Euangelium externè nunquam prædicatum fuit, nec historia Christi externa unquam nota.* Ad hoc facilitandum, hactenus ostendimus quòd omnes, & per consequens etiam illi à Christo illuminati sint & salutiferæ gratiæ & luminis mensuram habeant, imò quòd Euangelium (licet non externa ejus dispensatio) illis, & in illis prędicatum sit, quo in

salutis possibilitate positi sint. Ex quibus sic argumentari possum: Quibus Euangelium, virtus Dei ad salutem, manifestatum est, ii servari possunt, quacunque externâ scientiâ careant. Sed hoc Euangelium in omni creaturâ prædicatum est, quo numero certè comprehenduntur etiam illi, qui externam scientiam non habent. Ergo servari possunt.

Sed ad ea argumenta, quibus hactenus probatum est, omnes mensuram salutiferæ gratiæ habere, unum addam, idque observatu dignissimum, quod eximium illud Apostoli Pauli ad Titum dictum est. 2. 11. *Illuxit gratia illa salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegatâ impietate, & mundanis cupiditatibus, temperanter & justè & piè vivamus in præsenti sæculo*: quo luculentius nihil esse potest, nam utramque controversiæ partem comprehendit. Primò declarat hanc non esse naturalem gratiam, seu vim, cùm planè dicat esse salutiferam. Secundò, non ait paucis illuxisse, sed omnibus. Fructus etiam ejus, quàm efficax sit, declarat, cùm totum hominis officium comprehendat; erudit nos primò abnegare impietatem & mundanas cupiditates; & deinde totum nos docet officium, primò, temperanter vivere, quod comprehendit temperantiam, castitatem, & modestiam, & ea, quæ nostra peculiariter interfunt: Secundò, justè, quod comprehendit æquitatem, justitiam & honestatem, & ea, quæ ad proximum spectant. Et denique, piè, quod comprehendit sanctitatem, pietatem & devotionem, eaque omnia, quæ ad Dei cultum, & officium hominis erga Deum spectant. Nihil igitur ab homine requiritur, vel ei necessarium est, quod hæc gratia non doceat: publicum tamen concionatorem, qui & vir zelotes æstimatur, audivi, ut hujus testimonii vim elideret, negare hanc gratiam esse salutiferam, sed solum commune donum, quasi esset calor ignis, & lux externa solis. Ea est eorum cæcitas, qui veritatem oppugnant, cum textus planè affirmet salutiferam esse: alii, qui non negant esse salutiferam, per vocem [*omnibus*] non comprehendi *singulos generum*, sed solummodo *genera singulorum*, contendunt: sed mera negatio non sufficit positivæ affirmationis vim elidere; si liceat ita Scripturis abuti, quid tam absurdum, quod ab iis non affirmari, & quid ita manifestum, quod non negari possit. Non igitur est quod vacillemus negationibus illis, dum fides nostra in ipsis Scripturæ terminis reperitur, non minùs possent affirmare, nos non velle quod affirmamus, quamvis contrarium certè scimus, quàm nobis persuadere, quòd, quando Apostolus nostram doctrinam planis verbis significat, tamen vult illorum, quæ planè contraria est, significare. Numquid magis absurdum esse

esse potest, quam affirmare, ubi dicitur apertè de omnibus, de paucis solùm intelligi? nam per vocem [*omnibus*] nolunt hoc loco intelligi majorem partem: revera per figuram *omnibus* aliquando intelligitur ex duobus numeris maximus: sed ostendant nobis, vel in Scriptura, vel in scriptore aliquo ecclesiastico, vel etiam in scriptis profanis, ubi aliquis, qui capax fuit conceptus bonos formare, eosque clare & distincte exprimere, ex duobus numeris ad minimum significandum hac voce [*omnibus*] usus est. Hi autem affirmant pauciſſimos quidem gratiam salutiferam accepisse, & tamen pauciſſimos hos volunt Apostolum per vocem [*omnibus*] significare. Et licet hoc sufficiat ad tales ineptias refellendas, tamen ut extra dubitationem res posita sit, aliud ejusdem Apostoli dictum producam, eoque pro suo interprete utemur ad Rom. 5. 18. *Sicut per unius offensam malum venit in omnes homines ad condemnationem, sic per unius justificationem beneficium redundavit in omnes homines ad justificationem.* Nemo ratione utens, nisi obstinatè ignarus sit, negare potest priorem vocem [*omnes*] & posteriorem vocem [*omnes*] ejusdem speciei & latitudinis esse. Vel si non, ostendant nobis exemplum in Scriptura, vel aliquo alio probato scriptore, ubi aliter sit. Oportet igitur, vel affirmemus hoc malum, quod ad condemnationem tendit, in omnes non venisse, vel fateri beneficium etiam hoc per Christum in omnes venisse. Ex quibus sic argumentor: Si omnes per Adamum malum receperunt ad damnationem ducens, tunc omnes etiam receperunt beneficium per Christum ad justificationem ducens: Sed prius est verum: Ergo & posterius. Ex dictis distertè sequitur, omnes, etiam ethnicos, potuisse servari: nam *Christus in lucem gentium constitutus est*, Jes. 49: 6.

Si quis autem dixerit, *licet potuerint servari, tamen nullus eorum salutem adeptus est.* Id verò sentire, contra omnem charitatem pugnat; neque video quomodo suam hanc opinionem stabilire possint. Imò licet concederetur quod tamen falsum est, neminem ex illis fuisse servatum; non indè sequeretur, non potuisse, vel, qui in eorum conditione stant, non posse servari, quia, *à non esse ad non posse non datur sequela.* Sed si objiciatur, quæ quidem maxima objectio est, *non in aliquo alio esse salutem, nec aliud nomen esse sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri, nisi in nomine Iesu Christi, qui igitur hoc non norint, non posse servari.* Respondeo, licet non externè noscant, si tamen sentientes vim & virtutem ejus, intus noscant nomen Jesu realiter (quod Servatorem significat) redimens illos in cordibus à peccatis & iniquitatibus eorũ, per illud salvi fiunt. Fateor nullum aliud nomen ad

salutem esse datum : sed salus non in literali scientia, sed experimentali jacet ; nam sicuti, qui literalem scientiam habent, non eâ serventur, sine interna hac reali & experimentali scientia. Sic etiam, qui realem scientiam habent, absque externâ servari possunt, ut argumentis postea adducendis adhuc magis apparebit. Nam si distincta & externa cognitio Christi necessaria mihi esset, antequam beneficium ullum per eum haberem, tunc etiam contrariorum regulâ sequeretur, nec damnum aliquod sustinere me posse, nisi etiam distinctam illius, à quo derivatur, haberem cognitionem ; cùm experientia contrarium abundè demonstret, quot Adæ lapsu damnum capiunt, qui unquam talem fuisse hominem non nôrunt, & de ejus esu prohibiti fructus prorsus ignari sunt, quare non etiam possint servari & sanari dono & gratiâ Christi in illis, efficiente illos justos & sanctos, licet distinctè non sciant, morte & passione ejus, qui Hierosolymis crucifixus est, hoc sibi procuratum, præsertim si hanc scientiam Deus eis simpliciter impossibilem fecerit ; sicut multi veneno in victum infuso pereunt, licet nec quale sit venenum, nec à quo infusum sciant. Sic ex alia parte multi sanantur ab infirmitatibus bonis medicamentis, qui, quomodo medicina præparata, vel ex quibus pharmacis composita sit, & quis ea præparavit, sæpe nesciunt : idem obtinere in spiritualibus potest, ut postea probabo.

XXVI. Primò, si hæc externa scientia adeò necessaria est, ut de essentialibus salutis existimanda sit, tunc nemo absque illa servari posset ; sed adversarii non negant, imò facilè fatentur, multos infantes & surdos absque ea servari : hic igitur generalem hanc regulam transgrediuntur, & salutem sine illa possibilem faciunt. Neque allegare possunt hos infantes servari, quia innocentes & peccato non contaminati sunt, cùm omnes infantes, Adæ peccati causâ, æternæ damnationis reos sentiant. Et de surdis nequaquam dubitandum est, imò experientia quotidiè ostendit, eos criminibus & peccatis, ut sunt alii homines, esse obnoxios. Si dicatur, infantes illos esse fidelium parentum liberos ; quid indè? Non dicent fidelium infantibus à parentibus gratiam transmitti. Nonne hos etiam Adę iniquitatis reos fatentur, & originali peccato contaminatos, sicut alii declarant? Si dixerint, surdos signis Evangelii sensibiles fieri posse ; ista omnia signa non sufficiunt, explicitam historiam mortis, passionis & resurrectionis Christi communicare. Quibus enim signis surdo significari potest, filium Dei naturam hominis assumpsisse, à virgine natum fuisse, sub Pontio Pilato passum esse? Et licet adhuc allegarent, esse hos in gremio ecclesiæ &

de

de Sacramentis participare, hæc omnia certum ad salutem titulum minimè tribuunt. Sacramenta, ut ipsimet Protestantes fatentur, gratiam *ex opere operato* non conferunt; neque negabunt, multos esse de ecclesiâ, qui visibiliter ejus membra non sunt. Sed si hæc charitas extendatur ad tales, qui sunt ubi Evangelium prædicatur, ut dicantur salutis capaces, quia sub simplice impossibilitate sunt, distincte cognoscendi media salutis; quâ ratione fit, quòd eadem charitas iis non exhibebitur, qui possunt quidem audire, sed sunt sub simplice impossibilitate audiendi, quia nemo eis distinctè declarat? Nonne aliquis in China vel India æquè excusabilis est, quod non novit id quod nunquam audivit; ac surdus qui non potest audire, licet annuncietur ei? Nam sicut non est accusandus surdus, cùm Deus patiatur illum sub tali infirmitate esse; nonne Chinensis & Indus etiam excusandi sunt, à quibus Deus oportunitatem audiendi abstraxit? Qui aliquid audire nequit, cùm necessariò absens sit, & qui non potest audire, quia naturaliter surdus est, in eodem prædicamento habendi sunt.

Secundò, Hoc manifestè apparet ex dicto illo Petri: Act. 10: 34. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi.* Antea Petrus, sicuti cæteri Judæi, putabat omnes præter illos damnari, neque aliquem servari potuisse, nisi in religione eorum & circumcisus esset; sed Deus aliter Petrum edocuit in visione, ex qua didicit *neminem communem aut immundum vocare*: & quum Deus respicit preces Cornelii, qui legi & Jesu Christo quoad extrà peregrinus erat, vidit tamen Petrus Deum accepisse illum, ideoque concludit, *in omni gente sine respectu personarum, qui timet Deum & justitiam operatur, acceptum fore.* Timorem igitur Dei, & operationem justitiæ, non externam aliquam scientiam, qualificationem necessariam facit, qua homines salutem assequuntur. Hactenus autem probavimus, unicuique illam gratiam esse datam, quâ temperanter, justè & piè vivere possent. Et videmus hâc gratiâ Cornelium ita fecisse, & acceptum fuisse, & preces ejus exauditas esse, antequam externam Christi cognitionem habuerit. Præterea, nonne Job erat *vir perfectus, & rectus, timens Deum & recedens à malo*? Quis hæc Jobum edocuit, quomodo Adæ lapsum cognovit, & ex qua Scriptura hausit excellentem illam, quam habebat, scientiam & fidem quâ dicebat se scire, redemptorem suum vivere? (nam plerique cum Moysi coævum faciunt.) Nónne hâc internâ gratiâ in corde ejus? Nónne interna

na hæc gratia docuit Jobum à malo recedere & Deum timere, & nonne operationibus ejus factus est perfectus & rectus ? Quomodo coarguit hominum iniquitates, cap. 24. & postquam multas numerasset, nonne condemnat eos, vers. 13. *quòd contra lucem hanc rebellent, non agnoscentes vias ejus, nec sedentes in semitis ejus* ? Apparet Jobum credidisse, quòd habuerit homo lucem, & qui contra eam rebellabant, ideo non cognoscere vias ejus, nec in semitis ejus sedere, sicut Pharisæi, qui habebant Scripturas, dicuntur errare non scientes Scripturas. Adhæc amici Jobi licet in quibusdam erraverint, quis tamen edocuit illos excellentia omnia ea dicta, & scientiam quam habuere ? Nónne ad salutem dedit illis Deus, vel solum ad damnandos illos ? Quis docuit Elihu, inspirationem omnipotentis dare intelligentiam, ac Spiritum Dei fecisse illum, & spiraculum omnipotentis vivificasse illum ? Cùm Dominus pro illis accepit sacrificium, quis audet affirmare damnatos fuisse ? Sed deinde Paulus Apostolus hoc extra controversiam ponit, nam, si verbis ejus credendum sit, affirmat, Rom. 2 gentes ea, quæ legis sunt, fecisse. Ex quo igitur sic argumentor: In omni gente, qui timet Deum & operatur justitiam, acceptus est: Sed ex gentibus multi timebant Deum, & operati sunt justitiam: Ergo accepti fuerunt. Minor ex exemplo Cornelii probatur. Sed adhuc probabo hoc modo: Qui, quæ legis sunt, vel quæ in lege sunt, facit, is timet Deum, & operatur justitiam: Sed gentiles, quæ in lege sunt, fecerunt: Ergo timebant Deum & operati sunt justitiam. Numquid luculentius esse potest ? nam si, quæ legis sunt facere, non sit timere Deum, & operari justitiam, quid est, ea, quæ in lege sunt, facere ? cùm Apostolus legem spiritualem, sanctam, justam & bonam vocet ? sed hoc manifestè apparet ex alio medio ab eodem capite sumpto: vers. 13. verba hæc sunt: *Factores legis justificabuntur*. Ex quibus sic argumentor, nihil ex meis addendo: Factores legis justificabuntur: Sed gentes ea, quæ legis sunt, faciunt: Ergo justificabuntur. Nihil disertius concludi possit, cùm utraque propositio ipsa Apostoli verba sint: & certè ille per totum caput, veluti cum adversariis nostris disceptans, hanc doctrinam confirmare studet, v. 9, 10, 11. ait, *tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum & Græci: Gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primum & Græco: non enim est acceptio personarum apud Deum*. Quibus verbis Apostolus apertè confirmat sententiam Petri ante dictam, & ostendit, & Judæum & Græcum, i. e. qui externam legem habent, & qui non habent, (sic enim ipse sequen-

sequentibus versibus explanat) quando malum operantur, condemnatum iri. Sic etiam Judæus & Græcus, sine acceptione personarum, hoc est, qui externam legem habent, & qui non habent, quando bonum operantur, justificabuntur. Et ut res extra dubium sit, sequentibus versibus affirmat, *quod factores legis justificabuntur*, & gentiles aliquos ea, quæ legis sunt, fecisse; ideo nisi opinemur Apostolum aliter quàm senserit locutum esse, tutò concludere possumus istos gentiles justificatos fuisse, & participasse gloriæ, honoris, & pacis, quæ omnibus bonum operantibus adest, etiam Græcis lege carentibus, quando bonum operantur: cùm apud Deum non sit acceptio personarum. Sic videmus, nec externam hanc scientiam sine interna quempiam servare, neque defectum ejus quempiam condemnare, qui internam habet; multosque, qui externâ caruere, internæ hujus sensum habuisse, virtute internæ gratiæ, & luminis unicuique dati, operantis in illis, quô à malò recesserunt, & justi & pii facti sunt, ut suprà probatum est; qui, licet Adæ lapsum ignorarent, in se ipsis tamen sensibiles erant damni per illum transmissi, dum pravas in semetipsis inclinationes & mortiferum peccati corpus sentirent; & licet adventum Christi non cognoscerent, sentiebant tamen internam illam vim & salutem per illum communicatam etiam tam verè antè quàm post ejus in carne manifestationem: dubito enim, num adversarii probare possint, omnes Patriarchas & Sanctos ante Moysen distinctam vel hujus, vel illius scientiam habuisse, vel num historiam arboris boni & mali cognoverint, & quomodo Adamus fructum prohibitum ederit; multò minùs quòd Christus ex virgine nasciturus erat, crucifigendus, & eo modo, quo tractabatur, futurus. Credendum est, Moysen, quæ de primis illis temporibus scripsit, non traditione sed revelatione scripsisse; imò videmus non solùm post Moyseos scripta, sed etiam post Davidis, cæterorumque Prophetarum, qui de Christo multò luculentius prophetârunt; quomodo Judæi, qui expectabant & optabant Messiam, ex istis omnibus, illum discernere non potuerunt; Sed tanquam blasphemum illum crucifixerunt, non quasi Messiam, sed Prophetias de eo non intelligebant; nam Petrus expressè Judæis ait, Act. 3: 17. *Quòd & illi & principes eorum id per ignorantiam fecerunt*; Et Paulus, 1 Cor. 2: 8. ait, *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Imò ipsa Maria, cui annunciaverat Angelus, & quæ miracula omnia Christi partum concomitantia in corde reposuerat, non intellexit quomodo, quando cum Doctoribus disputabat, Patris negotium prosequebatur. Et Apostoli,

qui credebant in illum, quotidiè cum illo versabantur, & miracula ejus videbant, nec intelligebant, nec credebant, quæ ad mortem & resurrectionem ejus spectabant, sed ferè scandalizabantur in illo.

XXVII. Sic apparet, internam operationem, & non externam historiam, seu Scripturam, veram scientiam communicare. Quo interno lumine plerique ex Græcis Philosophis, damni, quod per Adamum venit, sensibiles erant, licet externam historiam non cognoscerent. Hinc Plato dicebat, *hominis animam in obscuram cavernam incidisse, ubi cum umbris solùm versabatur. Et Pythagoras dixit, hominem in mundo divagari, quasi peregrinum, à Dei præsentia exulem.* Et Plotinus *hominis animam comparat, carboni, in quo ignis extinctus est.* Quidam dicebant, *animæ alas esse resectas, vel abreptas, ut ad Deum evolare non potuerit.* Quæ omnia & multa alia in scriptis eorum loca satis declarant, hoc damnum eos non omninò ignorasse: Jesum Christum etiam intùs cognoscebant; quasi remedium ad liberandos eos à malo isto semine, & pravis inclinationibus, licet non sub denominatione illâ.

Quidam vocabant eum *Sanctum Spiritum*, ut Seneca, Epist. 41. *Qui dicebat in nobis esse Sanctum Spiritum, qui docet nos prout illum recipimus.* Cicero *innatum lumen vocat* in lib. de republicâ à Lactan. citat. 6 Instit. 8. ubi *hanc rectam rationem vocat omnibus datam, constantem & æternam, ad officium præcipiendo vocantem, à fraude vetando deterrentem, hanc abrogari non posse: neque ab ullo Senatu vel populo quempiam liberari; hanc unam sempiternam, immortalem omnibus nationibus semper semper eandem, ut non sit alia Romæ, alia Athenis: qui huic non parebit ipse se fugiet, atque hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera supplicia quæ putantur effugerit.* Plotinus *lumen hoc vocat, dicens, quod, sicut non videtur sol, nisi suâ luce, sic nec Deus, nisi suâ luce cognoscitur: & sicut oculus non videt solem, nisi imaginem ejus recipiens, ita oporteat etiam hominem ad puritatem cordis venire, antequam Deum noscat.* Frequenter etiam *Sapientiam illum vocabant*, nomen Christo sæpè in Scriptura datum. Vide Prov. 1: 20. ad finem. & Prov. 8: 9, 34. ubi *sapientia vocat & invitat omnes, ut eam sequantur, & ab illa doceantur.* At quid est hæc sapientia, nisi Christus? Hinc, qui inter gentiles malum derelinquebant, & ad bonum & justitiam conversi sunt, Philosophi dicebantur i. e. sapientiæ amatores. Hæc sapientia prope eis erat: quod autem *optima scientia Dei, & divinorum Mysteriorum sapientia, inspiratione obtinebatur, Phocylides affirmavit. Verba ejus fuere*, τῆς δὲ Θεοπνεύστης σοφίας λόγος ἐστὶν ἄριστος.

Ad-

Adhuc multa hujusmodi produci possent, ex quibus apparet, quòd Christum cognoverint opere ejus in illis operante, quò ab injustitia ad justitiam conversi fuere, & amatores potentiæ illius facti, quo se a malo liberari sentiebant: ita, ut ait Apostolus, *ostenderent opus legis inscriptum in cordibus suis*; ideoque quemadmodum, *omnes factores legis sunt, procul dubio justificabantur.* Et ut hæc erat Apostoli sententia, ita & primitivorum Christianorum. Sic Justinus Martyr ait. *Qui cum Verbo vivebant, Christianos fuisse, licet ethnici existimarentur; quales inter Græcos Socrates & Heraclitus, & eorum similes, & inter Barbaros Abraam, &c. Quòd, qui cum Verbo vivunt, Christiani sunt sine timore, vel anxietate.*

Clemens etiam Alexandrinus Strom. lib. 1. ait, *hanc sapientiam vel Philosophiam gentibus fuisse necessariam, iisque pædagogum ad Christum adducendis, quâ olim justificabantur Græci.*

Aug. de civitate Dei lib. 18. cap. 47. ait, *Non audere Iudæos affirmare neminem ad Deum pertinuisse nisi Israëlitas.* In quem locum Ludovic. Vives ait, *hoc modo gentes non habentes legem sibi ipsis fuisse legem, & lumen ita vivendi esse donum Dei, & à Filio provenire: de quo scriptum est, quòd illuminet omnem hominem venientem in mundum.*

Aug. lib. Con lib. 7. cap. 9. testatur, quòd in Platonicorum libris legisset, *licet non his verbis, sed hoc idem omnino multis & multiplicibus rationibus persuaderi, quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est, in eo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Et quia hominis anima, quamvis testimonium perhibeat de lumine, non est tamen ipsa lumen, sed verbum Dei, Deus enim est lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; & pergit recensere verba usque* ad 14 Versum 1 cap. Jo. addens, *hoc ibi legi.*

Estque liber Arabicâ linguâ scriptus de quodam Hai Ebn Jokdan ab Abi Jaaphar Ebn Tophail, qui ait hunc Jokdan in insula quadam vixisse, & absque ulla cum hominibus communicatione profundam de Deo scientiam assequutum esse, & cum illo immediatè admodum communionem habuisse, ita ut affirmet *optimam & certissimam Dei scientiam, non illam esse quæ præmissis & conclusionibus deductis acquiritur, sed quæ possidetur conjunctione hominis animi cum supremo intellectu, quando purificatus est a corruptionibus suis, & in altum silentium vel quietem introversus.*

XXVIII. Quum igitur interno hoc dono, gratiâ, & lumine, quibus Evangelium prædicatur, Jesum in se productum & natum habeant, & salutiferum nec non sanctificatum usum externæ cujuslibet scientiæ, ipsis applicatum, possideant, & etiam eodem lumine omnes possint servari, quo mediante vocat, invitat, disceptat & luctatur Deus cum omnibus die quodam visitationis, & plurimos salvat, quibus noluit externam scientiam communicare: quumque hujus interni luminis in cordibus nostris vim & virtutem experti simus, quod Jesus in nobis revelatus est, silere nequaquam possumus, sed diem Domini oportet nos promulgare & annunciare, qui jam ortus est, clamantes cum muliere Samaritana; *venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci: numquid ipse est Christus*; ut alii omnes idem in semetipsis sentiant: sic cognoscent, parvum illud semen, quod redarguit eos in corde, quanquam id ipsum contempserunt & hucusque neglexerunt, esse nihil aliud, nec minus quid, quàm ipsum Evangelium Dei illis prædicatum, si quidem Christus, Dei sapientia & virtus, in eo & per illud semen & lumen animas eorum servare nititur. De hoc lumine loquitur August. Confess. lib. 11. cap. 9. *In hoc principio Deus fecisti cœlum & terram: in verbo tuo, in filio tuo, in virtute tua, in sapientia tua miro modo dicens, & miro modo faciens, quis comprehendet, quis enarrabit, quid sit illud quod interlucet mihi, & perculit cor meum sine læsione, & inhorresco, & inardesco, inhorresco in quantum dissimilis ei sum, inardesco in quantum similis ei sum? Sapientia, Sapientia est quæ interlucet mihi, discindens nubilum meum, quod me rursus cooperit, deficientem ab ea caligine atque aggere pœnarum mearum.* Ibid. lib. 10. cap. 27. *Serò amavi te pulchritudo tam antiqua & tam nova, serò te amavi, & ecce intus eras & ego foris, & ibi te quærebam, vocasti & clamasti, & rupisti surditatem meam, coruscasti, splenduisti & fugasti cæcitatem meam.* De hoc etiam compatriota noster Georgius Buchananus in schedis de jure regni apud Scotos optimè ait: *Ego profectò nihil aliud in præsentia intelligi volo, quàm lucem animis nostris divinitus infusam: nam cùm Deus formavit hominem, non modò corpori ejus oculos dedit, quibus ducibus, adversa quæ essent suæ conditioni fugeret, quæ commoda sequeretur. Sed animo etiam velut lumen quoddam prætulit, quo turpia ab honestis secerneret: hanc vim alii naturam alii naturæ legem vocant, ego profectò divinam existimo, planeque illud persuasum habeo, quod nunquam aliud natura, aliud sapientia dicat. Ejus porro legis velut compendium, quod totam paucis complecteretur, Deus nobis tradidit, ut ipsum scilicet*

ex

ex animo diligeremus, ac proximos velut nos ipsos. Hujus legis omnes sacrorum voluminum libri, qui ad mores formandos pertinent, nihil aliud quàm explicationem continent. Hoc illud Catholicum & Evangelicum principium est, in quo & per quod Christi salus exhibetur omnibus, & Judæo & Græco, & Turcæ, & Scythæ, & Barbaro, cujuscunque nationis seu generis sint. Quocirca sibi suscitavit Deus hâc ætate & sæculo fideles testes & Evangelistas, ut hoc sempiternum Evangelium denuò prædicent, & omnes hortentur, non minus magnos Professores, qui de sua in lege & Scripturis scientiâ gloriantur, & externam Christi cognitionem jactitant; quàm infideles & Ethnicos, ut omnes ad hoc lumen in semetipsis veniant. Quod etiam erat Pauli ministerium Act. 26. 18. Hoc animadvertant & attendant, & Christum in se cognoscant, *justum illum τὸν δίκαιον, quem occiderunt, & qui non restitit illis*, Ja. 5: 6. utque & iniquitates & peccata sua, nec non falsam fidem & professionem, & externam justitiam crucis Christi in se crucifigendas tradant, & Christum in se spem gloriæ noscant, ac in ejus lumine ambulent, & serventur, *qui verum illud lumen est, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Thesis Septima.

Quotquot non obstant hujus lucis illuminationi, sed Religiosè eam recipiunt, fit in illis Sanctus, Purus & Spiritualis partus, pietatem, justitiam, puritatem cæterosque præclaros illos fructus Deo gratissimos producens: per quem Sanctum partum, videlicet Christum Jesum intus formatum, opera sua in nobis producentem, ut sanctificamur, ita & justificamur in conspectu Dei, secundum Apostoli verba; *Sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini Iesu & per Spiritum Dei nostri.* Ideo non fit nost. is operibus, nostrâ voluntate productis; nec item bonis operibus per se consideratis, sed per Christum fit, qui est donum & donator ac causa producens effectus in nobis: qui, cùm reconciliavit nos, dum ad-

versarii fuimus, secundum sapientiam suam, hoc modo nos salvat & justificat, sicut alibi idem Apostolus, *ex misericordia suâ salvavit nos per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.*

I. DOctrina hæc de justificatione benè sequitur disquisitionem de universalitate mortis Christi, & gratiâ, quæ indè communicatur; quia acerbiores de hac controversiæ ab illâ proveniunt. Quàmplurimæ extant inter eos, qui Christiani dicuntur, hac de re disputationes; & revera si seriò omnes ad id, quod justificat, animadverterent, minor de justificationis notionibus foret cavillatio. Hanc controversiam breviter notabo, sicut inter alios se habet, & ut ipse frequenter seriò observavi; proinde etiam paucis controversiæ statum quoad nos ponam, & sensum nostrum aperiam, & denique (annuente Deo) sententiam nostram Scripturarum quibusdam testimoniis, certissimâque omnium quorumcunque, qui realiter justificati fuerint, experientiâ confirmabo.

II. Nobis minimè dubium est, doctrinam hanc fuisse, & adhuc esse in Ecclesiâ Romanâ magnoperè vitiatam; licet adversarii nostri, quibus, melioribus argumentis carentibus, sæpissimè mendacia refugium & asylum sunt, non dubitarunt hoc respectu nobis Papismi stigma inurere, sed quàm falsò postea apparebit. Nam ut silentio transigam meritum eorum de condigno dictum, quæ (proculdubio) erat doctrina communis Papalis ecclesiæ, præsertim ante Lutheri tempora; licet moderni eorum scriptores plerumque nunc partim negent eam, & partim minuant, præsertim in controversiis cum Protestantibus, & nunc studeant in hoc rem ponere, quasi essent bonorum operum propagatores & propugnatores contra eorum denegatores. Si tamen hujus de justificatione doctrinæ effectus consideremus, uti apparet in plerisque populorum eorum, qui fidem Papalem profitentur, in rebus maximè approbatis, & ab ipso Papâ ejusque clientibus summoperè commendatis, (illud nimirum quod maximè ad fisci ejus implementum contingit) certè apparet, non sine gravi causâ Lutherum se Romanis hac in re opposuisse; si ipse in aliud extremum non abiisset, (de quo postea) opus ejus diutius stetisset, nam in hoc, sicut in multis aliis, magis laudandus est in iis, quæ ex Babylone evertit, quam quæ ipse ædificavit. Quicquid igitur prætendant Pontificii, vel etiam viri boni inter eos aliquando opinati sint, experientia manifestat, imò patet ex universali

versali & approbatâ populorum illorum praxi, quod justificationem suam ponant non tam in operibus verè & moraliter bonis, inque verâ & reali mentis renovatione & sanctificatione; quàm vel in rebus, quæ ex se nec bonæ nec malæ sunt, vel in eis, quæ verè malæ dici possint, nec alia causâ bonæ dici possint, quàm quia Papæ placet ut ita existimentur. Sic, si res propius examinetur, apparebit justificationem eorum plerumque magis ex bullarum ejus authoritate pendere, quàm ex vi, virtute, aut gratiâ Christi in mente revelatâ, eamque renovante, ut patet, primò, doctrinâ Papali de Sacramentis suis, quæ prædicant gratiam conferre ex opere operato, ita ut si quis eorum particeps fiat, inde peccatorum remissionem obtineat, quamvis, sicut erat, remaneat, virtus sacramenti hominis defectum supplet. Hic igitur hominis fides & submissio ecclesiæ legibus facta, non realis aliqua cordis mutatio, illum justificat, exempli gratiâ: si quis utitur illo, quod vocant pœnitentiæ, sacramento, enumerando sacerdoti peccata, licet careat contritione quam pœnitentibus peccatoribus necessariam Deus voluit, si habeat attritionem, figmentum eorum, id est, si pœniteat illum peccasse non ex amore Dei & legis ejus, quam transgressus est, sed è formidine pœnæ, attamen virtus Sacramenti (ut asseverant) tali peccatorum remissionem conciliat, adeò ut à sacerdote absolutus in conspectu Dei acceptus & justificatus habendus sit, non quia realiter contritus est, seu aliquo respectu intus mutatus & renovatus gratiæ Dei in corde operatione, sed solummodo sacerdotis authoritate & sacramenti virtute, quoniam pronunciatus est absolutus, sic justificatio ejus fit propter quid externum, non internum.

Secundò, hoc magis patebit in indulgentiis, ubi remissio omnium peccatorum non solum præteritorum, sed & per annos quosdam futurorum promittitur visitantibus hæc vel illa templa aut sepulchra, & dicentibus quasdam preces: quo fit, ut hæc faciens ipso facto à peccatorum reatu eximatur, & in conspectu Dei justificetur, sicut unicuique in magno jubilæo ante fores Petri & Pauli se præsentanti, ibique Papæ benedictionem recipienti, vel alicui Jacobi in Hispania sepulchrum, vel Mariæ de Lorretâ domicilium visitanti, talibus inquam hæc perficientibus, remissio peccatorum offertur. Si verò interrogemus unde fit, quod talia, quæ ex se minimè moraliter bona sunt, hanc virtutem habeant? Respondent, propter ecclesiæ & Papæ authoritatem qui, cum sit meritorum Christi custos, talibus propositis conditionibus ea dispensat. Sic etiam inventio & usus missarum fit præcipuum justificationis instrumentum: hâc enim prædicant

dicant Christum quotidie Patri propitiatorium sacrificium offerri pro peccatis vivorum & mortuorum, ita ut aliquis pecuniâ Christum hoc modo pro se oblatum habere possit ad libitum, quâ oblatione remissionem peccatorum se habere, & justificationem in conspectu Dei confidit. Multa alia hujusmodi sunt, quæ hoc loco repetere non necesse habeo. Ex quibus omnibus patet, Pontificios justificationem suam non tàm in reali Sanctitatis opere & peccati abnegatione sistere, quàm in merâ quarundam ceremoniarum actione, & cæcâ credulitate, quâ à doctoribus suis persuadentur, papam & ecclesiam esse solum meritorum Christi dispensatorem, & potestatem ea applicandi habere, ad remissionem peccatorum, & justificationem illorum, qui tales ceremonias observant. Hæc equidem est vera & realis methodus justificationis in Romanâ ecclesiâ prædicata, quæ sæpissimè à publicis prædicatoribus, sed præsertim monachis commendatur, quod & ipse frequenter audivi, & oculatus testis sum, utcunque quidam ex modernis eorum scriptoribus laborarunt evitare in controversiis suis. Hanc igitur doctrinam Lutherus & Protestantes meritò negarunt, & restiterunt, licet multi in aliud extremum abierint, denegando bona opera ad justificationem esse necessaria, & prædicando tum remissionem peccatorum, cùm justificationem per solam fidem absque omnibus operibus, utut bonis; ita ut nemo justificationem obtineat, quatenus intùs sanctificatus & renovatus est, sed judicare se perfectè justificatum potest, solummodo credendo, Christum pro se mortuum esse, licet in gravibus iniquitatibus jaceat; ut patet in exemplo Davidis, quem plenè & perfectè justificatum fuisse contendunt, dum in gravissimis adulterii & homicidii sceleribus jaceret. Sicut igitur Protestantes benè & rectè Pontificios condemnarunt & confutarunt, quod tot abusus in justificatione introduxerunt, & Christi doctrinam vitiavere & contaminavere, præcepta Dei negligentes, dum vanas & inutiles suas traditiones, & numerosas, nec non superstitiosas ceremonias multiplicant, quibus animæ inutiliter onerantur: quinetiam quod à pretiosissimo & præstantissimo Christi sacrificio, quo remissio peccatorum obtinetur derogant, dum quotidianum sacrificium à Deo minimè ordinatum instituunt, & ad lucrandum pecuniam confingunt, ita ex alterâ parte Protestantes, quoniam non rectè stabiliunt & statuminant justificationis doctrinam, sicut in sacris literis edita est, Pontificiis occasionem præbuerunt eos accusandi, quasi bonorum operum neglectores, & mortificationi ac sanctitati inimicos; quippè qui se justificatos prædicant, dum in gravissimis peccatis remanent.

nent. Quibus accuſationibus (quarum cauſam ſcripta rigidiorum quorundam Proteſtantium nimio plus præbuerunt) reformatio magnoperè defamata & impedita fuit, & animæ non paucæ illaqueatæ. Qui ſtrictè tamen & propiùs vult rem hanc inſpicere, obſervare poteſt, has diſceptationes magis eſſe in ſpecie, quàm in genere, & in unam ripam tandem appellere, & quaſi duo in circulo circumeuntes, qui, licet contrariò progredi videantur, tamen in unum idemque centrum conveniunt; Pontificii enim ajunt ſe remiſſionem peccatorum conſequi, & juſtificatos eſſe meritis Chriſti, ſicuti eis applicata ſunt in uſu Sacramentorum eccleſiæ, & diſtributa ſunt in peragendis talibus ceremoniis, peregrinationibus & precibus, ac licet nec interna adſit animæ renovatio, ſeu Chriſti intus formati cognitio, tamen condonantur & juſtificantur virtute Sacramentorum, &c. ex opere operato, propter auctoritatem & poteſtatem eccleſiæ & miniſtrorum ejus. Proteſtantes ajunt, ſe conſequi remiſſionem peccatorum & juſtificari in conſpectu Dei, virtute Chriſti meritorum & paſſionis, non quidem juſtitiam iis infundendo, ſed eorum peccata condonando, perſonaſque pro juſtis reputando atque acceptando, neque id certè propter quicquam aut in iis productum, aut ab iis præſtitum, eiſque ad juſtitiam non fidem ipſam, non credendi actum imputari. Sic neutrius juſtificatio hîc poſita eſt in reali aliquâ internâ animæ renovatione, ſeu virtute ſpiritualis partus & formationis Chriſti in illis, ſed ſolummodo merâ applicatione mortis & meritorum Chriſti ab illo in mundo actorum; quæ hi apprehendunt, iis innitentes, & ſperantes ſe juſtificari per fidem ſolam: illi verò peragendo externas quaſdam ceremonias, & preces, quibus exiſtimant Chriſti merita ſibi applicari. Hinc excipio (cùm neminem libens injuriâ afficere velim) quæ dicta vel ſcripta fuerunt de neceſſitate internæ ſanctitatis, vel à modernis quibuſdam Pontificiis, aut moderatis Proteſtantibus, qui in eo, quod laborârunt medium inter hæc duo extrema ſiſtere, veritatem aliquàntum attigere, ſicut quibuſdam teſtimoniis ex ſuis ipſorum ſcriptis citatis apparebit: licet doctrina hæc ab apoſtaſeos tempore (quatenus ſaltem mihi obſervandi opportunitas fuit) ita diſtinctè & luculenter ſecundum manifeſtum Scripturarum teſtimonium non exhibita fuerit, ſicut Deo placuit revelare & prædicare illam die hoc per teſtes illos, quos in hunc finem ſuſcitavit: quam doctrinam, licet breviter ipſâ theſi includatur & exhibeatur, paulò fuſiùs explanabo, & controverſiæ ſtatum oſtendam, prout inter nos, & illos, qui nobis hodiè adverſantur, ſe habet.

Confeſſio fidei Weſtmunſterienſis cap. 11. ſect. 1.

III. Primò igitur, ſicut in prioris theſeos explanatione apparet, omnem vim naturalem, & poteſtatem à nobiſmetipſis renunciamus, repudiamus & abdicamus ad redimendos nos, ſeu liberandos à ſtatu noſtro perdito & lapſo, & à primæ noſtræ naturæ iniquitate; & confitemur, quod ut ex nobiſmetipſis ne vel minimum bonum agere poſſumus, ita nec remiſſionem peccatorum, vel juſtificationem obtinere, ſeu ullo noſtro opere mereri valemus, aut Deum nobis debitorem reddere, ſed fatemur totum ab ipſius amore provenire, qui & originalis & fundamentalis acceptationis noſtræ cauſa eſt.

Secundò. Manifeſtavit Deus amorem ſuum erga nos, quòd miſerit filium ſuum dilectum in hunc mundum, qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ, pacificans per ſanguinem crucis ſuæ, ut nos ſibi reconciliaret; & per Spiritum æternum ſeipſum obtulit inculpatum Deo & pro peccatis paſſus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos ad Deum adduceret.

Tertiò. Quoniam omnes homines, qui ætatem virilem adepti ſunt (Jeſu homine ſolùm excepto) peccârunt, igitur omnibus ſalvatore hoc opus eſt, ad Dei iram, peccatis eorum debitam, amovendam. Hoc igitur reſpectu verè dicitur omnium peccata tuliſſe in corpore ſuo ſuper lignum, ideoque ſolus mediator eſt, iram divinam amovens, ut peccata præterita nobis non obvient, cùm virtute ſacrificii ejus condonentur. Neque judicamus remiſſionem peccatorum alio ullo modo expectandam, inquirendam, aut obtinendam eſſe aliis quibuſcunque operibus vel ſacrificiis (licet ut antè dictum eſt, hujus remiſſionis participes fieri poſſint, qui hiſtoriæ ignari ſunt:) ſic igitur Chriſtus morte & paſſione ſuâ nos Deo, dum inimici eſſemus, reconciliavit, id eſt, nobis reconciliationem offert, noſque capaces reconciliationis facit. Deus pronus eſt peccata noſtra condonare, noſque acceptare, ſicut optimè exprimit Apoſtolus 2 Cor. 5. 19. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis*; ideoque Apoſtolus, ſequente verſu, Chriſti vice exhortatur eos, dicens, *pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Quibus verbis inſinuat, quòd, cùm ira Dei Chriſti obedientiâ remota ſit, Deus paratus eſt reconciliari eis & peccata eorum præterita remittere, ſi reſipiſcant.

Redemptionem igitur noſtram duplici reſpectu conſideramus, quorum uter-

uterque naturâ ſuâ perfectus eſt, licet in applicatione quoad nos ſe invicem ita habeant, ut ſeparari nequeant.

Prima eſt redemptio à Chriſto peracta in corpore ſuo crucifixo extra nos. Altera eſt redemptio, quam Chriſtus in nobis operatur, quæ non minùs propriè & dicitur & æſtimatur redemptio, quàm præcedens. Prior igitur illa eſt, quâ homo, prout in lapſu ſtat, in ſalutis capacitate ponitur, & in ſe tranſmiſſam habet menſuram aliquam efficaciæ, virtutis ſpiritus vitæ, & gratiæ iſtius, quæ in Chriſto Jeſu erat, quæ quaſi donum Dei potens eſt ſuperare & eradicare malum illud ſemen, quo naturaliter, ut in lapſu ſtamus, fermentamur.

Secunda illa eſt, quâ poſſidemus & cognoſcimus puram & perfectam hanc redemptionem in nobis ipſis, nos purificantem, libertantem & redimentem à poteſtate corruptionis, & in favorem, unitatem, gratiam & familiaritatem cum Deo inducentem. Priore illâ redemptione nos, qui in Adamo perditi eramus, in amaro & corrupto ſemine immerſi, & non ſolum ex nobiſmetipſis ad omne bonum agendum incapaces, ſed etiam naturaliter malo adhærentes, & ad omnem iniquitatem proclives, poteſtatis & Spiritûs tenebrarum ſervi, nihilominus hucuſque Deo reconciliati ſumus Filii ejus morte, dum inimici eramus, ut in ſalutis capacitate poſiti ſimus, & bonum Evangelii pacis nuncium nobis oblatum habeamus; & Deus quaſi nobis in Chriſto reconciliatus invitat, & vocat nos ad ſe, & hoc reſpectu hæc Scripturæ loca intelligimus * *inimicitias in ſemetipſo interfecit, & ipſe prior dilexit nos, & cum videret nos in ſanguine noſtro, dixit nobis, vivite, & qui peccatum non fecit, ipſe peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, & pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis.*

* *Eph.* 2. 15. 1 *Iohan* 4 10. *Ezech.* 16.6. 1 *Pet.* 2.22. 24. 3: 18. *Tit.* 2. 14. *Phil.* 3.10.

Secundâ hâc cognoſcimus potentiam hanc in actum reductam, quâ, non reſiſtentes ſed recipientes mortis ejus fructum, videlicet lumen, Spiritum & gratiam Chriſti in nobis revelatam, obtinemus & poſſidemus veram, realem & internam redemptionem à poteſtate & prævalentiâ iniquitatis, ſicque evadimus verè & realiter redempti, & juſtificati, unde ad ſenſibilem cum Deo unionem & amicitiam venimus. Et ſic dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & tunc cognoſcimus eum & virtutem reſurrectionis ejus, & ſocietatem paſſionum illius, configurati morti ejus. Poſtrema hæc priorem in ordine ſequitur, & conſequentia ejus eſt quaſi effectus à causâ procedens. Sicut igitur (ita volente Deo) nemo potuit poſteriore frui abſque priore, ſic etiam nemo priore frui abſque poſteriore poteſt: nobis igitur utraque juſtificationis cauſæ ſunt. Prior

est causa procurans & efficiens : secunda causa formalis.

Quartò, per hanc justificationem Jesu Christi minimè intelligimus simpliciter bona opera, etiam quatenus à Spiritu Sancto fiunt ; ea enim (ut verè affirmant Protestantes) effectus potius justificationis, quàm causa sunt. Sed intelligimus formationem Christi in nobis, Christum natum & productum in nobis, à quo bona opera naturaliter procedunt, sicut fructus ab arbore fructiferâ : internus iste partus in nobis, justitiam in nobis producens & sanctitatem, ille est, qui nos justificat, quocum contraria & corrupta natura, quæ nobis dominabatur, & nos in condemnationem induxit, remota & superata est, ipse primus omnium & super omnia in nobis regnat, & gubernat. Qui igitur hoc modo Christum in ipsis formatum habent, integrum eum & indivisum possident, qui *Jehova justitia nostra est*, Jer. 23 6. hoc est, Christo vestiri, eumque induere, quos eâ de causâ Deus acceptat & justificat. Tantùm abest, quòd hæc sit doctrina Pontificiorum, ut sicut plerique ex illis minimè intelligunt, ita doctissimi inter eos oppugnant & contra illam disputant, præsertim Bellarminus. Hic igitur (ut ita dicam) est formalis causa justificationis, non opera, propriè loquendo, ea solum effectus sunt ; sed partus hic internus, Jesus hic in corde productus, in quo Patri cælesti bene complacitum est, quem Pater non potest non acceptare, & quotquot hoc modo Jesu sanguine conspersi sunt, & lavati : & hoc modo fit illa communicatio bonorum Christi nobiscum, *quo fimus divinæ naturæ participes*, ut ait Petrus 2 Petr 1. 4. & unum cum illo facti sumus, sicut rami cum vite : & jus habemus ad omnia, quæ pro nobis fecit & passus est. Sic obedientia ejus nostra est, justitia ejus nostra est, mors & passiones ejus nostræ sunt. Et hâc propinquitate sensum passionum ejus adipiscimur, & in & cum semine ejus patienti patimur, ubi adhuc oppressum & crucifixum jacet in cordibus impiorum, & cum illo laboramus, & propter redemptionem ejus & earum animarum pœnitentiam & conversionem, qui in illo crucifigunt adhuc Dominum gloriæ, sicuti Apostolus Paulus, de quo dicitur, *quod passionibus suis adimplebat ea, quæ deerant passionum Christi, in carne suâ pro corpore ejus, quod est ecclesia* Col. 1. 24. licet mysterium hoc sit illis omnibus etiam sapientibus absconditum, qui cujus seminis in semetipsis ignari sunt, eique resistunt; quidam tamen Protestantes loquuntur de hac justificatione per Christum hoc modo indutum, ut postea suo loco patebit.

Denique, licet remissionem peccatorum collocemus in justitiâ & obedientiâ à Christo in carne suâ peractâ, quod ad ejus causam pro-

procurantem attinet, & licet nos ipsos formaliter justificatos reputemus per Jesum Christum intus formatum, & in nobis productum, non possumus tamen, sicut quidam Protestantes incautè fecere, bona opera à justificatione excludere, nam licet proprie propter ea non justificemur, tamen in illis justificamur, & necessaria sunt, quasi causa *sine qua non.* Nam qui hoc negant, sicuti Scripturæ contradixerunt, ita etiam non parvum scandalum in religionem Protestantem induxerunt, & Pontificiis contra eam clamitandi occasionem præbuere, & quàm plurimi, doctrinæ eorum credentes, illinc securi nimis facti sunt, dum putarent se justificari absque bonis operibus. Præterea, licet non expediat dicere, quòd meritoria sint, quia tamen Deus ea remuneratur, patres ecclesiæ, ita dicti, non dubitârunt verbo [*meritum*] uti, quo etiam forte nostrum quidam usi sunt sensu moderato, sed nullatenus Pontificiorum figmentis suprà nominatis faventes. Et denique, si eandem cum Protestantibus de bonis operibus notionem haberemus, facilè confiteremur ea non solum haud esse necessaria, sed etiam noxia: ii enim affirmant optima & præstantissima Sanctorum opera esse inquinata & corrupta. Nam licet ita judicemus de operibus præstantissimis, quæ ab homine, conformitatem ad externam Dei legem annitente suo robore & naturali potestate, propriâ voluntate facta sunt, credimus tamen ea opera, quæ naturaliter procedunt à spirituali hoc partu, & formatione Christi in nobis, esse pura & sancta, sicut & radix est à quâ proveniunt, ideoque Deus ea opera acceptat, & nos in illis justificat, & propter ea remuneratur ex suâ propriâ & liberâ gratiâ. Posito, hoc modo, controversiæ statu, sequentes hæ propositiones inde proveniunt nobis sequente loco probandæ.

IV. Primò, quòd obedientia & passio Christi illud est, quo anima remissionem peccatorum obtineat, cum sit causa procurans istius gratiæ & seminis, cujus internis operationibus Christus intus formatur, & anima illi conformis fit, ideoque justus & justificatus, & quod respectu hujus capacitatis & gratiæ oblationis Deus dicitur reconciliari, non quasi actualiter reconciliatus esset, aut quempiam justificaret, vel justificatum teneret, dum interea realiter in peccatis impius, impurus & injustus permanet.

Secundò, quòd interno hoc partu Christi in homine, homo fit justus, ideoque justificatus à Deo, idcircò, si necesse sit hoc verbo uti, hoc (& non nisi hic productus sit in nobis) formaliter justificamur in conspectu Dei, quia justificatio & magis propriè & frequenter in Scripturâ in propriâ suâ

significatione sumitur, quo scilicet significat justum facere, non justum aliquem reputare, & tunc idem est cum sanctificatione.

Tertiò, cum bona opera necessariò & naturaliter procedant à partu hoc, sicut calor ab igne, ideò absolutè necessaria sunt ad justificationem, quasi *causa sine qua non*, licet non illud *propter quod*, tamen id *in quo* justificamur, & *sine quo* non possumus justificari: & quamvis non sint meritoria, neque Deum nobis debitorem reddant, tamen necessario acceptat & remuneratur ea, quia naturæ suæ contrarium est, quod à Spiritu suo provenit, denegare. Et quia opera talia pura & perfecta esse possunt, cùm à puro & sancto partu proveniant, ideoque eorum sententia falsa est, & veritati contraria, qui ajunt, sanctissima Sanctorum opera esse polluta & peccati maculâ inquinata, nam bona illa opera, de quibus loquimur, non sunt ea opera legis, quæ Apostolus à justificatione excludit.

V. Quod ad primam, probo ex Rom. 3. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei.* Hoc loco exhibet Apostolus mortis Christi efficaciam, ostendens, quòd eâ, & per fidem in illam, remissio præcedentium seu præteritorum peccatorum obtinetur, quum illud fit, *in quo*, & *propter quod*, longanimitas Dei erga homines exercetur; ideo licet homines pro quotidianis peccatis mortem æternam mereantur, & iræ divinæ obvii sint, tamen virtute Sacrificii illius Jesu Christi gratia & semen Dei movent eos in amore, durante illorum visitationis die, non quasi malo non adversaretur, illud enim consumi oportet, sed ut homo à malo redimatur.

Secundò, Si Deus totaliter reconciliatus esset hominibus, eosque justos reputaret, dum actualiter injusti sint; * undè fit, quòd tam frequenter conqueritur, quòd tàm crebrò per totam Scripturam expostulat cum iis, qui ex populo suo & ecclesiâ erant, dicens eis, quòd *iniquitates eorum diviserunt inter illos & se*, Isa. 59. 2. Nam ubi perfecta & completa reconciliatio est, ibi nulla adest separatio; imò ex hac doctrinâ necessariò sequitur, vel eos, pro quibus Christus mortuus est, & quos hoc modo patri reconciliavit, nunquam peccare; vel quòd, quando peccant, semper tamen reconciliati remanent, & peccatis nullo modo separantur à Deo,

* Non solum loquor de hominibus ante conversionem, qui postea convertuntur, quos tamen quidam nostrorum adversariorum, qui Antinomiani dicuntur, ab initio justificatos affirmant, sed etiam de iis, qui secundum communem Protestantium sententiam conversi sunt, quos tamen semper in quibusdam peccatis, aliquando in gravibus, ut de Davidis adulterio & homicidio patet, remanere fatentur, & tamen perfectè & totaliter justificatos esse affirmant.

Null
Null

Deo, imò quòd in peccatis, id est, dum peccant, justificantur. Indè etiam sequeretur abominanda hæc consequentia, quòd & bona opera, & pessima peccata talium prorsus eadem sint in conspectu Dei, cùm nec illa ad justificationem conducant, neque hæc reconciliationem impediant, aut condemnationem adducant: quod nimis securos homines facit, & peccandi libertatem præbet.

Tertiò, Evertit hæc sententia totam practicam Evangelii doctrinam, & fidem ipsam inutilem facit; nam si fides & pœnitentia, cæteræque illæ conditiones, quas requirit Evangelium, sint qualificationes necessariæ à nostrâ parte peragendæ, tunc ante hæc peracta (vel quando incepimus ita agere, si postea in vitia fidei & pœnitentiæ contraria incidimus) vel totaliter & perfectè reconciliati & justificati sumus *in facto esse*, vel solummodo *in fieri*, id est in capacitate reconciliationis, cùm Deus nobiscum reconciliari, nosquè justificare paratus & promptus & pronus sit, prout eæ conditiones peractæ sunt, & si hoc concedatur, nobiscum consentitur; vel jam hactenus perfectè & totaliter reconciliati & justificati sumus ante has conditiones peractas (quæ conditiones ejus naturæ sunt, ut eas non semel unâ horâ perfici, sed per totum vitæ curriculum peragi oporteat) & tunc non possunt dici absolutè necessariæ; quod contrarium expresso Scripturarum testimonio est, quod omnes Christiani fatentur. *Nam sine fide impossibile est Deo placere. Qui verò non credit jam condemnatus est, quia non credidit in nomen unigeniti filii Dei. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*; & de iis qui conversi fuerant. *Movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeritis. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini.* Si omnia Scripturæ testimonia hoc disertè & luculenter probantia adducerem, totam Scripturæ partem doctrinalem transcriberem. Nam cùm dixit, *consummatum est*, & opus suum perfecit mille & sexcentos & plus ab-hinc annos, si tunc ita perfecit redemptionem, & omnes actualiter reconciliavit, qui salvandi sunt, non aperiendo eis januam misericordiæ, sacrificio corporis sui, quo obtinere possint peccatorum remissionem, quando verè pœnitentiam agunt, & communicando illis mensuram gratiæ ejus, quâ & peccata sua videant, & pœnitentiam agere potentes fiant, sed realiter efficiendo illos justificatos, vel antequàm credunt (ut dicunt Antinomiani) vel postquàm historiæ Christi veritati concedunt, vel aquæ baptismate aspersi sunt, dum tamen adhuc actualiter injusti sint, ita ut nihil redemptionis eorum per Christum nunc agendum sit, quoad re-

Hebr. 11 *var.* 6. *Ioh.* 3. 18. *Luc.* 13 3. *Apoc.* 2: 5. *Rom.* 8: 13.

reconciliationem & juſtificationem, tunc tota doctrinalis & præceptiva Bibliorum pars, inutilis & frivola eſt; fruſtrà & incaſſum emiſſi ſunt Apoſtoli ad pœnitentiam prædicandam & peccatorum remiſſionem: inutiliter nunc prædicatores navant operam, voces elevant, ſcripta edunt, & multò inutiliùs populus pecuniam impendunt, iisque prædicatoribus elargiuntur, cùm nihil ſit niſi *actum agere*, imò vanus & impotens impetus eſt illud efficere, quod jam perfectum eſt ſine iis. Sed denique, licet humanos eorum labores præteriverimus, quaſi indignos, de quibus diſputatur, num neceſſarii ſint necne, cùm (ut poſtea dicetur) ipſi fateantur præſtantiſſimos eſſe coinquinatos; hoc tamen inanem & fruſtraneam redderet præſentem pro nobis Chriſti interceſſionem. Actum erit de magno illo fidei articulo, *quo affirmamus, quod ad dexteram Dei ſedet, pro nobis quotidie interceſſionem faciens, & quo ſine Spiritus ipſe poſtulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus.* Chriſtus minime orat pro illis, quibus ſalus omninò eſt impoſſibilis; hoc abſurdum eſt, adverſarii nolunt eum pro mundo orare. Si autem oret pro iis, qui jam reconciliati & perfectè juſtificati ſunt, & pro remiſſione peccatorum, quorum peccata jamdum & præterita & futura remiſſa ſunt, hoc minus neceſſarium eſt, & hoc equidem ſolidè ſolvi non poteſt, niſi ſecundum veritatem confitendo Chriſtum morte tantùm removiſſe iram Dei, ut obtineat remiſſionem peccatorum omnibus recipientibus gratiam & lumen, quod ille iis communicat, & eorum causâ acquiſivit ſanguine ſuo, in quod ut credunt, remiſſionem præteritorum peccatorum inveniunt, & poteſtatem liberandi illos à peccato, & mundandi eos, quoties negligentiâ & invigilantiâ in peccatum incidunt, ſi ſeriò eos pœniteat, & rurſus ad hanc gratiam revertantur: nam *omnibus illum recipientibus dat poteſtatem filios Dei fieri.* Sic ex unâ parte nulli filii ſunt, nulli juſtificati, nulli reconciliati, donec hoc modo receperint illum in parvo illo ſemine in corde ſuo. *Et iis, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vita æterna offertur. Nam ſi juſtus à juſtitiâ recedat, juſtitia ejus non amplius commemoratur*; ideoque ex alterâ parte nulli diutius filii Dei & juſtificati ſunt, quàm qui patienter in juſtitiâ & bene operando remanent. Chriſtus igitur interceſſionem facit, durante die cujuſque viſitationis, ut convertantur: & cùm ſecundum aliquam menſuram converſi ſint, orat, ut pergant & procedant, & non retrocedant, aut deficiant. Perplurima alia dici poſſent ad hanc veritatem confirmandam, ſed progredior ad communes contra hanc doctrinam objectiones,

jectiones, quæ sunt illa argumenta, quibus utuntur ad contrariam sententiam propugnandam.

VI. Prima & principalis deducitur ex illis Apostoli verbis suprà citatis 2 Cor. 5. 18, 19. *Deus reconciliavit nos sibi per Christum: Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians, non reputans illis delicta illorum.* Hinc inferre conantur, Christum reconciliationis opus totaliter perfeciſſe, dum in terris versaretur. *Respondeo*, si per *reconciliationem* intelligant, quod removeat iram, & gratiam nobis præbeat, qua reconciliari possimus, concedimus: sed, quod nihil amplius dicitur, ex ipso loco patet; nam ubi Apostolus in præterito perfecto tempore loquitur, dicens, *reconciliavit nos*, de seipso & sanctis loquitur, qui, cùm recepissent gratiam Dei per Christum eis procuratam, fide in illum actualiter reconciliati erant. Quod ad *mundum*, ait, *reconcilians*, non *reconciliatus*, & licet *reconcilians* habeat conjunctum verbum, *erat*, quod est tempus præteritum, at est imperfectum tantum, & non perfectum, denotans rem perficientem, sed non perfectam. Hoc opus enim incepit Christus perficere in diebus carnis suæ, & diu antea. Nam *mediator erat ab initio, & agnus à jactamine mundi interfectus.* Sed in carne suâ, postquam legem & justitiam ejus adimpleverat, & velum disciderat, viam ad ampliorem & universaliorem revelationem Euangelii & Judæo & gentili aperuit, seque sacrificium præstantissimum pro peccato obtulit, quod fit efficax ad salutem omnibus illum recipientibus, secundum internam ejus apparitionem in *lumine suo* in corde. Deinde, hic locus demonstrat, nullam aliam reconciliationem intelligi, nisi oblationem ex parte Dei, & significationem voluntatis ejus, recipiendi & condonandi pœnitentibus delicta præcedentia, ita ut homines, non obstantibus peccatis, in salutis capacitate positi sint. Nam Apostolus sequente versu ait, *pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Nam si reconciliatio jam perfecta fuisset; quid opus obsecrandi eos reconciliari: non emittuntur legati post pacem jam perfectam & finitam, reconciliationem factum, & pro reconciliatione oratum, hoc enim contradictionem implicat. Secundo objiciunt versum 21. ejusdem capitis, *eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Unde argumentantur; quod sicut peccatum nostrum Christo imputatur, qui nullum peccatum habuit, ita justitia Christi imputatur nobis, licet nos non simus justi, ille peccator erat solummodo imputatione, & sic nos justi sumus solummodo imputatione. *Respondeo*, talis interpretatio facilè rejici-

tur & refutatur, nam, licet Christus dicatur sustulisse & peccata nostra, & pro nobis passus esse, & inter homines peccator reputatus, & inter transgressores numeratus, quòd Deus illum peccatorem reputavit, nondum probatum est. Dicitur enim, *quòd sanctus, innocens, & impollutus fuit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Quod nos meriti sumus pro peccatis nostris, non renuo, ipsum in obedientiâ ad Deum subiisse id secundum patris consilium. Sed, quòd Deus unquam eum peccatorem æstimavit, nego. Neque unquam mortuus est, ut nos æstimaremur justi, licet non ampliùs realiter justi, quàm ipse injustus fuit, ut postea patebit. Nam, si hoc argumentum validum esset, urgeri posset ad doctrinam impiis acceptissimam defendendam: Si enim nos justi simus, sicut Christus factus peccator merâ imputatione, tunc, sicut nullum erat peccatum in Christo, ne vel minimum, sequeretur nullâ nobis opus esse justitiâ, puritate, nec internâ sanctificatione. Intelligi oportet igitur, illum factum fuisse pro nobis peccatum tantummodo, quatenus inenarrabilem illam animæ anxietatem & corporis pœnam pro nobis sustinuit, quæ quidem nostris peccatis debita fuerunt, ut nos gratiæ illius, quam ipse nobis patiendo nactus est, participes fieremus, cujus operationibus efficimur justitia Dei in ipso. Quod enim Apostolus hoc loco voluit de reali justitiâ animæ infusâ, & non de imputativâ solum intelligi, apparet ex eo, quod sequitur in 14. 15. & 16. versibus sequentis capitis. Abundè contendit contra suppositam *concordiam luminis cum tenebris, justitiæ cum injustitiâ*, quod necessariò admitti oportet, si homines dicendi sint in Christo justi & realia ejus membra, solùm justitiâ imputativâ simpliciter extra illos, dum illi ipsi actualiter injusti sint. Et mirum certè videri possit, quomodo aliqui hoc tàm fundamentalem fidei suæ articulum fecerint, quod universo Euangelio & communi stilo adeo contrarium est, cui Christus in nullâ ipsius prædicatione, aut gratiosis sermonibus, unquam voluit homines inniti, semper bona opera eis commendans, quasi instrumenta justificationis; & hoc magis mirum est, sententiam illam, quæ tàm frequenter in oribus eorum est, & quam adeò assiduè & diligenter urgent, quasi basin fidei & spei, videlicet, *imputativam Christi justitiam*, in sacris literis nullibi inveniri, saltem quoad observationem meam. Sic primam propositionem absolvi, idque breviùs, quia multi, affirmantes hanc imputativam justificationem, nihilominùs fatentur, etiam electos non justificari, donec convertantur, id est, donec hæc imputativa justitia illis Dei Spiritu applicetur.

Heb. 7. 26. 1 *Pet.* 2. 22.

VII. Ad

VII. Ad ſecundam igitur propoſitionem venio, ſcilicet, quod interno hoc partu, ſeu Chriſto intus formato (*ſi hoc verbo uti oporteat*) *formaliter* juſtificamur in conſpectu Dei. Satis ſuprà (ut ſpero) dixi ad demonſtrandum, quanti facimus mortem & paſſionem Chriſti, cùm eâ affirmemus & Deum pacatum, & remiſſionem peccatorum obtineri, & gratiam eam & ſemen, à quo hic partus provenit, acquiri. Nunc reſtat probandum, quòd Chriſto ſic in nobis formato juſtificamur & juſti facti ſumus. Notandum eſt, me juſtificatione hâc pro acceptatione hoc loco uti.

Primò igitur hoc probabo illo Pauli Apoſtoli ad Corinth. 1 Cor. 6: 11. *& tales quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini Ieſu, & per Spiritum Dei noſtri.* Primò, oportet juſtificationem hoc loco intelligi de efficiendo realiter juſtum, & non ſolùm de ita reputando eos, alioquin & ablutionem & ſanctificationem imputativè, & non realiter accipiendum eſſet, quod everteret totum contextûs ſcopum. Nam Apoſtolus præcedentibus verſibus oſtendens, quomodo injuſti regnum cælorum non poſſidebunt, ſubſumit, dicens, *tales fuiſſe illos quondam, ſed nunc ablutos*, &c. Et quia nunc abluti & ſanctificati ſunt, ideo etiam juſtificati, nam ſi hæc juſtificatio non eſſet realis, tunc dici poſſet, Corinthios non deſeruiſſe mala illa, ſed permanentes in iis juſtificari; quod ſicut abſurdiſſimum eſt, ita luculenter ſcopum loci evertit & deſtruit, quaſi converſio Corinthiorum ad fidem Chriſtianam nullam realem in cordibus operata fuiſſet mutationem, ſed merum aſſenſum quibuſdam notionibus infructiferis & ſterilibus, quo affectiones, voluntates & methodus eorum vivendi non fuiſſet mutata. Pro meâ parte nec unquam legi, nec vidi, neque ullâ rationis ſpecie aliquid concipere potui, quo, hoc loco, juſtificationem imputativè ſumi poſſe evincitur. Et ad clariorem hujus rei intelligentiam obſervetur, hoc verbum *juſtificare* derivari vel à ſubſtantivo *juſtitia*, vel ab adjectivo *juſtus*. Ambobus autem iſtis verbis utuntur ad verè & realiter, non ſuppoſitivè, ſignificandam virtutem illam animæ, quæ verbo *juſtitia* exprimitur; etiam adjectivum *juſtus*, ut applicatur, ſignificat hominem, in quo illa virtus eſt: nam non ſolùm magna eſt improprietas, ſed & mendacium, hominem juſtum pronunciare ſolummodo ſuppoſitivè, licet realiter non ita ſit. Hoc autem verbum *Iuſtifico*, à *juſtitia* formatum, procul omni dubio ſignificat eum, qui juſtus factus eſt, cùm nihil ſit, niſi compoſitio verbi *facio* & adjectivi *juſtus*, quod nihil aliud eſt, quàm *juſtifico*, id eſt, *juſtum facio*; & *juſtificatus*, id eſt, *juſtus factus*. Et ſic fiunt alia id genus verba, ut *ſanctifico* à *ſanctitate*

tate; *honorifico* ab *honor* & *facio*; *sacrifico* à *sacer* & *facio*; quæ omnia semper intelliguntur de subjecto realiter imbuto & affecto istâ virtute, à quâ proveniunt. Ideò nemo dicitur sanctificatus, qui reipsa profanus est, &c. Ita nec potest quis justificatus dici, nisi realiter justus sit. Solum hoc verbum *justifico* aliquando figurativo sensu usurpatur, scilicet, forensi usu, utpote cùm aliquis peccati realiter reus à pœnâ delicto debitâ liberatur, dicitur justificari, id est, loco illius, qui justus est, poni. Nam hic usus verbi processit ex istâ suppositione, quòd nulli debeant liberari, nisi innocentes. Hinc etiam ille loquendi modus, *talem justificabo*, *hoc vel illud justificabo*. Quod fit ex suppositione, quòd talis, & hoc vel illud realiter justificabile sit. Et uti error & abusus est in re, ita fit etiam in expressione. Hoc ita manifestum est, quod Paræus, ex Protestantibus vir insignis, imò & Calvinista etiam quoad opinionem suam hac in re, hoc tamen fatetur de Just. contra Bell lib.2. cap.7. pag.469. „ *Nobis imputari Christi justitiam, ut per eum formaliter justi nominemur & simus, neque diximus unquam, neque sentimus, ut aliquoties jam ostendimus; id enim non minus sane cum rectâ ratione pugnaret, quàm si reus in judicio absolutus diceret, se clementia judicis donantis sibi vitam formaliter justum esse.* Mirum est igitur, homines ita faciles esse in rebus tanti momenti, ut spem suam & fiduciæ fundamentum super figurativum verbi usum ædificent, dum illud excludant, vel saltem non necessarium existiment, sine quo Scriptura disertè affirmat neminem Deum visurum. Nam si sanctitas necessaria sit, de quâ dicitur, quòd *absque illâ nemo Deum videbit*, tunc etiam oportet bona opera esse necessaria, nisi possint adversarii nostri nobis unum sanctum ostendere sine bonis operibus. Sed præterea vox *justifico* cùm Scriptura in hoc sensu figurativo eâ utitur, pro approbare sumitur, & ideò sæpiùs, si non semper, quando [*justifico* utuntur scriptores sacrorum voluminum, in pessimam partem sumitur, id est, cùm hic usus verbi sit usurpatio, de iis etiam dicitur, qui justitiam sibi usurpant, licet propriè ad eos non pertineat, ut iis apparebit, quibus hæc loca revolvere placet Exod 23.7. Job.9.20.27.5. Prov.17.15. Isa.5.23. Luc.10.29.16.15. Joh.11.2.3.22. Jer.3.11. Ezech.16.5.15.2. Quæ omnia dicuntur de hominibus impios justificantibus, vel de impiis semetipsos justificantibus, id est, semet in impietatibus suis approbantibus. Si aliquando in hoc sensu figurativo sumitur in bonam partem, id fit rarò comparativè, & tamen quando fit, ita obvium & perspicuum ex contextu est, ut nullus sit scrupulis locus. Sed quæstio est non tàm de usu verbi, ubi transeunter vel acciden-

dentaliter dictum est, quàm ubi ipsa justificationis doctrina tractatur, ibi non rectè intelligi, ita ut contenti simus cum imaginariâ & suppositivâ justificatione, quum Deus realem requirat, periculosum certè est, ad cujus pleniorem disquisitionem perpendatur, quòd in iis locis ad Rom. Corinth. Gal. & alibi, ubi Apostolus doctrinam hanc tractat, verbum sumi potest propriâ & genuinâ suâ significatione absque ullâ absurditate : ut, ubi frequenter affirmatur in supra citatis Pauli epistolis, hominem non posse justificari lege Moyseos, nec operibus legis, nihil absurdi nec incommodi sequitur, si ibi intelligimus secundum propriam verbi significationem, videlicet, quòd homo non potest fieri justus lege Moyseos, cùm tàm benè concordet cum alterâ illâ ejusdem Apostoli sententiâ, quòd lex nihil perfectum facit. Etiam ubi dicitur, quòd fide justificamur, intelligi potest, quòd justi facti sumus fide, quia etiam dicitur, quòd fides cor purificat; & proculdubio puri corde justi sunt, & justi per fidem vivunt. Et ubi dicitur, quod justificamur gratiâ, quod justificamur Christo, quod justificamur Spiritu, nihil absurdi est, si justos nos factos esse iis locis intelligamus, cùm Christus, gratia, & Spiritus ejus homines justos efficit. Sed si universaliter sensu figurativo de solâ imputatione intelligemus, multa absurda sequentur, quod amplè probari potest, sed quia vix denegetur, nunc brevitatis causâ omitto. Sed præterea, in locis illis præcipuis, ubi Scriptura utitur hoc verbo in negotio justificationis, sensu proprio potius quàm forensi utitur, ut primo hoc loco antè citato 1 Cor. 11.6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis*, sicut hactenus probatum est; & hunc sensum huic verbo hoc loco non pauci & insignes Protestantes fateri cogantur. Thysius disp. de Just. Thesi 3. „ *Neque tamen diffitemur propter* quod „ *summam & arctissimam connexionem, justificationem quoque sanctifica-* „ *tionem ipsam, ut consequens, videri nonnunquam complecti*, Rom. 8. 30. Tit. 3. 7. &c. ad Cor. 1. cap. 6. ver. 11. *& hæc quidem fuistis, sed ablati*, &c. Zanchius in cap. 2. ad Eph. ver. 4. loco de Just. postquam de priore justificationis sensu loquutus est, addit. „ *Altera* (inquit) *verbi significa-* „ *tio est, hominem ex injusto justum fieri, sicut etiam sanctificari est, ex pro-* „ *fano Sanctum fieri. Qua significatione dixit Apostolus* (loco jam citato) „ *& hæc eratis quondam*, &c. *id est, ex immundis mundi, ex profanis san-* „ *cti, ex injustis justi facti estis per Spiritum sanctum, propter Christum, in* „ *quem credidistis. Ad quam significationem illud etiam Apoc. 22. spectat;* „ *Qui justus est, justificetur adhuc, id est, fiat reipsa ex justo magis justus,* „ *nempe, sicut etiam ex injusto factus est justus. Atque juxta hanc significa-*

„ *cationem patres, ac inprimis Augustinus, verbum hoc interpretati sunt.*
„ Hæc ille. H. Bullingerus in eundem locum 1 Cor. 6. ita loquitur, *di-*
„ *versis verbis eandem rem significat Apostolus, cum ait, abluti, sanctifi-*
„ *cati, & justificati estis.*

Secundò. Hic verbi usus est in notando illo Apostoli dicto ad Rom. 8: 30. *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Hæc catena aurea dicitur, cum breviter comprehendat ordinem & methodum salutis. Et si justificatio hoc loco non intelligeretur proprio suo sensu, sanctificatio excluderetur ex hâc catenâ. Et certè observatu dignissimum est, quod Apostolus succinctâ hâc narratione verbo [*justificationis*] comprehendit, quicquid est inter vocationem & glorificationem, quo abundè significatur realis justitia, illud solum esse medium, per quod à vocatione ad glorificationem transimus. Omnes fermè fatentur, verbum, hoc modo, hoc loco sumi; imò plerique Protestantes, licet aliter de doctrinâ justificationis sentientes, coguntur fateri, hunc & proprium & frequentem esse veteris usum negotio justificationis. *D. Chamierus*, Tom. 3. de sanctificatione lib. 10. cap. 1. „ *Non sumus tam inepti vocabulorum æstimatores, ut*
„ *nesciamus, aut tàm importuni sophistæ, ut nolimus justificationis sanctifi-*
„ *cationisque voces permutari, imò sanctos hâc præcipue ratione scimus ap-*
„ *pellari, quod in Christo habent remissionem peccatorum: & legimus in*
„ *Apoc. Qui justus est, justificetur adhuc; quod nisi de profectu inhæren-*
„ *tis justitiæ nequeat intelligi. Et aliis fortè locis non negamus promiscuè*
„ *venire in usum, apud patres maximè.* Beza in cap. 3. ad Titum, vers. 7. „ *justificationis nomen*, inquit, *latè accipio, ita ut complectatur, quic-*
„ *quid à Christo consequimur, tum per imputationem, tum per Spiritum*
„ *nobis sanctificandis efficaciam. Sic quoque accipitur justificandi verbum.*
Rom. 8: 30. Hæc ille. Melanthon in Apol. Confess. Aug. ait „ *justifi-*
„ *cari fide in Scripturâ non tantum significare justos pronunciari, sed & ex*
„ *injustis justos effici.* Etiam sententiam nostram, quâ morti Christi remissionem peccatorum, gratiæ autem Spiritus per mortem ejus acquisitæ, justificationis opus attribuimus, quidam præcipui Protestantes, licet non tàm perspicue, partim tamen attigisse videntur. *Martinus Boræus* in Gen. cap. 15. ad verba *Credidit Abraham Deo*, Pag. 161. explicans locum illum Apostoli Rom. 4. ver. ult. „ *Qui traditus est propter delicta nostra,*
„ *& resurrexit propter justificationem nostram*, ait: *Duo cernuntur in*
„ *Christo, quæ ad justificationem nostri necessaria sunt; alterum, mors ip-*
alte-

„ alterum, excitatio ex mortuis, &c. *Morte ejus expiari mundi peccata*
„ *oportuit. Per excitationem vero ex mortuis Sp. S. tribuere eidem bonitati*
„ *Dei placuit: per quem & Evangelio creditur & amissa justitia primi*
„ *Adami vitio restitueretur. Et postea utramque hanc partem Apostolus*
„ *his verbis expressit, qui traditus est propter peccata nostra* &c. *In morte*
„ *ejus spectatur satisfactio pro peccato In resurrectione donum Spiritus*
„ *Sancti, quo nostri justificatio ad vitam conficiatur.* Et rursus in lib. 3.
„ Reg. cap. 9. ver. 4. pag. 681. *utraque ergo justitiæ ratio in justificatione*
„ *continetur, et neutra ab alterâ separatur. Atque ita in definitione justi-*
„ *ficationis meritum sanguinis Christi cum remissione delictorum, atque*
„ *cum dono Spiritûs sancti justificationis & regenerationis includitur.* Mar-
„ tinus Bucerus in Rom. 4. ad verba ver. 16. *Non sicut per unum*, ait:
„ *Cum ex uno Adæ peccato orbis perditus sit, gratia Christi non solum hoc*
„ *peccatum, & mortem, quam intulit, abolevit, sed simul infinita illa*
„ *sustulit peccata, inque plenam justificationem, quotquot ex Christo sunt,*
„ *adduxit, ut Deus jam illis non solum & Adæ, & sua ipsorum peccata*
„ *remiserit, sed Spiritum simul donaverit, solidæ ac perfectæ justitiæ, qui*
„ *conformes nos reddat imagni primogeniti.* Et ad verba *per Christum Ie-*
„ *sum. Hoc quoque semper cogitamus* (inquit) *totum Christi beneficium*
„ *huc pertinere, ut justitiæ dono pollicamus rectè & ordine viventes, omni*
„ *virtute ornati, hoc est, ad imaginem Dei restituti.* Et denique, Gul.
Forbesius compatriota noster, Edinburgensis Episcopus, in considera-
tionibus suis modestis de Justifica. lib. 2. cap. 4. Sect. 8. ait. „ *Imo quan-*
„ *docunque Scriptura facit mentionem de justificatione impii coram Deo,*
„ *ut loquitur B. Paulus, & ex illo passim, præter alios, Augustinus, justi-*
„ *ficandi verbum necessario significare non tantum justum pronunciare more*
„ *forensi, sed & revera & inhærenter justum facere, ex eo patet, quod*
„ *Deus aliter justificet impium, quàm terreni judices. Ille enim quando*
„ *impium injustumque justificat, pronunciat quidem illum, quod & hi*
„ *faciunt, sed pronunciando justum, quia ejus judicium est secundum verita-*
„ *tem, simul facit illum ex injusto revera justum, quod hi facere non possunt.*
Et rursus ibid. respondens rigidioribus Protestantibus, dicentibus, quod
Deus prius justificat, pòst justos facit, subjungit. „ *Sed viderint, ne nimiâ*
„ *istâ, imò inani subtilitate, Scripturis & patribus planè incognitâ, pondus*
„ *& dignitatem tanti divini beneficii, & tantopere in Scripturis celebrati,*
„ *justificationis, scilicet, impii minuant & elevent. Si enim ad justi-*
„ *ficationis impii formalem rationem non omninò spectat, ut ita loquar,*

ju-

„ *juſtifactio, in peccatoris igitur juſtificatione, quamvis juſtificatur, in-*
„ *quam, non tollitur peccati macula, ſed eadem in illius anima adhuc in-*
„ *hæret, ſicut ante juſtificationem. Atque ſic, non obſtante juſtificationis*
„ *beneficio, manet, ſicut antea, injuſtus & peccator, nihilque aliud tolli-*
„ *tur, quàm reatus, ſivè obligatio ad pœnam & offenſa, atque inimicitia*
„ *Dei per non imputationem. Scripturæ tamen, ut & patres, in juſtifica-*
„ *tione peccatoris, non ſolùm peccata remitti, condonari, tegi, non imputari*
„ *affirmant; ſed & tolli, deleri, mundari, ablui, purgari, longiſſime à no-*
„ *bis removeri, ut ex plurimis S. Scripturæ locis conſtat.* Idem Forbeſius ſequente capite oſtendit, hanc fuiſſe patrum opinionem, ex ſcriptis eorum id fatentibus, qui contrariam ſententiam tenent, quorum pauca ex illo tranſcribam. Calv. Inſt. lib. 3. cap, 11. ſect. 15. ait. „ *Auguſtini quidem ſen-*
„ *tentia, vel ſaltem loquendi ratio per omnia recipienda non eſt, tametſi enim*
„ *egregiè hominem omni juſtitiæ laude ſpoliet, ac totum Dei gratiæ tran-*
„ *ſcribat; gratiam tamen ad Sanctificationem refert, qua in vitæ novitatem*
„ *per Spiritum regeneramur.* Chemnitius in exam. concil. Trid. de Juſt. pag 129. „ *Patribus, licet plerumque verbum juſtificare accipiant pro reno-*
„ *vatione, qua efficiuntur in nobis per Spiritum opera juſtitiæ, non movemus*
„ *litem. &* pag. 130. *& patres quidem verbum juſtificare in hac ſignifica-*
„ *tione (juſtum ſcilicet faciendi) ſæpè uſurpare non ignoro.* Zanch. in c. 2. ad Epheſ. ver. 4. loco de Juſt. Theſ. 15. „ *& juxta hanc ſignificationem*
„ *(juſtum ſcilicet faciendi) patres atque inprimis Auguſtinus verbum juſti-*
„ *ficandi interpretati ſunt: ut juſtificari illis nil aliud fuerit, quàm ex in-*
„ *juſto juſtum fieri per gratiam Dei propter Chriſtum.* Plura ille refert, ſed hæc ad noſtrum propoſitum hoc tempore ſufficient.

VIII. Cum jam ſatis probatum ſit, per *juſtificationem* intelligi debere, realiter effici juſtum: confidenter affirmo, idque non ſolum ſcientiâ notionali, ſed ſecundum realem experientiam, & rei ſenſationem, quod cauſa immediata, proxima & formalis (ſi hoc verbo uti oporteat) quâ homo juſtificatur in conſpectu Dei, ſit *revelatio Jeſu Chriſti in animâ*, qui convertit & renovat animum, quo, qui hujus operis author eſt, ſic formato & revelato, verè juſtificamur & acceptamur, in conſpectu Dei: nam hoc modo Chriſto operti & induti ſumus, in quo Patri benè complacuit, ut Deo appropinquare, & ante illum ſtare, confidenter poſſimus; cùm tunc purgati ſimus, mundante Jeſu ſanguine in animis noſtris infuſo, & vitâ ejus & juſtitiâ induti. Eſtque hic ordo iſte & methodus ſalutis, quam exhibet Apoſtolus divinâ illâ ſententiâ ad Rom. 5: 10. *Si enim,*

cum

cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus, multò magis reconciliati, salvi erimus in vitâ ipsius. Nam Apostolus primò significans reconciliationem per mortem Christi factam, cujus causâ Deus pronus est hominem recipere & redimere, justificationem, id est, salutem affirmat esse in vitâ Christi. Quòd autem vita hæc sit quid internum & Spirituale in corde revelatum, quo renovatur, & ex morte, ubi naturaliter degebat, educitur, & rursus suscitatur, & vivificatur ad Deum, idem Apostolus ostendit ad Ephes 2: 5. *Et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratiâ estis salvati) & conresuscitavit &c.* Nemo autem negabit hoc esse internum renovationis opus, ideoque dat rationem, quòd *gratiâ salvati sumus*, quæ est interna vis, & virtus Christi in corde; Sed de hoc loco fusius postea. De hujus internæ vitæ revelatione idem Apostolus loquitur 2 Cor. 4: 10. *ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris*, & ver. 11. *ut & vita Jesu manifestetur in carne nostrâ mortali.* Hæc autem interna Jesu vita illud est, quo, ut supra observavimus, dixit nos justificari.

Secundò. *Quòd hâc Jesu Christi revelatione, & novâ in nobis creatura justificemur*, luculenter apparet ex præclarâ illâ Apostoli sententiâ, ipsi thesi inclusâ, ad Tit. 3: 5. *ex suâ misericordia servavit nos, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, &c.* Quo autem salvati sumus, eo etiam (procul dubio) justificati sumus. Et hæc duo verba hoc respectu synonyma sunt. Hîc Apostolus apertè adscribit immediatam justificationis causam interno regenerationis operi, id est, Jesu Christo in animâ revelato, quo formaliter statuti sumus in acceptatione cum Deo, lavacrum enim regenerationis interna illa vis & virtus est, quâ anima mundatur, abluitur, & Christi justitia induitur; ideoque præparatur ante Deum apparere.

Tertiò, *Hæc doctrina probatur* ex secundâ ad Cor. 13: 5. *Vos ipsos tentate, an sitis in fide, vos ipsos explorate; an non cognoscitis vosmetipsos?* videlicet, *Christum in vobis esse? nisi rejectanei estis.* Primò, hic apparet, quàm enixè voluit Apostolus, ut cognoscerent Christum in illis, ita ut triplici exhortatione hoc eis inculcet. Secundò, causa reprobationis, sive non justificationis, defectus hujus inhabitationis Christi in animâ revelati: undè sequitur contrariorum regulâ, ubi paritas respondet, ut evidenter fit hoc loco, quod ubi Christus intus cognoscitur & revelatur, ibi, qui illi subjecti sunt, approbati & justificati sunt. Nihil luculentius esse potest, nam si cognoscere Christum in nobis oportet, nisi rejectanei, id

est, injustificati simus, tunc, si cognoscimus illum ita, non sumus rejectanei, & consequenter justificati; sumus. Huic simile est illud ejusdem Apostoli ad Gal. 4. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, usque quo, formetur Christus in vobis*, ideoque Apostolus nominat hunc Christum internum *spem Gloriæ*, ad Col. 1: 27, 28. Quod autem est spes gloriæ, illud esse oportet, cui proximè & quàm immediate innitimur ad justificationem nostram, & quo realiter & vere justi simus; & sicut non negamus, originalem & fundamentalem justificationis nostræ causam esse amorem Dei, uti sese declaravit in manifestatione Jesu Christi in carne, qui vitâ, morte, passionibus, & integrâ suâ obedientiâ ad reconciliationem nostram, viam aperuit, & sacrificium fuit pro remissione præcedentium delictorum, & nobis procuravit hoc semen & gratiam; indè hic partus oritur, & per quam Jesus Christus intus recipitur, & formatur in nobis, in purâ suâ & sanctâ justitiæ imagine, quâ animæ nostræ ad Deum vivunt, *& eo vestiti & induti*, ut Scriptura loquitur, Eph. 4: 23, 24. Gal. 3: 27. *Justificamur & servamur per illum & per Spiritum & gratiam ejus.* Rom. 3: 24. 1 Cor. 6: 11. Tit. 3: 7. Et sic reciprocè his participes simus meritorum ejus, & sanguis ejus purificans propè est ad omne peccatum & infirmitatem abluendam, & aversiones nostras curandas, quandocunque ad illum revertimur sincerâ pœnitentiâ. Et qui Christum hoc modo in se suscitatum & regnantem sentiunt, verum spei fundamentum habent credendi, quòd justificati sunt sanguine ejus. Neque hallucinentur aliqui vanâ spe confidentes & inani expectatione credentes, quòd morte & passionibus Christi justificati sunt, quandiu *peccatum excubans præ foribus est*, Gen. 4: 7. & dum iniquitas prævalet, & adhuc remanent irrenovati & irregeniti. Næ dicetur eis, *non novi vos.* Nec oblivioni tradatur illa Christi sententia, *non omnis, qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.* Cui addantur præclara illa Johannis dicta. *Filioli, nemo vos seducat, qui facit justitiam, justus est, sicut & ille est justus. Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro, & novit omnia.* De hac etiam justificatione per internam revelationem Christi insignes Protestantes etiam loquuntur. M. Borhæus in Genes. p. 162. *In imputatione* (inquit) *quâ Christus credentibus adscribitur ac imputatur pro justitia, pariter & meritum sanguinis ejus & Sp. S. vi meritorum nobis donatus includitur. Atque ita Christum tum â merito, tum â satisfactione, & impetratâ remissione peccatorum, & â dono Spiritus justitia nostram justi-*

Matth. 7: 21. *1 Joh.* 3: 7. & 20.

iustitiam fatebtiur esse; atque hoc si facimus, in iustificatione nostri totum Christum ad salutem nobis propositum, non unam aliquam ejus partem, considerabimus. Idem pag. 169. *In iustificatione igitur nostri Christus consideratur, qui in nobis spiret & vivat, nimirum per Spiritum suum à nobis indutus. De quo indumento Apostolus, Christum induistis.* Et pag. 171. *nos in iustificatione nostri non partem Christi, sed hunc totum, quatenus ex omni parte nostra iustitia est, tractare elaboramus.* Et paulò infrà, *ut igitur B. Paulus in iustificatione nostri, cum ait, quos iustificat, eos glorificabit, comprehendit omnia, quæ ad reconciliandos nos Deo Patri & ad renovationem nostri aptam assequendæ gloriæ pertinent, ut sunt fides, justitia, Christus, & donum justitiæ à Christo exhibitum, quo regeneremur ad implendam justificationem, quam lex requirit, ita etiam nos omnia in hac causa, quæ recuperatione justitiæ & innocentiæ continentur, complecti volumus.* Et pag. 181. *forma,* inquit, *justificationis nostræ est ipsa divina justitia, quâ & justi & probi formamur. Hæc Christus Iesus est, qui partim à condonatione peccatorum, partim à renovatione & instauratione ad integritatem, vitio primi Adami amissam, justitia nostra habetur: eo, ut novo & cælesti Adamo, à nobis induto, de quo Apostolus, Christum induistis, induistis, inquam, tanquam formam, sic justitiam, sapientiam & vitam Dei.* Sic etiam affirmat Claudius Alberius Inuncunanus. Vide orat. illius apodeicticas Lausaniæ excus. 1587. orat. 2. pag. 86, 87. Zuinglius in epist. ad Principes Germaniæ, ut ab Himelio citatur cap. 7. pag. 60. ait. *Sanctificatio Spiritus est vera justificatio, quæ sola ad justificationem sufficit.* Essius in 1 Cor. 6. 11. *At ne* (inquit) *in sola ablutione, id est, peccatorum remissione consistere putaretur justitia Christiana, addit alterum gradum, vel partem, sed sanctificati estis, id est, puritatem consequuti, ita ut jam vere & coram Deo sancti sitis. Denique summam beneficii accepti uno verbo, quod utramque includit partem, exprimendo, sed justificati estis, & subjungit Apostolus in nomine D. N. I. C. Dei nostri, id est, Sp. S. à Deo nostro procedentis & nobis per Christum communicati.* Et denique Richardus Baxterus Anglus, prædicator magni nominis inter suos, qui adhuc vivit, in libro quem Anglicâ linguâ scripsit, dicto Aphorismata *de Iustificatione*, pag 80. ait, *quosdam ignaros dentes contra hanc doctrinam stridere, quasi ipsum Papismum audirent, minimè intelligentes naturam justitiæ novi fœderis, quæ tota est extra Christum in nobis, licet vi Spiritus sancti in nobis peractæ.*

IX. Tertia nobis considerandæ propositio fuit de necessitate bonorum operum ad justificationem. Satis suprà dictum existimo, ad nos ab impu-

tatione, aut ſuſpicione Papiſmi vindicandos. Sed ſi *quæratur*, Num unquam diximus vel dicimus, hominem operibus juſtificari? *Reſpondeo*, nemini cauſa jurgii eſſe debet, ſi in hoc negotio ipſis Scripturæ verbis utimur, quæ diſerte affirmat Jac. 2. 24. *Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantùm.* Ego hujus ſententiæ veritatem probare non aggredior, quum, quod eo capite ab Apoſtolo dictum eſt, ſufficiat eum convincere, qui id legere, & credere volet. Ex quo tantum hoc unum argumentum deducam. Si nemo abſque fide juſtificari poſſit; & ſi nulla fides viva ſit, aut ad juſtificationem valens abſque operibus; tunc opera neceſſaria ſunt ad juſtificationem. Sed verum eſt prius: Ergo & poſterius. Hoc ita ex Scripturis patet & lucet, ut probationis cauſa pleraque Euangelii præcepta tranſcribere poſſemus. Pauca notabo, quæ rem controverſam ita luculenter demonſtrant, ut commentario aut ampliore confirmatione egere non videantur, & tunc contra hanc ſententiam objectionibus reſpondebo, quibus ad hanc debellandam adverſarii utuntur.

Heb. 12. 14. *Matth.* 7. 21. *Iohan.* 13. 17. 1 *Cor.* 7. 19. *Apoc.* 22. 14.

Sine ſanctitate nemo videbit Deum. Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt. Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea. Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei. Beati, qui præſtant ejus præcepta, ut ſit iis jus in arborem vitæ, & per portas ingrediantur in civitatem: & alia multa quæ adduci poſſent; Ex quibus omnibus ſic argumentor: *Si* ii ſoli in regnum intrabunt, qui patris voluntatem agunt; ſi ſolummodo ſapientes ædificatores dicantur, & beati, qui faciunt Chriſti dicta; ſi omnes obſervationes nihil ſint niſi obſervatio mandatorum; & ſi beati ſint, qui præſtant præcepta eoque jus habent in arborem vitæ, & per portas ingredientur in civitatem; tunc opera bona neceſſaria ſunt ad ſalutem & juſtificationem. Sed priora vera ſunt. Ergo. Antecedentis conſequentia tàm vera & perſpicua eſt, ut nemini dubium fore putem, nec ratione utentibus confirmatione egere.

X. Sed *objiciunt*, opera ad juſtificationem non eſſe neceſſaria. Primò, propter illud Chriſti dictum Luc. 17. 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus, &c. Reſpondeo*, quòd ad Deum inutiles revera ſimus, nam nihil deſiderat, nec ei quid addere poſſumus, ſed quod ad noſmetipſos minimè inutiles ſimus, alioquin dici poſſet, inutile homini eſſe Dei præcepta obſervare, quod erit abſurdum, & Chriſti doctrinæ contrarium. An non ille Matth. 25. per omnes iſtas beatitudines, homines pronunciat beatos, ob puritatem, miſericordiam, &c. An non illud

igi-

igitur, cujus causâ Chriſtus homines beatos nominat, iis utile eſt? Præterea Matth. 25. 21, 23. Nonne eos bonos & fideles ſervos pronunciat Chriſtus, qui talentis probè uſi ſunt, illudne iis utile erat, necne? & verſu 30. de illo dicitur, qui talentum abſcondit, *inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores*; ſi igitur, quia non uſus eſt talento, hic inutilis dictus, & ideo in tenebras ejectus ſit, ſequitur id ſaltem contrariorum regulâ, quòd, quia alii uſi ſunt, ideo utiles fuerunt; cùm, ſi velint adverſarii Chriſti verbis credamus, hæc cauſa inſtrumentalis eſt, quare approbati fuerint. *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.*

Secundò, *objiciunt* ea Apoſtoli dicta, quibus excludit opera legis à juſtificatione, ſicuti primò Rom. 3. 20. *quia ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo.* & verſu 28. *arbitramur enim juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*, &c. *Reſpondeo*; hactenus oſtendimus, quem locum operibus, imò præſtantiſſimis operibus, concedimus in juſtificatione, & quomodo immediatam & formalem ejus cauſam adſcribimus operatori in nobis producto, non autem operibus. Sed quod ad hanc objectionem, reſpondeo, multùm intereſſe inter *opera legis*, & *gratiæ ſeu Euangelii.* Priora excluduntur, non autem poſteriora. Priora ea ſunt, quæ aguntur propriâ hominis voluntate, & ſuis viribus, dum ſe externæ legis literæ conformare ſtudet, ideoque imperfecta hominis opera ſunt opera legis, quæ nihil perficit. Et huc pertinent omnes ceremoniæ, purificationes, ablutiones & traditiones Judæorum. Poſteriora opera ſunt Spiritus gratiæ in corde, quæ ſecundum internam & ſpiritualem legem facta ſunt, quæ nec in hominis voluntate, nec viribus ejus fiunt, ſed per vim Spiritus Chriſti in nobis, ideoque pura & perfecta ſunt in genere ſuo, ut poſtea probabitur. Item, quæ Chriſti opera dici poſſint, qui ipſe immediatus eorum auctor & actor eſt, ejuſmodi opera eſſe omninò ad juſtificationem neceſſaria affirmamus, ita ut abſque illis juſtificari homo non poſſit, & omnis fides abſque illis mortua & inutilis eſt, ſicuti affirmat Jacobus Apoſtolus. Quod autem talis operum diſtinctio admitti debeat, & quòd opera prioris generis ea ſunt, quæ excludit Apoſtolus, patebit, ſi occaſionem, quâ ſic loquutus eſt Apoſtolus, conſideremus hoc loco & per totam illam ad Galatas epiſtolam, ubi fusè de juſtificatione tractat. Cùm enim ex gentilibus quamplurimi, qui non erant ex ſemine Abrahæ ſecundum carnem, recepiſſent fidem Chriſtianam, quidam ex proſelytis Judaicis fideles & credentes gentiles legalibus ceremoniis & obſervationibus ſubjicere vole-

bant, quasi eæ fuissent ad justificationem eorum necessariæ. Quâ occasione Paulus Apostolus sæpius in epistolis ad Rom. Gal. & alibi, usum & naturam legis & operum ejus aperit, & à fide Christi justitiâque ejus contradistinguit, ostendens, illam cessâsse & inefficacem esse; hanc autem remanere & esse necessariam. Et quòd hujusmodi legis opera Apostolus excludat, apparet ex toto scopo epistolæ ad Gal. cap. 1. 2, 3. & 4. nam postquam cap 4. eos objurgaverat, quod ad dierum & temporum observationes reverti sint, cap 5. stultitiam eorum ostendit illis & malam consequentiam adhærendi circumcisionis ceremoniæ, tunc addit versu 6. *Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur*; sicque etiam concludit cap 6. v. 15. *In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet neque præputium, sed nova creatura.* Ex quibus locis distinctio illa antè dicta operum apparet, quorum quædam excluduntur, quædam autem necessaria sunt ad justificationem. Hoc loco enim ostendit Apostolus circumcisionem (quo verbo sæpè comprehenduntur omnes ceremoniæ, & legis observationes) non esse necessariam, nec valere. Hæc igitur opera excluduntur: fides autem, quæ per charitatem operatur, nova videlicet creatura, hoc illud est, quod valet, hoc omninò necessarium est; fides enim, quæ per charitatem operatur, sine operibus esse non potest, nam, ut eodem capite 5. v. 22. dicitur, *Charitas est opus Spiritus.* Et si nova creatura necessaria sit, ea absque operibus esse nequit, cùm naturaliter opera justitiæ producat. Et quòd hujusmodi opera minimè voluit Apostolus excludere, apparet, cùm in eâdem epistolâ ea Galatis commendet, eorumque utilitatem & necessitatem eis inculcet, idque luculenter cap. 6. ver. 7, 8, 9. *Nolite, inquit, errari, Deus non irridetur, quæ enim seminaverit homo, hæc & metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem; qui autem seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes.* Nunquid indè clarè patet, notum Galatis voluisse Apostolum, quàm necessaria ipse existimaverit bona opera, scilicet non externas ceremonias & traditiones Legis, sed fructus Spiritus, quos paulò ante meminerat, quo Spiritu voluit eos agi, & in bona illa opera duci. Apparet etiam, quantum istis operibus adscribat, quibus vitam æternam consequi putat. Hoc homini non potest quin sit quàm necessarium, quo tantam & tàm beatam messem metit. Sed denique, ad ampliorem hujus objectionis responsionem, & ut uberius hæc de bonis operibus doctrina stabiliatur, alio hujus Apostoli dicto utar, quo &

in

in cæcitate animorum suorum contra nos utuntur adversarii, videlicet Tit. 3. 5. *non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti.* Omnes autem communiter concedunt, quòd, qui salvi facti sunt, itidem justificati sint; ideoque quando dicit, salvos nos fecit, non secus est, quàm si dixisset, justificatos. Duo autem hoc loco sunt operum genera, alterum, quo non salvi facti seu justificati sumus, alterum, quo salvi simus, seu justificamur. Priora opera justitiæ sunt, quæ nos fecimus, id est, in lapso nostro statu, viribus nostris, vel propriis nostris observationibus, eaque rectè dicuntur nostra, qualemcunque habeant æquitatis speciem; & quòd hoc modo intelligendus sit locus, ex alterâ parte apparet; *sed per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti*; cùm regeneratio sit opus multa bona opera complectens, imò ea omnia, quæ fructus Spiritus dicuntur. Si autem *objiciatur*, hæc etiam nostra vocari posse, quia in nobis & à nobis velut instrumentis sæpe facta sunt. *Respondeo.* Longè aliter quàm in prioribus tamen fit, in illis enim nos sumus adhuc vivi in statu proprio & irrenovato, ex nobismetipsis operantes, nos ipsos servare studentes, imitando & legis externæ literæ confectando conformitatem, sicque laborantes & pugnantes in carnali mente, quæ Deo inimica est, & in voluntate maledictâ, nondum Deo subditâ. In his autem Christo concrucifixi sumus, & ei commortui, passionum ejus participes facti, morti ejus configurati, & primus noster homo, vetus homo cum omnibus ejus operibus, cùm apertè profanis, tùm apparenter piis, legalibus observationibus, & propriis luctationibus, cum illo sepultus, crucique Christi affixus est, & non ampliùs nos, sed Christus in nobis vivit, secundum illud Apostoli ad eosdem Gal. cap. 2. 20. *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus, non ego, sed gratia Christi in me*; ideoque ea opera specialiter attribuuntur Spiritui & gratiæ Christi in nobis, quia ab eo immediatè ducimur in illis agendis, ejusque vi agimus. Et hæc loquendi ratio non barbara & inusitata est, sed Apostolo familiaris ad Gal. 2. 8. *qui enim operatus est in Petro ad Apostolatum circumcisionis, operatus est in me inter gentes.* Phil. 2. 13. *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere*, &c. Ex hoc loco igitur apparet, cùm lavacrum regenerationis necessarium sit ad justificationem, & cùm regeneratio complectatur opera, opera esse etiam necessaria, & illa quidem opera, quæ excludit Apostolus, ab iis, quæ necessaria sunt, discrepare.

XI. Tertiò, *objiciunt*, nulla opera, imò ne vel opera Christi in nobis

ho-

locum habere in justificatione, quia nihil impurum utile esse potest; omnia autem opera in nobis, imò ea, quæ Christus per Spiritum operatur, esse impura. Ad hoc probandum allegant Isa.64.6. *quasi pannus menstruatæ universa justitia nostra.* Addunt autem, quia nos impuri sumus, ita etiam oportet sint opera nostra, quæ, licet ex se bona, ut à nobis tamen peracta, impuritatis tincturam recipiunt, veluti aqua pura, si per impures & putridos canales transcurrat, putrefacta est. *Respondeo*, quod opera impura non valeant ad justificationem, confiteor, quod autem opera omnia, quæ in suis operatur Christus, impura sint, nego: & huic per priorem distinctionem respondetur, quod prioris generis opera antè dicta impura sint, quia in statu irregenerato fiunt: sed posterioris non sunt. Quod ad illud Isa. ad priora referendum est; nam licet perhibeat, universam justitiam nostram esse quasi pannum menstruatum, non sequitur, hic comprehendi opera, quæ Christus operatur in nobis, sed solum quæ nos operamur ex nobismetipsis. Si enim ita concludere liceat, sequeretur, quòd abjicienda esset omnis sanctitas & justitia, quum, quod est sicut pannus abjectissimus, abjiciendum sit; imò sequeretur, omnes eos fructus Spiritus, ad Gal.4. numeratos, quasi panniculum remotionum esse; cùm è contrariò quidam fructus Spiritûs dicantur habere *odorem bonæ fragrantiæ in naribus Domini, & esse cum eo ornamentum magni pretii, & cum eo prævalere, illique placere*, quod de panno menstruato dici nequit, ideoque haud pauci, iique insignes Protestantes, confessi sunt, hanc Scripturam non ita intelligendam esse. Joh. Cal. in hunc locum: *hic locus* (inquit) *à quibusdam citari solet, ut probent à Deo nihil esse meriti in operibus nostris, ut coram Deo putida & fœtida sint; sed hoc mihi videtur alienum à prophetæ sententiâ, cùm de toto genere humano non loquatur.* Musculus in hunc locum. *Solenne erat huic populo, ut de justitus legalibus plurimum præsumeret, quasi per illas in conspectu Domini mundarentur, verum nihil plus habebant illæ munditiæ, quam vestimentum immundum hominis. Exponunt alii de omni justitiâ carnis nostræ, vera equidem est hæc sententia. Puto tamen prophetam ista magis ad populi hujus impuritatem legalibus vocibus accommodasse.* Author (vulgò existimatus Bertius) epistolæ præfixæ dissert. Ann. de vero sensu cap.7. ep. ad Rom. de hoc Isaiæ, digressionem habet, dicendo, *hic locus vulgò perniciosâ torsione corrumpitur: allegatur enim perpetuò, ac si sensus illius inferret excellentissima præstantissimorum Christianorum opera*, &c. Jacobus Coretus Gallus, minister in ecclesiâ Gallicâ Basil. in apol. de justif. contra Alescalem Impres. Paris. anno

anno 1597. pag. 78. *Interea tamen &c. ex quorundam bonorum virorum consilio. Iam mihi est admonendus Lector, nobis nunquam in mentem venisse eâ sententiâ, quæ extat cap. 64: ver: 6. abuti adversus bona opera, in qua dicuntur omnes justitiæ nostræ similes esse sordidissimo panno, quasi id, quod bonum est in bonis nostris operibus, & à Spiritu sancto proficiscitur, vellemus pro re sordida & immundâ haberi, &c.*

XII. Quod ad alteram partem, videlicet cùm optimi homines semper sint impuri & imperfecti, oportet ita esse illorum opera. Hoc est petere quæstionem, & pendet ex propositione à nobis negatâ, quæ uberiore discursione tractabitur sequente thesi: sed, quid si supponamus hominem non omni modo perfectum, non indè sequetur, non posse bona & perfecta opera in illo per Spiritum Christi produci, saltem *pro hîc & nunc*, ut multi ex Protestantibus fatentur. Comparatio illa de purâ aquâ per impuras canales ductâ multùm claudicat; licet enim aqua capax sit, quæ impuritatis labe afficiatur, verumenimverò Spiritus Dei, per quem perficimus ea opera, quæ ad justificationem valent, omnis labis incapax est; ideoque Iesu Christi opera in filiis suis pura & perfecta sunt, & per purum & perfectum illud propriæ formationis & creationis operatur. Si hoc enim teneret secundum adversariorum hypothesin, videlicet nullum opus esse immaculatum & perfectum, ne vel ea quidem, quæ Christus in suis operatur; sequeretur indè, ipsa Apostolorum miracula & opera, quæ in illis operatus est Christus, & illi per Christum & Spiritum nec non gratiam ejus operati sunt, impura & imperfecta fuisse, qualia fuerunt conversio gentium ad fidem Christianam, congregatio ecclesiarum, imò & scriptio sacrarum literarum, & denique, amor ille, & sui-resignatio, quâ vitam pro Christo obtulerunt; viderint adversarii quali argumento utuntur, quo etiam sacras Scripturas, quas tantoperè exaltant & magnificant, impuritatis & imperfectionis insimulant, quòd scilicet per impura & imperfecta vasa transiere. Operibus tamen hujusmodi naturæ, quam anteà diximus, partem hanc instrumentalem in justificatione tribuere (licet ignari quidam Papismum esse clamitent) ex Protestantibus, confitentibus frequentem fuisse apud Patres sententiam, patet; ita etiam perplures iique insignes Protestantes sunt confessi, ut Amandus Polanus in suâ symphoniâ catholicâ, cap. 27. de remissione peccatorum pag: 651. hanc ponit thesin, tanquam communem omnium Protestantium sententiam, doctrinæque Patrum maximè consentaneam; *remissionem peccatorum resipiscentiâ, confessione, precibus, lachrymis ex fide profectis impetramus:*

ſed non meremur proprie loquendo, ac proinde impetramus remiſſionem peccatorum non merito pœnitentiæ & precationis noſtræ, ſed miſericordiâ & benignitate Dei. Innocentius Gentiletus, juriſconſultus magni nominis inter Proteſtantes, in examine concilii Tridentini Genevæ excuſo anno 1586. pag 66, 67, de juſtif. paulò antè de fide & operibus diſſerens hæc addit verba. *Nam cùm una ſine alterâ eſſe nequeat, ambas conjunctim cauſas inſtrumentales dicere poſſumus.* Zanchius lib. 5. de naturâ Dei. *Non ſimpliciter negamus bona opera eſſe cauſam ſalutis, nempè inſtrumentalem potius quàm efficientem cauſam, quam vocant ſine quâ non.* Et poſtea. *Bona opera cauſa ſunt inſtrumentalis poſſeſſionis vitæ æternæ, per hæc enim tanquam per media & legitimam viam dicet nos Deus in poſſeſſionem vitæ æternæ.* G. Ameſius in medullâ S. Theologiæ lib. 2. cap. 1. theſi 30. *obedientia* (inquit) *noſtra, licet non ſit principalis aut meritoria cauſa vitæ æternæ, eſi tamen cauſa aliquo modo adminiſtrans, adjuvans, & promovens verſus poſſeſſionem hujus vitæ.* Richardus Baxter etiam in libro ſuprà citato, pag. 155. ait, *nos juſtificari operibus eodem genere cauſalitatis quam fide, videlicet quaſi per cauſas ſine quibus non, ſeu conditiones novi fœderis à noſtrâ parte requiſitas ad juſtificationem.* Et pag. 195. ait, *non neceſſe eſſe doctum aliquem inſtruere, qui Pontificiorum ſcripta legit, quomodo hæc doctrina ab iis diſſidet?*

Sed denique, quia expedit hoc loco aliquid dicere de merito ſeu mercede operum, quædam addam de ſenſu & fide noſtrâ hâc in re; neque enim exiſtimamus, neque credimus, hominem aliquid operibus ſuis à Deo mereri, cùm totum ſit ex merâ ejus gratiâ, ideoque negamus Papale meritum *ex condigno*; negare autem non poſſumus, quin Deus ex infinitâ ſuâ bonitate (quâ genus humanum dilexit) poſtquam communicaverit ei gratiam & Spiritum ſuum, etiam ſecundum bene placitum ipſius remuneratur bona filiorum ſuorum opera: itaque *hoc meritum congruentiæ ſeu remunerationis* negare non poſſumus; neque verbum *meriti* omnino rejicere, quousque eo utitur Scriptura. Nam idem ἀξιος ſignificat *meritum*, ideoque intelligi poterit, ubi interpretes *Dignus* verbo utuntur, ut Matth 3:8. 1 Theſſ. 2:12. 2 Theſſ. 1:5, 8. de quo Richardus Baxter libro ſuprà citato, pag. 8. *Largiore autem ſenſu* (ait) *ſicut promiſſio eſt obligatio, & res promiſſa dicitur debitum, ſic præſtatores conditionum dicuntur digni, & quod præſtant, meritum: licet proprie totum ſit ex gratiâ & non ex delito.* Hoc etiam meriti verbo frequenter uſi ſunt, qui Patres Eccleſiæ dicuntur; quorum dicta de hac re, quia in dubio non eſt,

hoc

hoc loco proferre non necesse habeo; sed quod ab hoc verbo, sensu quo nos utimur, etiam non abhorreant quam plurimi Protestantes, patet ex Apologia Confess. Augustanæ, Art. 20. *Concedimus opera verè esse meritoria, non remissionis peccatorum, aut justificationis, sed sunt meritoria aliorum præmiorum corporalium & Spiritualium, quæ redduntur, tum in hac vitâ, tum post hanc vitam.* Et paulo infra, *Cùm igitur opera sint quædam impletio legis, rectè dicuntur meritoria, rectè dicitur eis deberi merces.*

In actis colloquii Aldeburg. Theol. Electorales pag. 110. & pag. 265. *Hoc sensu Ecclesiæ quoque nostræ à meriti vocabulo Patribus usitato non abhorrent, nec tamen ea propterea patrocinantur Pontificiorum dogmati de merito.*

G. Vossius Thes. Theolog. de bonorum operum meritis. *Nos merendi vocabulum non in totum quidem damnare ausi sumus, ut quo tum veterum plurimi utuntur, tum Ecclesiæ reformatæ usæ sunt in confessionibus suis. Quod autem Deus judicat & acceptat homines secundum eorum opera, nemini dubium esse potest, qui hasce Scripturas seriò perlegere voluerit,* Matth. 17: 26. Rom. 2: 6, 7, 10. 2 Cor. 5: 10. Ja. 1: 2, 5. Heb. 10: 35. 1 Pet 1: 17. Rev. 22: 12.

Et ut hujus thematis finem faciam; ne quis nimis audacter Deum irrideat, judicans se justificari & acceptum esse in conspectu Dei virtute mortis & passionis Christi, dum impurus & non justificatus in corde suo, & in iniquitatibus pollutus sit; ne fiat spes ejus, sicuti spes hypocritarum, quæ fallitur. Neque aliquis stultè opinetur, quòd suis operibus, vel ceremoniarum seu traditionum observatione, vel auri argentive erogatione, sivè corporis membra affligendo, aut voluntariâ humilitate, aut cultu excogitato aliisque id genus Deum sibi debitorem reddere, aut coram illo se mereri, vel quòd homo aliquis potestatem habeat faciendi ea ad justificationem efficacia, ne stulti jactatores, & Deo justitiæque ejus peregrini inveniantur. Sed in sempiternum beati sunt illi, qui indignitatis suæ sensibiles facti, & omnia sua facta & conatus inutiles videntes, suamque inanitatem, & inanem spei vanitatem pensitantes, & conscii, dum intus percutiebantur & condemnabantur Dei sancto in cordibus ipsorum teste, ideoque se ad lumen illud applicantes, gratiamque illam in se operari patientes, sic mutati & renovati sunt in Spiritibus suis, & à morte ad vitam transiere, & Jesum in se suscitatum habent, & voluntatem & actum producentem, & ita Jesum Christum induerunt, eoque amicti & induti, justitiæ ejus participes fiunt; hi ante Deum confidenter stare possunt, & ad

illum appropinquare, atque acceptationem cognoscunt per illum, in quo Pater benè sibi complacuit, & in omnibus, qui in illo inveniuntur.

Thesis Octava.

In quibus sancta hæc & immaculata genitura plenè producta est, corpus peccati & mortis crucifigitur, & amovetur, cordaque eorum veritati subjecta evadunt & unita: ita ut nullis Diaboli suggestionibus & tentationibus pareant, & liberentur ab actuali peccato & legem Dei transgrediendo, eoque respectu perfecti fiunt: ista tamen perfectio semper incrementum admittit, remanetque semper, aliqua ex parte, possibilitas peccandi, ubi animus non diligentissimè & vigilantissimè ad Deum attendit.

I. CUm justificationem posuerimus in revelatione Jesu Christi in corde formati, & producti, ac ibi opera justitiæ operantis, fructusque Spiritus producentis, quæstio est, quousque, dum in hac vitâ sumus, in nobis prævalere, vel nos virtute ejus contra animarum nostrarum inimicos defendere possit. Qui pro justificatione omninò externâ imputativâ sunt, necessitatem internæ & realis justitiæ denegantes, exindè affirmant impossibile esse, sanctissimos à peccato liberari, imo hoc aliquem adeptum fuisse negant, è contrà prædicantes, *neminem posse vel à seipso, vel ex gratiâ quavis in hac vitâ recepta* (ô impium dictum contra divinæ gratiæ vim!) *mandata Dei perfectè implere, verum ea quotidiè violare cùm cogitationibus, tum dictis factisque.* Hinc etiam affirmant, ut paulò ante observatum est, optima sanctorum facta, preces scilicet, cultus &c. impura & polluta esse. Nos autem è contra, tametsi hoc libenter fatemur de naturali lapso homine in statu suo degenerato, dum irregeneratus utquid profiteatur verbis, nihilominus credimus eos, in quibus Christus sit formatus, & novus homo productus, & natus ex semine incorruptibili, sicuti partus ille & homo ei unitus, naturaliter voluntatem Dei agit, ita possibile esse homini eousque ei ad-

Catech. Westmunsteriensis verba.

adhærere, ut non sit quotidiè legis Dei transgressor. Et ad clariorem controversiæ statum aperiendum consideretur.

II. Primò, non ponimus hanc possibilitatem in hominis propriâ voluntate & capacitate, quâ homo est filius lapsi Adami, neque quâ consideraretur in statu naturali, utut sapiens & sciens, vel notionali & literali cognitione Christi imbutus, eâque studens conformitati cuidam ad legem, sicuti externa est.

Secundò, hoc totaliter adscribimus homini, prout renatus & renovatus est per Christum, quem in se novit regnantem, ducentem per Spiritum suum, & intus legem Spiritus vitæ revelantem, quâ peccatum non solum redarguitur, & manifestum fit, sed quâ ad liberandum è peccato vis obtinetur.

Tertiò, per hanc perfectionem, seu à peccato liberationem, nil tale intelligimus, quod quotidiè incrementum admittere non possit, neque ita volumus, quasi æquè purus, justus & perfectus homo esset ac Deus in divinis suis attributis sapientiæ, scientiæ & puritatis, &c. Sed solum intelligimus perfectionem proportionalem, & mensuræ uniuscujusque respondentem, quâ homines à transgrediendo legem Dei servantur, & ad voluntatem ejus implendam corroborantur, sicuti, qui duobus talentis benè usus est, opus suum perfecit, Domino acceptus fuit, & boni & fidelis servi nomen obtinuit, non secus quam qui decem ex quinque produxit; velut modicum auri verè aurum est in specie suâ, non minùs quàm ingens massa; & infans corpus integrum & perfectum habet, non minus quàm adultus, quanquam quotidiè crescat, sic Luc. 2: 52. de Jesu dicitur, quod *proficiebat sapientiâ & ætate, & gratiâ apud Deum & homines*, licet nunquam peccasset, ideoque sensu vero & proprio ab initio perfectus fuit.

Quartò, licet hanc à peccato liberationem consequi quis possit, ideoque omnes illuc niti debeant, non tamen negamus, quin, qui eam adeptus sit, postea Satanæ tentationibus amittere possit, & in iniquitatem relabi, saltem pro tempore, nisi diligenter attendat & sequatur lumen Dei in corde. Neque dubitamus, quin pii non pauci homines, qui vitam æternam adepti sunt, diversas hasce conditiones cognoverint; nam licet unumquodque peccatum hominem quoad spiritualem conditionem debilitet, non tamen omninò destruit, vel ad resurgendum incapacem reddit.

Denique. Licèt affirmem, quòd postquam aliquis talem statum adeptus sit, in quo possit non peccare, item & possit; non tamen affirmabo statum

non esse in hac vita obtinendum, in quo justitiam agere fit ita naturale animæ regeneratæ, ut in istius status stabilitate peccare non possit: alii forsan certius de hoc statu loqui possint, si illum adepti sunt, quod ad me attinet, modestè loquor, quia & ingenue fateor me illum statum nondum adeptum esse, negare autem dari eum nequeo, cùm tam disertè videtur ab Apostolo affirmari, 1 Joh. 3:9. *Omnis, qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet & non potest peccare.*

Statu controversiæ hoc modo aperto, quo non paucis frivolis objectionibus obviabitur, procedam primò doctrinæ illius, quæ perpetuam in hac vitâ etiam sanctis peccandi necessitatem affirmat, absurditatem ostendere.

Secundò, hanc nostram doctrinam quam plurimis evidentibus sacræ Scripturæ testimoniis probabo. Et denique, argumentis & objectionibus adversariorum respondebo.

III Primò. Doctrina ista, videlicet, *Sanctos nec posse, neque unquam à peccato in hac vitâ liberatum iri*, pugnat cum Dei sapientiâ & gloriosâ ejus virtute & majestate, *qui purioribus est oculis, quàm ut aspiciat malum*, qui, cùm in seipso voluit populum sibi ipsi congregare, qui illum adorarent, & ejus testes in terris forent, proculdubio etiam sanctificat, & puros efficit; non enim delectatur iniquitate, sed ab omni peccato abhorret; & licet hominem, qui in iniquitate versatur, respiciat, ita ut misereatur ejus, & relinquendi eam, vires ei communicet; atqui nec amat, nec delectatur homine, uti peccato jungitur, & si homo semper peccato jungendus esset, tunc semper à Deo disjungeretur, sicut scriptum est, Isa. 59. 2. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis*; cùm è contra *sancti dicantur divinæ naturæ esse participes*, 2 Pet. 1, 4. *& unus Spiritus cum illo esse*, 1 Cor. 6, 17. nihil autem impurum ita esse potest. Disertè scribitur *nullam esse societatem inter lucem & tenebras*, 2 Cor 6: 14. Sed Deus lux est, & omne peccatum est tenebræ; quid magis absurdum igitur contra Dei sapientiam dici potest, quasi defuisset in præparando viam, quâ sui eum perfectè adorare & inservire possent, & quasi nullam ordinasset eis methodum, quâ ipsi servirent, quin &, eodem facto, diabolo etiam non minùs, imo magis, quàm Deo servirent, *qui enim peccat, peccati servus est*, Rom. 6: 16. & omne peccatum actum quoddam est obedientiæ diabolo. Si ideo quotidiè peccent sancti & cogitationibus & actis & factis, quidni, si cultus & preces eorum peccata sint, plùs diabolo serviunt, quàm Deo; nam diabolo quam plurima

Hab. 1. 13.

ma integra ministeria præstant, nihil, ne vel granum, Deo tribuentes; Deo autem nihil tribuunt, nisi ubi etiam multum diabolo tribuitur, ubicunque enim peccatum est, ibi partem suam diabolus habet; & si preces sanctorum, omniaque eorum ministeria spiritualia peccaminosa sint, ibi diabolus non minùs adoratur, quàm Deus, &, in quam pluribus, longè magis; cùm ex istis actionibus plurimas ipsi fateantur sine divini Spiritus motu aut influxu peragi. Quis autem illum stultum inter homines dominum non agnoscat, qui, cùm vellet liberos suos sibi & voluntati ipsius obedire, & etiam potens esset eos tales efficere, nihil iis ita faciendi potestatis tribuat, quin etiam hostibus suis non minùs quàm sibi inserviant, & contra tantum incommodum non providerit, an non talem imprudentem & improvidum homines dicerent, qui rerum suarum tàm malè satageret? Quid igitur de istâ doctrinâ dicendum est, quæ omnipotenti & sapientissimo Deo hanc stultitiam attribuit?

IV. Secundò, Doctrina ista Dei justitiæ repugnat, nam cùm requirat à suis puritatem, & jubeat ita frequenter & diserte eos ab omni iniquitate abstinere, ut postea patebit; & cùm *ira ejus reveletur super omnem impietatem & injustitiam hominum*, necessariò sequitur, Deum, ad voluntati ejus obediendum, capacem fecisse hominem; aut saltem quod requirat plus, quàm dat potestatem præstandi, quod est Deum injustum facere, & dominum durum cum pigro servo nominare. Hactenus loquutus sum de injustitiâ, quam ii Deo adscribunt, dum illum iniquos damnare volunt, quibus nunquam assequendi virtutem media tribuerit. Sed hoc adhuc multò pejus & absurdius est, affirmare scilicet Deum non tribuere electis suis (quos fatentur, illum amare) media, quibus ei rectè servire possint. Quid igitur ex tàm prodigiosâ doctrinâ sequitur? Hæc in sanctis imperfectio vel à Deo est, vel ex ipsis sanctis. Si ab ipsis sanctis sit, indè fit, quòd non utantur potestate aliquâ, quâ possint obedire, & tunc possibile est, (ut revera est virtute Dei suis tributa) sed hoc nolunt antagonistæ, ideoque non culpandi sunt, quod in peccatis remanent, si impossibile sit eis aliter esse. Si autem ex ipsis non fiat, necessariò ex Deo est, qui non dedit eis illam gratiæ mensuram, quâ à peccato purgari & mandata ejus præstare potuerint, & an hoc non est maximam injustitiam Deo attribuere, perindè ac si suis peccare interdixerit, gratiam autem, quâ non peccarent, non tribuerit? Hoc modo Deus iniquissimis hominibus injustior fit, *qui*, ut ait Christus, *si filii petierint panem, non porrigent lapidem, aut si piscem, non porrigent serpentem.* Sed hi fatentur, quod oporteat nos petere à Deo po-

potestatem, ut à peccato liberemur, & tamen talem potestatem nunquam expectandam esse. Tales igitur preces in fide minimè possunt esse, sed inanes sunt. Nonne hoc modo Deus non minùs injustus sit suis, quam fuit olim Pharao populo Israelitico, qui lateres postulavit, stramen autem non dedit. Sed gratia Deo, non ita agit cum iis, qui revera confidunt in illum, sicut isti vanè imaginantur: Fideles verè sentiunt gratiam Dei sufficere iis, & quod vi & virtute ejus malum superare possunt.

V. Tertiò. Doctrina ista summè injuriosa est in Jesum Christum, & magnoperè derogat virtuti sacrificii ejus, & adventum ac ministerium ejus, quoad præcipuum finem, inefficacia facit. Christus enim præcipuè in hunc finem manifestatus est, ut peccatum removeret, & gentem justam sibi congregaret, qui Deo famularentur in animi puritate, coram illo in timore ambulantes, & ut sempiternam justitiam introduceret, scilicet Evangelicam illam perfectionem, quam non potuit lex efficere. Dicitur, Tit. 2: 14. *Dedisse semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptum, sectatorem bonorum operum*: hoc procul dubio de sanctis, dum in terrâ sunt, loquitur Apostolus. Sed huic contrarium affirmant repugnantes, in hâc vitâ nullam esse talem redemptionem, ideoque Christi pro nobis deditionem & adventum inefficacem reddunt, Paulumque hoc loco mendacem faciunt, apertè denegantes Christum mundâsse sibi populum ab omni iniquitate; quippè qui indies peccant, & ore & more assiduè imò perseveranter iniquitatem & scelus perpetrant. Quomodo dicendi sunt bonorum operum sectatores, qui in malis operibus indies versantur? & quomodo existimandi sunt populus purus, qui semper in impuritate sunt, nisi peccatum impuritas non dicatur? Præterea disertè affirmatur, 1 Johan. 3. 5: 8. *hoc fine apparuisse Filium Dei, ut peccata nostra tolleret, & diaboli opera dissolveret*: sed hoc totum isti frivolum reddunt, nolunt enim quod dissolvat opera diaboli in filiis suis per hujus vitæ curriculum, neque credunt apparuisse illum, ut peccata ipsorum tolleret, cùm necessitatem jugiter in peccato vivendi vendicent. Nequis autem hunc Apostoli locum detorqueat, quasi dictum fuisset solum de removendo reatu peccati, & quasi ad hanc vitam non spectasset, Apostolus quasi ex consilio addit sequentibus versibus, *omnis, qui in eo manet, non peccat &c.* Non igitur violant legem Dei cum cogitationibus, tùm dictis & factis. *Nemo vos seducat, qui facit justitiam, justus est, sicut & ille justus est; qui facit peccatum, ex diabolo est.*

Sed

Sed qui assiduè peccat cùm dictis, tùm factis &c. facit peccatum, quomodo ergo fit talis filius Dei? Sicut igitur addit Apostolus sequente versu, apparuisse Filium Dei, ut peccatum tolleret: quàm mirificè institutionem Christi pervertunt, qui refragantur peccatum in hac vitâ tolli, & quàm nocentes sunt Christi apparitionis virtuti & efficaciæ? Nonne Deus ideo misit Christum, ut populum ex peccato ad justitiam converteret, è regno Satanæ in regnum charissimi sui Filii? Et qui ita conversi sunt, nonne sunt servi ejus, filii ejus, fratres ejus, amici ejus? *Qui, sicuti ipse erat, sic & illi sunt in hoc mundo, sancti, puri, immaculati*; & Christus nonne semper vigilat super illis, attendit eis, orat pro illis, salvans eos virtute & Spiritu suo, ambulans in illis, & inter eos habitans? sicut è contrà diabolus inter reprobatos & perditos suos versatur? Quid igitur, an servi Christi minùs ejus sunt, quàm servi diaboli, nisi Christus dicatur nolle suos perfectos esse, quod non sine blasphemiâ asseritur, & Scripturis contradicit? vel quòd non potens sit virtute suâ suos præservare in justitiâ, quod non minùs blasphemum foret, quum de illo Scripturæ testentur, quòd peccatum superavit, & in infernum apertè triumphavit; & quòd omnis potentia, tùm in cælis, tùm in terris, ei tributa sit. Sed certè, si sancti assiduè cùm cogitationibus tum dictis factisque peccant, ut isti affirmant, magis diabolo, quàm Deo deserviunt, illiusque (videlicet diaboli) potestati subjecti sunt; idcircò ille magis prævalet in Christi filios, quàm ipse Christus, eosque in servitute tenet, etiam invito Christo; sed quàm est hoc contrarium Christi adventûs fini, sicut exprimitur ab Apostolo ad Ephes. 5:25,26,27. *sicut Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Si verò Christus hæc realiter perfecerit, membra hujus ecclesiæ non semper peccant, & factis & dictis &c. Sin autem ita sit, vel huic testimonio contradicitur, vel necessariò affirmatur, nihil esse discriminis inter sanctificatos & profanos, mundos & immundos, sanctos & insanctos, maculatos & immaculatos.

VI. Quartò, Doctrina ista reddit opus ministerii, prædicationem verbi, Scripturarum editionem, & preces piorum, inutilia & inefficacia; cùm quoad primum, Eph. 4:11. *pastores &c.* dicantur *dari ad consummationem vel perfectionem sanctorum &c. donec occurramus omnes in unitatem fidei &c. in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*: si autem necessitas sit quotidiè peccandi & in omnibus, tunc talis perfe-

ctio dari non potest, tales enim non dici possunt perfecti. Et si ad hanc consummationem perficiendam pastores in ecclesia ordinati & dispositi sint, nonne, qui hoc impossibile prædicant, ministerium inutile reddunt, cùm nullus alius verus finis eis assignatus sit, quàm quòd homines è peccato ad justitiam educant. Quocirca si (ut isti ministri asseverant) non expectanda sit nobis à peccato liberatio, nonne opus suum inutile faciunt? quid opus est prædicatione, si peccatum, ad quod arguendum omnis prædicatio fit, removeri non possit, nec ab hominibus separari? Adversarii magni Scripturarum æstimatores videri volunt, has autem *utiles* esse declarat Apostolus, 2 Tim. 3 : 17. *ut perfectus sit homo Dei.* Quod si hoc impossibile in hac vita sit, tunc inutiles omninò Scripturæ sunt, nam in vita futura non opus iis erit. Preces sanctorum inutiles reddit; ipsi autem fatentur oportere se quotidiè orare, ut Deus liberet eos ab omni malo, peccatum autem malum est. Preces autem illæ nonne sunt inutiles & fidei expertes, si eodem tempore credant Deum illud, pro quo orant, non daturum eis, quippè cùm impossibile sit hoc acquiri in hoc mundo, etiam Dei Spiritus & gratiæ auxilio; licet autem hæc absurditas sequeretur, videlicet quoad preces eorum absque fide, hoc parum esset, nisi idem inferretur de precibus sanctorum Apostolorum, qui hoc enixè exorabant, ideoque (procul dubio) possibile credebant, Col. 4: 12. *semper solicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti & c.* 1 Thess 3 : 13. & 5 : 23. &c.

VII. Sed quintò. Doctrina ista communi sensui & rationi repugnat, duo enim illa opposita principia, quorum alterum in filiis tenebrarum, alterum in filiis lucis regnat, peccatum & justitia sunt. Et sicut respectivè homines vel hoc vel illo fermentantur, vel justificati, vel reprobati dicendi sunt, cùm sit *æquè abominationi Ichovæ, improbum absolvere, & justum condemnare*, Prov. 17: 15. Qui autem urgeret, non posse aliquem ita altero fermentari, ut ab altero liberetur, planè affirmaret peccatum & justitiam coincidere, & posse hominem vere dici justum, licet quotidie in omnibus actionibus peccet, & tunc quid interest inter bonum & malum? Nonne hoc est in abominandum illud delirium prolabi, & occasionem sumere ponendi tenebras pro luce, & nominandi bonum, malum; & malum, bonum: cùm dicant optima sanctorum opera polluta & corrupta esse, & tamen eos, qui quotidiè cùm cogitationibus tum factis dictisque peccant, esse viros bonos, imò sanctos & pios Dei servos; nunquid magis sanæ & rectæ rationi contrarium esse potest? subjectum enim semper denominatur ab accidente, quo afficitur, sicut paries dicitur albus,

bus, ubi multa albedo eſt, &c. Sed ubi plus injuſtitiæ in aliquo homine invenitur, quàm juſtitiæ, is potius denominandus eſt injuſtus, quàm juſtus. Certè tunc ſi unusquisque quotidiè peccet in omnibus ſuis factis, dictis & cogitationibus, & ubi peccat, nihil habet juſtitiæ, ſi quid autem juſti agat, habet id mixturam injuſtitiæ, ibi plus injuſtitiæ quàm juſtitiæ eſt, quamobrem nemo dicendus eſt juſtus, nullus ſanctificatus, nullus ablutus inveniendus eſt. *Ubi igitur ſunt filii Dei? ubi purificati illi, ubi ii, qui aliquando poluti erant & impuri, ſed nunc ſancti & puri facti? ubi ii, qui quondam erant tenebræ, ſed nunc ſunt lux in Domino?* Utique ſecundum iſtam doctrinam tales non extant, niſi injuſtitia ita exiſtimetur; nonne hoc eſt in horrendam illam *Rantorum* blaſphemiam illabi, dicentium nihil intereſſe inter bonum & malum, utrumque idem eſſe in conſpectu Dei. Multa alia abſurda oſtendere poſſem, & peſſimas conſequentias, manifeſtaſque contradictiones, quæ ex pernicioſa hac doctrina exoriuntur, ſed hoc pro tempore ſufficiat, quo etiam probatio veritatis doctrinæ noſtræ implicatur. Sed, ad uberiorem ejus evidentiam, pergam ad ſecundum illud à me propoſitum, videlicet doctrinam noſtram quam plurimis Scripturæ ſacræ teſtimoniis probari poſſe.

VIII. Primò, probatur poſitivo illo Chriſti præcepto, nec non Apoſtolorum, quum hoc ſit axioma naturaliter omnium inſitum cordibus, *neminem teneri ad impoſſibile*: nam cùm Chriſtus & Apoſtoli ejus præceperint nobis omnia mandata præſtare, poſſibile nobis eſt ita facere. Quod autem hoc præceptum ſit absque omni commentario, ſeu interpretatione, luculenter apparet ex his diſertis verbis, quæ lector inſpicere poteſt, Matth. 5 48. 7:21. Joh. 13:17. 1 Cor. 7:19. 2 Cor. 13:11. 1 Jo. 2: 3,4,5,6. & cap. 3. vers 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10. quæ loca & præcisè præcipiunt, & abſolutè neceſſarium declarant, &, quaſi expreſſè ſcripta ſunt ad objectiones adverſariorum reſpondendas, eorum ſtultitiam manifeſtant, qui filii vel amici Dei reputari volant, dum aliter agant.

Secundò, Poſſibile eſt, quia hoc fine Evangelium & Evangelii legem recepimus, & diſertè promittitur nobis, ſicuti ſub gratiâ ſumus, ut ex iſtis locis apparet, Rom. 6:14. *Peccatum vobis non dominabitur, non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratiâ*: & Rom. 8:3. *nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum &c. ut juſtitia legis impleretur in nobis, &c.* Si enim hæc non eſſet conditio requiſita & neceſſaria & poſſibilis ſub Evangelio, tunc nihil eſſet diſcriminis inter Evangelium & legem, quæ nihil perfectum faciebat, cùm Apoſtolus per inte-

grum ſextum illud ad Rom. cap. poſſibilitatem hanc, imò & neceſſitatem redemptionis â peccando indè evincat, quia ſub Evangelio & non ſub Lege erant, idcirco & ſeipſum & Romanos, ad quos ſcribebat, in hac conditione ponit, verſibus 2, 3, 4, 5, 6, 7; & verſ. 11, 12. 13, 16 17, 18. urget hanc poſſibilitatem & neceſſitatem liberationis â peccato penè eo modo, quo nos ſuprà fecimus; & verſ. 22. declarat, eos hanc conditionem aliquantulum attigiſſe, his verbis, *nunc verò liberati â peccato, ſervi autem facti Deo habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam*: nam ſicut hæc à peccando libertas acquiritur & poſſibilis fit, ut Evangelium & lex Spiritûs recipitur & noſcitur, ita hujus ignorantia contrarium errorem & peperit & fovit. Homo enim, cùm non attendat lumen & legem Dei in corde ſuo (quâ peccatum non ſolum manifeſtatur ſed eradicatur, ideoque alienus & ignarus novæ vitæ & partûs, qui ex Deo oritur, & libenter voluntatem ejus agit, & ex naturâ ſuâ legem Dei violare nequit) in naturali ſuo ſtatu præceptum reſpicit ſicut externum eſt in literâ, & cum ſe ita condemnatum & convictum ſentiat (*litera occidit, non vivificat*) ſic ſemet vulneratum, non intus ad illud, quo ſanaretur, convertit, ſed legis externæ, prout extrà eſt, conformitatem conſectatur, quam impoſſibilem ſentit, quo plùs autem contendit, eò magis hæret, hic autem eſt adhuc Judæus cum carnali ſuo præcepto & lege externâ in fœderis antiqui ſtatu, *quo ſervientes non fiunt juxta conſcientiam perfecti*, Heb. 9: 9. quanquam notionem Chriſtianitatis, vel externam in Chriſtum fidem habere poſſint; & hoc modo excœcati laborârunt Scripturas detorquere ad quærendam juſtitiam imputativam totaliter extrà, quâ iniquitates ſuas operirent; imaginantur etiam acceptationem apud Deum poſſibilem, quamvis impoſſibile judicantes Chriſti mandatis obedire. Sed heu! ô animæ ineptientes, hallucinatæ & delirantes! Hoc minimè ſufficiet die illo, *quo Deus quemque judicabit ſecundum opera eorum, ſivè bona ſive mala.* Non defendet te dicere neceſſariò tibi impoſitum fuiſſe quotidiè peccare & dictis & factis; qui enim ita fecere, certò iniquitati obedientes fuerunt, *quibus præparata ſunt ira, indignatio, tribulatio & anguſtia; ſicut gloria, honor, pax & vita æterna iis, qui in bene operando patienter permanſere.* Quapropter, ſi hanc perfectionem & à peccato liberationem tibi poſſibilem cognoſcere cupis, converte cor tuum ad lumen illud & ſpiritualem Chriſti legem in te; anguſtiones ejus patere, & judicium nec non indignationem Dei in partem in te injuſtam ſuſtine, ſicut ibi revelatur, quam Chriſtus pro te tolerabilem

lem fecit; & ſic ſine judicium in te proferri ad victoriam, & hoc modo particeps fies paſſionis Chriſti, & morti ejus conformis, ut temet mundo crucis ejus virtute crucifixum ſenſeris, ut vita illa, quæ quondam ſpirabat & nutriebatur in te, huic mundo & amori nec non cupiditatibus ejus nunc moriatur, nova exſuſcitetur vita, quâ deinceps vivas Deo, non autem tibi ipſi, & cum Apoſtolo dicere poſſis, Gal. 2: 20. *non te amplius vivere, ſed Chriſtum in te*; tunc autem eris non nomine tantùm, ſed reipſa Chriſtianus, & tùm dignoſces, quid ſit, *depoſuiſſe veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris, & certe, aſſiduè & indeſinenter peccat & dictis & factis: & induiſſe novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitiâ & ſanctitate veritatis*, Eph. 4. *ſicque noveris teipſum eſſe Dei facturam, creatum in Chriſto Jeſu in bonis operibus*, Eph. 2. 10. *ideoque non ſemper peccare*; *& huic novo homini jugum Chriſti ſuave eſt, & onus ejus leve*, Matth. 11. 30. *& mandata ejus non ſunt gravia*, 1 Joh. 5. 3. Hujus enim quaſi cibus & potus eſt Dei voluntatem adimplere.

Denique, hæc perfectio ſeu à peccando libertas poſſibilis eſt, quia multi eâ potiti ſunt, ſicut ſacra volumina fusè declarant, etiam quidam ante Legem, quidam Legis tempore, & plurimi ſub Evangelio, ut primò de Enocho ſcribitur, Gen. 5. *quod cum Deo ambulavit*; quod nemo, dum peccat, facere poteſt. De Noah dicitur Gen. 6. 9. de Jobo 1. 8. & de Zachariâ & Elizabeth, Luc 1. 6. *quod perfecti fuerint.* Sed ſub Evangelio præter ea, quæ dicit Apoſtolus ſexto ad Rom. antè citato, vide quod de pluribus ait in communi, Eph. 2. 4. 5. 6. *Cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto & conreſuſcitavit, & conſidere fecit in cæleſtibus in Chriſto, &c.* Non credendum eſt, quod, dum in cæleſtibus illis locis conſiderent, quotidiè & cogitationibus & dictis & factis Dei legem violabant. Vide quod ampliùs dicitur ad Hebreos 12. 22, 23. Et ut finem imponam, perlegatur illud Apocalypſeos 14. 1, 2, 3, 4, 5. de quibus tempore præterito, ſcilicet, dum in terris verſarentur, diſertè dicitur, *quod in ore eorum non eſt inventus dolus*: ſed accelero, loco tertio, reſpondere objectionibus, quæ quidem ſunt adverſariorum argumenta.

IX. Primò, à magnâ illâ *objectione* exordiar, quam ex iſtis Apoſtoli verbis deducunt, 1 Joh. 1. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Reſp.* Annon mirum eſt, homines adeò excæcatos eſſe & partiales, quod Scripturæ teſtimonia longe luculentiora rejiciunt, & huic tenaciter adhærent, cui multifariè reſponderi poſſit? ut primò [*ſi dixerimus, &c.*] non probat, Apoſtolum ipſum ibi

includi, aliquando scriptura hoc loquendi modo utitur, cùm persona loquens minimè includatur, quem loquendi modum grammatici figuram *Metaschematismos* nuncupant. Hoc modo, Jac. 3. 9, 10. de linguâ loquens ait, *in ipsâ benedicimus Deum, & in ipsâ maledicimus homines; non oportet fratres mei hæc ita fieri.* Quis inde affirmabit ex maledictoribus istis fuisse Apostolum. Sed secundò, hæc objectio rem minimè attingit, non ait, quotidiè violamus Dei mandata & dictis & factis, &c. multò minùs omnia opera nostra bona, quæ operatur in nobis Spiritu suo Deus, esse mala & peccaminosa; sequens versus contrarium demonstrat, ubi *confitentibus dicitur & remitti peccata, & eos ab omni iniquitate emundari.* Hic & remissio reatus, & mundatio inquinamenti seu pollutionis est; nemo enim sine manifestâ verborum violentiâ potest contendere, & remittere & emundare ad remissionem reatus ambo pertinere; nam ut hoc minimè ex textu patet, sic & inutilem tautologiam implicat, nam Apostolus ibi ostendens, quomodo & remissio & mundatio obtinetur, subsumit tempore præterito, versu 10. dicens, *si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, &c.* Tertiò, ut rectè observat Augustinus exposit. epist. ad Gal. *aliud est non peccare, aliud non habere peccatum*, non ait Apostolus, si dixerimus quoniam non peccamus, sed quoniam peccatum non habemus. Certè inter hæc multum jacet discriminis, nam quoniam omnes peccavere, ut libenter fatemur, de omnibus dici potest quodam modo, quod peccatum habeant. Præterea, peccatum sumi potest pro semine peccati, quod in iis aliquando remanet, qui ab actualiter peccando redimuntur; quod autem ad eas tentationes & provocationes ab isto semine provenientes, cùm à servis Dei resistantur, diaboli tentantis, non sancti resistentis, peccata sunt. Quartò, his omnibus consideratis, & quàm luculenter idem Apostolus eâdem epistolâ semel & iterum, ut in quamplurimis locis antè citatis, perfectionem hanc, ac non peccandi & possibilitatem & necessitatem affirmat, num æquum, num rectæ rationi consentaneum est, hunc unum locum, quem ipsis sequentibus verbis explanat, & paulò pòst tempore præterito subsumit, ità torquere ad contradicendum non solum aliis quamplurimis ejusdem Apostoli sententiis, sed & universo hujus epistolæ scopo, nec non totius Scripturæ præceptis ac mandatis.

Secundò, *objiciunt* duo Scripturæ loca ejusdem ferè significationis. Alter est, 1 Reg. 8. 46. *Nemo est, qui non peccat*; alter est Eccles. 7. 20 *quamvis homo justus non sit in terrâ, qui faciat bonum, & non peccat. Respondeo*, primò; Hîc nihil agitur de quotidiè peccando, & nunquam ab eo libe-

liberando: ſed tantum quod omnes peccavere, vel nullum eſſe, qui non peccat, licet non ſemper, ut nunquam non peccet, & hìc jacet controverſia; imò eo loco Reg. poſt duos verſus loquitur de iis, qui *revertuntur ex toto corde ſuo, & ex toto animo ſuo*, quo poſſibilitas relinquendi peccatum abundè inſinuatur. Secundò, reſpicienda ſunt tempora & diverſa diſpenſationes, nam licet concederetur, iſto temporis punctulo nullum non peccantem fuiſſe, non indè ſequitur, nullum nunc vel eſſe, vel impoſſibile eſſe, ut talis nunc ſit, nam *à non eſſe ad non poſſe non omninò valet ſequela.* Sed denique, tota hæc objectio ex falsâ interpretatione pendet, verbum enim Hebraicum יחטא modo potentiali legi & poteſt & debet, videlicet, *qui non peccet*, id eſt, *qui non poſſit peccare*: ſic & vetus interpretatio, & Vatablus & Junius ac Tremellius interpretantur, idemque verbum ita ſe habet, Pſal. 119. 11. *In corde meo abſcondi eloquium tuum*, לבלתי אחטא לך, id eſt, *ne peccem tibi*, in modo potentiali: quod, cùm ſit magis adæquatum univerſo Scripturarum ſcopo, veritatis teſtimonio, omniumque fermè interpretum ſenſui, ita proculdubio intelligi debet, & alteram interpretationem tanquam ſpuriam rejici.

Tertiò, *objiciunt* quædam Apoſtoli ad Rom. cap. 7. dicta, nempe verſu 19. *non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago.* Et ver. 24. *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus!* *Reſpondeo*; Hic nihil probatur, niſi pateret Apoſtolum hoc loco de ſuâ propriâ & præſenti conditione loqui, & non potius in perſonâ aliorum; vel de ſuo ſtatu, in quo aliquando ipſe fuerit, quod Scripturis familiare eſt, ſicut de maledicendo, in epiſt. Jacobi, hactenus obſervavimus. Sed in textu nihil eſt, evidenter ſignificans, Apoſtolum de ſemetipſo, vel de ſua conditione propriâ præſente, multò minus ſemper futurâ ibi loqui; ſed è contrario, in præcedenti capite, ut ſuprà manifeſtum eſt, contrarium declarat, dicens, verſ. 2. *qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* ſecundò apparet, Apoſtolum quaſi agere partes cujuſdam, qui nondum adhuc ad ſtatum ſpiritualem pervenerit, quoniam verſu 14. dicit, *ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato.* Sed quis tam inſanus eſt, ut dicat Paulum Apoſtolum quoad propriam ſuam conditionem, quando illam epiſtolam ſcribebat, fuiſſe virum carnalem, qui in primo capite teſtatur, *quod ſegregatus fuerit ad dignitatem Apoſtolicam, Romanis ſpiritualia dona impertiturus?* & de ſeipſo ait capite ſequenti, *quod lege Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberatus ſit à lege peccati & mortis*, tunc igitur non erat carnalis. Et cùm ſint in hâc vitâ viri ſpirituales, ut non abnegant adverſa-

rii,

rii, & per totum hoc octavum caput copiosè significatur, nemo negabit ex horum numero fuisse beatum Apostolum Paulum; sicut igitur, etiamsi ipsum carnalem vocet isto capite, non illic de seipso locutum intelligendum est, ita nec quid aliud eodem loco de se dicit; imò post vers. 24. ubi ut suprà exclamat, *gratias Deo reddens*, & sequenti capite, quomodo victoriam obtinuit, abundè significat, ut versu 35. *Quis ergo nos separabit à Charitate Christi?* & vers. 37. *Sed in his omnibus superamus.* & vers. ult. *nihil poterit nos separare, &c.* Sed ubicunque peccatum est & remanetur in eo, ibi quædam separatio est, cùm omne peccatum sit Deo contrarium, ἀνομία, id est, *legis transgressio*, 1 Joh. 3. 4. & quicunque vel minimum malum agunt, ab eo separantur. Hic igitur superandi status, quem apertè declarat se cum aliis quibusdam consequutum esse, cum perseveranter & usquequaque peccando consistere non poterat.

Quartò, *objiciunt*, delicta & peccata quorundam sanctorum, sicut Noachi, Davidis, &c. *Respondeo*, hoc nihil ad rem: Controversia enim non est, num viri boni *non possint peccare*, quod non negatur, sed, ut suprà, num possint *non peccare*: non sequitur, quia peccaverint, quòd ideò non potuissent non peccare, sed semper necesse sit, ut peccent. Secundum hunc modum argumentandi urgeri possit per hanc regulam, *contrariorum pari ratio*, nempe quia bonus aliquando, id est semel vel iterum, peccavit, ergo necesse est, quotidiè & per integram vitam peccet, igitur si malus aliquando, id est semel vel iterum bonum & justum egit, ergo necesse est, quotidiè & per integram vitam bonum & justum agat, quod sicut est maximè absurdum, ita & Scripturæ testimonio plane contrarium, Ezech. cap. 33. à versu 12. ad 18.

Denique *objiciunt*, si hæc à peccando libertas possibilis sit, tunc mortificatio peccati inutilis erit, quia nullum erit peccatum mortificandum, imò sanguis Christi, & quotidiana pro remissione peccatorum oratio, nugatoria & non necessaria redditur. *Respondeo*, Hanc, propter ejus absurditatem, ferè omisi; num possit enim mortificatio peccati inutilis esse, ubi finis ejus obtinetur, cùm perfectio hæc non acquiratur nisi per mortificationem? num fides & spes superandi prælium parum necessarium reddat? judicent æqui & sapientes, utrum rationi magis consentaneum sit; vel, ut adversarii ajunt, necessarium esse, ut pugnemus, & nunquam de superando cogitemus, ideoque necesse esse, ut semper superati & debellati simus; vel, ut nos dicimus, pugnemus, quoniam pugnando datur spes superandi; utrum ii, qui se mundari posse, vel qui se nunquam posse credunt, san-

sanguinem Christi magis efficacem reddunt? quis magis medicum ejusque medicinam commendat, is, qui credit se illo sanari posse, & , sicut se sanioremsentit, fatetur & agnoscit, ideoque revera dicere potest, hic peritus est medicus, hoc bonum medicamentum, ecce sanatus sum per illum; vel is, qui nunquam sanatur, qui nunquam se posse sanari credit, dum vivit. Quod ad orationem pro remissione peccati, minimè negamus, quoniam omnes peccavere, ideoque opus habent oratione, ut peccata præterita remittantur, & quotidiè à peccando præserventur: & si spes vel fides hujus redimendi à peccato possibilitatis impediret orationem pro remissione peccati, eodem modo inferretur, neminem vitare debere homicidium, pellicatum, vel cætera ea horrenda peccata, cùm, quo plus homines peccatores sunt, eo magis orandi occasio pro remissione peccati, plus ibi mortificationis usus. Sed satis refutavit Apostolus tales pro peccato patronos & cavillatores, his verbis, ad Rom. 6: 1. *Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit.* Sed denique ad urgentes hoc de oratione pro remissione peccatorum ex oratione Dominicâ facilè respondetur per retorsionem. Hoc non minus militat contra perfectam justificationem, quàm contra perfectam sanctificationem; si enim omnes sancti, minimi, non secus ac maximi, ab ea ipsa hora, quâ convertuntur, perfectè justificentur, ut adversarii volunt, habent, longè antequam moriuntur, remissionem omnium peccatorum; dicine iis igitur possit, quid opus vobis orandi pro remissione peccatorum, qui jamdudum justificati estis, quibus diu omnia peccata, cùm præterita tùm futura, remissa sunt?

X. Sed his satis dictum sit; de hac possibilitate satis luculenter testatus est Hieron. lib 3. adver. Pelagium, *hoc est, nos dicimus posse hominem non peccare, si velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quamdiu intentus est animus, quamdiu chorda nullo vitio laxatur in cytharâ*, & rursus eodem libro, *quod est quod dixeram in nostra esse positum potestate, (per gratiam scilicet adjuta) vel peccare, vel non peccare*, hic enim erat Pelagii error, quem nos reverà respuimus & adversamur, & cui patres omnes justè restiterunt, dicere scilicet, posse hominem viribus naturalibus absque Dei gratia non peccare. Sed quod ab hac possibilitate, divinæ gratiæ ope, non abhorruerit Augustinus, Pelagianæ hæreseos acerrimus oppugnator, ex multis ipsius operum locis apparet, ut lib. de Spiritu & literâ, cap. 2. & lib. de naturâ & gratiâ contra Pel. cap 42. 50, 60, & 63. de gestis concilii Palæstini, cap. 7. & 11. & de peccato originali, lib. 2. cap. 11. Gelasius autem in disput. contra Pelag. *Sin verò quispiam* (inquit)

non possibilitate facultatis humanæ, sed per gratiam divinam, hoc asserat in hac vita quibuslibet sanctis (posse) *conferri, bene quidem facit* (*nam Dei dono cuncta possibilia sunt*) *talia considenter opinari & sperare fideliter.* Communis autem hac in re patrum sententia ex verbis concilii Aszansic. videri potest, can. ult. *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod, accepta per Baptismum gratia, omnes Baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint.*

XI. Beati igitur qui credunt in illum, qui & potest & vult liberare ab omni peccato, quotquot ad illum veniunt per veram pœnitentiam, & quibus non est animus, diaboli per vitam totam esse servi, sed quotidiè procedunt derelinquendo injustitiam, &, *quæ retrò sunt, obliviscentes*, Phil. 3: 14. *ad ea verò, quæ sunt priora, extendentes seipsos, ad destinatum persequentes bravium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu*; tales equidem sentient, nec fidem, nec spem suam esse inanem, sed tempore opportuno victores futuri sunt per vim ejus, in quem crediderunt, *victores enim facit columnam in templo Dei sui, & foras non amplius egredientur.* Apoc. 3: 12.

Thesis Nona.

Licet donum hoc, & interna Dei gratia sufficiens sit ad perficiendam salutem, illorum tamen, in quibus resistitur, & fieri potest & fit condemnatio; præterea, in quorum cordibus nonnihil operata est, ad purificandos & sanctificandos illos, ultra ad eorum perfectionem tendens, inobedientiâ ab illâ regredi possunt, & *in concupiscentiam reverti, fidei naufragium facere, & post gustatum donum cæleste & participes factos Spiritus sancti, denuò prolabi*; ejusmodi tamen incrementum in hac vita & in veritate stabilitas acquiri potest, à quâ nulla datur apostasia.

I. Primam hujus positionis sententiam in expositione theseos quintæ & sextæ hactenus tractavimus, ubi abunde demonstratum est, *lumen* illud, quod pro vitâ & salute datum est, eorum fieri condemnationem, qui obstant ac recusant; ibique

que etiam ostendimus possibilitatem hominis resistendi divinæ gratiæ & Spiritui; & hoc ita certè patet ex Scriptura, ut vix negari possit, cui hæc loca revolvere seriò libet, Prov. 1: 24, 25, 26. Joh. 3: 18, 19. 2 Thess. 2: 11, 12. Act. 7: 51. & 13: 46. Rom. 1: 18. Quod autem ad alteram partem, videlicet, posse aliquos, in quorum cordibus gratia Dei nonnihil operata est, ad purificandos & sanctificandos illos, ultra ad eorum perfectionem tendens, inobedientia ab illa regredi, &c. Testimonia Scripturæ, quæ thesi ipsi incluſa sunt, sufficiunt ad confirmandam sententiam nostram hominibus aliena opinione non imbutis, sed quoniam, quoad hanc partem, causa nostra communis est cum plerisque aliis Protestantibus, brevius hoc loco agam. Non enim est consilium meum, actum agere, sed breviter orbi Christiano nostrarum doctrinarum narrationem exhibere, itidem & quibus eas argumentis propugnamus.

II. Ex Scripturis igitur thesi inclusis (omissis multis aliis quæ urgeri possent) sic argumentor. Si quidam gratiam Dei in luxuriam transferant, tunc aliquando habuerunt: Sed prius est verum: Ergo & posterius. Si quidam fidei naufragium fecerunt, tunc aliquando habuerunt: Sed habere fidem absque Dei gratiâ non potuerunt: Ergo &c. Si quidam post gustatum donum cœleste, & participes facti Spiritûs sancti, denuò prolapsi sunt, tum necessariò secundum aliquam mensuram aliquando senserunt salutiferæ Dei gratiæ & Spiritûs operationem, sine quâ nemo potest gustare cæleste donum, & Spiritûs sancti particeps fieri, Sed prius est verum: Ergo & posterius.

Secundò, Cùm hæc doctrina falsâ istâ hypothesi nitatur, videlicet gratiam nemini ad salutem dari, nisi selecto cuidam numero, qui eam amittere non potest, cùm reliquum totum genus humanum absoluto decreto â salute excludatur; subrutâ & exfundatâ hypothesi moles corruit. Sicuti doctrina ista pugnat cum quotidianâ praxi eorum, qui illam prædicant, quoniam hortantur multos ad credendum, & salutem adipiscendam, cùm interim, si ad decretum reprobationis pertineant, impossibile sit iis, vel credere, vel servari: & si ad decretum electionis; prædicatio frivola est & inutilis, quia aberrare nequeunt: sic etiam hâc in re perseverantiæ doctrina praxi repugnat, nam quotidiè auditores hortantur, ut ad finem fideles sint, declarantes, quòd, si non perseverent, exscindentur & mercedem perdent: quòd quidem verum est, sed maximè contradictorium doctrinæ affirmanti impossibile esse, â minimâ veræ gratiæ mensurâ recedere. Si enim ita sit, quid opus hortandi eos perseverare, quos de-

crevit Deus, ut persistant, & quibus impossibile fecit non perseverare? Huic probationi non ampliùs insistam, quum hoc ad consilium meum sufficiat, resque abundè aliàs probetur. Quòd hæc fuerit primitivorum Protestantium sententia, indè apparet, quòd confessio Augustana condemnet, quasi errorem Anabaptisticum, dicentes, *qui semel justificati sunt, non posse sanctum Spiritum amittere.* Huic multa similia loc. com. Philippi Melanch. reperiuntur. Vossius Pelag. lib. 6. contestatur, communem hanc fuisse Patrum opinionem: in confirmatione theseos 12. pag. 587. hæc habet verba, *communem fuisse antiquitatis sententiam, quam diximus, soli hodie negare possunt, qui cæterum forta se viri sunt non inerudi ti, sed in antiquitate tamen plane hospites &c.* His ita observatis, ad adversariorum objectiones venio.

III. Primò *objiciunt*, ea Scripturæ loca de naufragio fidei &c: non de verâ fide intelligi, sed solùm de falsâ fide, speciem veri habente &c. *Resp.* Hæc objectio perquàm infirma & imbecillis est & textui contraria, 1 Tim. 1: 19. ubi Apostolus dit, *fidem & bonam conscientiam*; si autem fides fuisset solum hypocritica, non fuissent culpandi, quòd repulissent; meliores enim absque, quàm cum tali fide & conscientiâ fuissent, ideoque ad talem interpretationem refutandam disertè loquitur de bonâ (non de hypocriticâ) conscientiâ, quâ apparet realem fuisse, cujus hoc loco fit mentio. Neque concedi potest, acquisiviisse illos bonam conscientiam (quam postea amiserunt) sine operatione salutiferæ Dei gratiæ; multò minùs existimandum est, bonam conscientiam cum fide falsâ & hypocriticâ consistere. Et, cùm iis locis conqueratur Apostolus, patet istos, de quibus conqueritur, â bonis & realibus fidei initiis prolapsos fuisse, alioquin minimè illi lamentationis causa fuisset, ideoque verbis luculentis ait, *post gustatum donum cœleste, & cùm participes facti sint Spiritûs sancti &c.* non dicit, quòd solùm apparebant ita fuisse; ex quibus equidem abundè apparet, frivolam esse hanc objectionem.

Secundò *objiciunt*, Phil. 1: 6. *Confidens hoc ipsum, quia, qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi*: & 1 Pet. 1: 5. *qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem &c. Resp.* Hæc Scripturæ loca, sicut nihil nobis contrarium positivè affirmant, ita non aliter intelligi possunt, quàm quatenus conditio â nostrâ parte præstatur, cùm salus non aliter proponatur, quàm peractis â nobis quibusdam necessariis conditionibus, sicuti antè probatum est, & non possunt adversarii negare, Rom. 8: 13. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini,*

si

si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. & Heb. 3 : 14. *Participes enim Christi effecti sumus, si modò initium substantiæ ejus ad finem usque retineamus.* Si enim absque istis conditionibus testimonia illa sumenda essent, omnes eorum exhortationes, quibus alibi scripta illorum abundant, everterent. Quibusdam aliis ejusdem farinæ objectionibus utuntur, quæ eâdem facilitate solvi possunt, & quas, quia, ut antea observavi, alii abundè tractârunt, omisi, ut ad postremam partem, quæ magis peculiariter nostra est, perveniam, quæ posteriore thesis parte sic se habet, *ejusmodi tamen incrementum in hâc vitâ, & in veritate stabilitas acquiri potest, â quâ nulla datur apostasia.*

IV. Sicut in dilucidatione quintæ & sextæ theseos observavi, quosdam, qui aliorum errores de reprobatione negaverint, tamen defuisse, quia non satis abundè veritatem annunciârunt, ideoque parti adversæ illinc occasionem remanendi in erroribus suis dedisse, ita etiam hoc respectu dici potest; sicut ex unâ parte errant, qui affirmant, non posse hominem â minima veræ gratiæ mensura decidere, eamque amittere; sic ex altera falluntur, qui negant, istam stabilitatem hac in vita consequendam, à quâ apostasia totalis & finalis non datur: & inter hæc duo extrema jacet veritas, Scripturarum testimoniis confirmata, quam nobis revelavit Dominus Spiritûs ipsius testimonio, cujus etiam certi facti sumus sensibili nostrâ experientiâ. Et sicut in priore controversia observavi, ita hìc veritatis apologia facilè apparebit rem seriò ponderantibus, nam utriusque partis argumenta, si benè applicentur, hanc confirmabunt, & objectiones, quæ valent non parùm, prout respectivè urgentur, contra opiniones falsas ad invicem oppositas, hìc facilè solvuntur, veritatem stabiliendo: omnia enim argumenta & Scripturæ testimonia, quæ adducunt affirmantes nullam dari apostasiam, facilè recipiuntur ex unâ parte, si de iis, qui ad hanc stabilitatem & incrementum pervenerunt, loquantur, & objectiones eorum hâc concessione solvuntur. Ex alterâ autem parte, argumenta & Scripturæ testimonia, quæ adducunt affirmantes apostasiæ possibilitatem, etiam recipiuntur, si de eis, qui ad hanc stabilitatem & incrementum nondum accesserunt, loquantur, licet aliquam veræ gratiæ mensuram habeant. Sic igitur contrariæ & diversæ adversariorum verberationes, dum se invicem destruunt, dum veritatem transeunt, eo fortius ad confirmandam eam concurrunt. Ne tamen hoc videatur minus sufficere iis, qui judicant, semper possibile esse, perfectissimos in hac vitâ sanctos divinam gratiam amittere, ad veritatis nostræ

corroborationem, considerationes quasdam è Scripturâ deductas breviter subjungam.

V. Et primò libenter fateor, quod expediat omnibus humiles esse, & non hoc respectu, hac fiducia, ita fretis, ut semet in iniquitate, aut nimiâ securitate ponant, quasi hanc conditionem jam acquisivissent; cùm vigilantia & diligentia mortalibus omnibus omninò necessaria sint, dum hoc orbe spirant; vult enim Deus hanc esse perpetuam Christiani praxin, quâ ad cultum suum aptior, & ad diaboli tentationes resistendas magis munitus sit, *peccati enim stipendium mors est.* Nemo est dum peccat, qui non justè se capacem perditionis sentire non debeat, hinc ipse Paulus Apostolus ait, 1 Cor. 9: 27. *Sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Hîc Apostolus supponit possibile esse, se reprobum fieri, & tamen judicare possumus eum longè majores progressus fecisse in interno regenerationis opere, quando hanc scripsit Epistolam, quàm multos, qui hodiè præsumptuosè nimis impossibile sibi esse apostasiam facere jactitant, quia sentiunt se mensuram aliquam veræ gratiæ adeptos esse; hac autem suppositione (ut antea animadverti) utitur Apostolus, quasi ad vigilantiam incitamento. *Sed castigo corpus meum &c. ne fortè &c.* Alio autem tempore idem Apostolus sensatione sanctæ Dei virtutis raptus, & in Domino suo se sentiens, dum in iniquitates suas animæque inimicos superator existit, non dubitat exclamare, Rom. 8: 38. *certus sum enim, quia neque mors, neque vita &c.* Quo loco abundè apparet, se statum illum adeptum fuisse, à quo se non potuisse prolabi cognovit.

Secundò, Apparet hunc statum possibilem esse, quia ad illum hortatur nos Apostolus, 2 Pet. 1: 10. *Quapropter, fratres, potius studete vocationem & electionem vestram firmam facere.* Et licet conditio hoc loco proponatur, cùm hactenus probavimus, possibile esse conditionem implere, posset igitur & promissio conditioni subnexa attingi, & cum, ubi hæc certitudo deest, semper detur locus dubitandi & desperandi, si hanc nunquam consequi sanctos diceretur, sequeretur etiam eos in hac vita semper dubitationibus & desperationibus obvios esse, quod & Scripturæ, & millium experientiæ repugnat.

Tertiò, dedit igitur Deus compluribus suis filiis, & omnibus paratus est dare, hanc certitudinem, quâ nôrunt se ejus esse, quòdque è manu ejus rapi non possunt. Sed hæc certitudo non esset certitudo, si qui hoc modo certi sunt, non confirmarentur & stabilirentur ultra omnem hz-

hæsitationem & dubitationem, & si ita sit, tunc impossibile est illo carere, quod Deus iis certum fecit. Quòd autem talis certitudo in hâc vitâ acquiri possit, abundè declarat Scriptura & in generali & particulari, ut primò Apoc. 3: 12. *qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius &c.* quod continet communem omnibus promissionem, Hinc Apostolus de quibusdam signatis, 2 Cor. 1: 22. *Qui signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris:* signatura igitur Spiritûs dicitur esse pignus hereditatis nostræ, Eph. 1: 13. *In quo & vos signati estis Spiritu promissionis sancto*; ideoque Apostolus non solum illo ad Rom. suprà citato ait, se hunc statum adeptum fuisse; sed 2 Tim. 4: 7. affirmat his verbis, *Bonum certamen certavi, &c.* quod etiam alii complures boni de seipsis testantur. Quum ideo nihil magis manifestum esse possit, quàm quod hujus seculi luculentâ experientiâ declaratur, congruente cum priorum seculorum experientiâ, videmus & olim & hodie fuisse, qui gratiam Dei in luxuriam transtulerunt, & qui à fide & integritate suâ prolapsi sunt, ideoque tuto concludere possumus talem apostasiam esse possibilem; vidimus etiam & olim & hodiè indubitatâ certitudine potitos esse, antequam ex hoc mundo exierint, quod vitam æternam assequuturi essent, & prorsus mortui sint bonâ illâ spe imbuti, de quibus etiam Dei Spiritus testatus est, quod ad cælos ascenderunt. Quâ ratione etiam vidimus hunc statum in hac vitâ possibilem, à quo non datur apostasia, nam cùm Spiritus Dei ita testatus sit, non possibile fuit eos perire, de quibus ille, qui mentiri nequit, ita pronunciaverit.

Thesis Decima.

Sicut dono hoc & gratiâ seu lumine Dei omnis vera cognitio in rebus spiritualibus recipitur & revelatur; ita & illo, prout manifestatur & in intima cordis receptum est, per ejus vim & potentiam unusquisque verus Evangelii minister constituitur, præparatur & uppeditatur in opere ministerii, & hoc movente, ducente & trahente, oportet Evangelistam, pasto em Ch istianum duci & mandari in labore & ministerio suo Evangelico; & quo-

quoad loca, ubi, & quoad personas, quibus, & quoad tempora, quando ministraturus est. Porro, qui hujus habent authoritatem, possunt & debent Evangelium annunciare, licet humanis mandatis carentes, & humanæ literaturæ ignari. E contra verò, qui hujus divini doni authoritate carent, quanquam eruditione & scientiâ præditi, & ecclesiarum mandatis & hominum authoritate ut plurimùm pollentes, impostores tantum & fraudatores, non veri Evangelii ministri seu prædicatores habendi sunt. Præterea, qui sanctum & immaculatum donum acceperunt, *sicut gratis accepere, ita & gratis distributuri sunt*, absque mercede vel pacto stipendio; absit, ut eo utantur, sicut arte ad lucrandam pecuniam; si autem Dominus aliquem avocaverit à negotio seu arte suâ, qua solitus est sibi & familiæ comparare panem, licet ei secundum libertatem sibi in Domino concessam recipere temporalia (videlicet quæ ad victum & amictum pertinent) ab illis, quibus spiritualia communicavit, quæ liberè & ex animo data sunt.

I. Hactenus ea tractavi, quæ ad fidem Christianam pertinent, & ad Christianos, prout unusquisque in privatâ suâ conditione & statu consideratur, videlicet, quibus mediis unusquisque possit & fieri reverà Christianus & in Christianitate perseverare. Nunc autem ordine ad ea quoque procedam, quæ ad Christianos pertinent, prout societate & visibili communione congregantur, quæ societas ecclesia Dei nominatur, & in Scripturis frequenter corpori comparata, & corpus Christi dicta est. Cùm igitur in corpore naturali hominis diversa sint membra, quæ omnia tamen simul concurrunt ad communem finem componendum & præservandum integrum corpus; sic in spirituali & mystico hoc corpore varia etiam membra sunt, secundum diversas gratiæ & Spiritûs mensuras, variè administratas singulis membris; & ex hac diversitate oritur illa distinctio personarum in visibili societate Christianorum, videlicet, Apostolorum, Pastorum, Evangelistarum, Ministrorum &c. Hac thesi autem disquiritur,

tur, quid ſit, quod facit ſivè conſtituit aliquem eccleſiæ miniſtrum; quę-nam debeant eſſe ejus qualificationes, & quomodo ſe gerere debeat. Sed quia fortè præpoſterum videretur, de diverſis eccleſiæ officiis diſquirere, antequam aliquid de eccleſia generaliter dictum ſit, licet nihil de ea diſertè in theſi dicatur, quia tamen hoc loco ſubauditur, antequam de diſtinctis ejus membris loquar, quædam de eccleſia ipſa præfari viſum eſt.

II. Minimè mihi animus eſt prolixis iſtis altercationibus, quibus hac de re ſe dilacerant Pontificii & Proteſtantes, me immiſcere, ſed ſolummodo, ſecundum veritatem mihi manifeſtatam à Spiritu Dei, & ſecundum diſpenſationem ſapientiæ mihi à Deo diſtributæ, breviter exhibere, quæ & ipſe & fratres mei hac de re credimus, quaſi neceſſariam, ad hanc de miniſtris, & ſequentem de cultu, theſin, introductionem.

Eccleſia igitur, ſi grammaticalem vocabuli ſignificationem reſpiciamus, ſicut eo utitur S. Scriptura, ſignificat conventionem vel congregationem multorum in unum locum, ſubſtantivum enim ἐκκλησία venit à verbo ἐκκαλέω evoco, & à radice καλέω voco, & ſicut hæc eſt ſignificatio grammatica, ſic etiam eſt realis & proprius rei ſenſus; cùm eccleſia nihil aliud ſit, quàm congregatio ſeu conventus eorum, quos Deus ex hoc mundo evocavit, ut in *luce* ejus & *vitâ* ambulent. Eccleſia igitur ſic definita conſideranda eſt, Primò, ſicut comprehendit eos omnes & ſingulos, qui ſic verè à Deo vocati ſunt, & eos, qui adhuc in inferiore hoc orbe verſantur, & eos, qui depoſito terreſtri hoc tabernaculo ad cæleſtia domicilia tranſiere, qui ſimul unam catholicam eccleſiam (de qua tanta ſit controverſia) conſtituunt, extra quam eccleſiam libenter fatemur nullam dari ſalutem, quia intra hanc eccleſiam & ſub denominatione ejus omnes comprehenduntur, cujuscunque nationis, generis, linguæ vel familiæ ſint (licet externè remoti, & peregrini iis, qui Chriſtum profitentur & Chriſtianitatem verbis, & Scripturarum beneficio fruuntur) qui obſequuntur divino lumini & Dei teſtimonio in cordibus ſuis, ita ut per illud ſanctificentur & à malo abluantur. Hic enim eſt univerſalis ſeu catholicus Spiritus, quo multi vocantur ab omnibus quatuor orbis angulis, & ſedebunt cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo; & hoc modo ſecreta vita & virtus Jeſu ad multos etiam remotos fluit, ſicut ſanguis, qui per venas & arterias corporis naturalis transmittitur, à capite & corde ad extremas partes. Poſſint igitur hujus catholicæ eccleſiæ membra eſſe & inter gentiles, & Turcas & Judæos, & ex omnibus Chriſtianorum ſectis, homines ſcilicet bonæ integritatis & ſimplicitatis cordis, &, licet in quibus-

dam intellectu occæcati, & fortasse superstitionibus & formalitatibus sectarum earum, quibus involvuntur, gravati, existentes tamen justi cordibus suis in conspectu Domini, & potissimum studentes & laborantes à peccato liberari, & justitiam sequi amantes, ii (inquam) arcanis divinæ hujus lucis contactibus à Deo vivificantur, & sic illi secretò conjuncti, & catholicæ ejus ecclesiæ membra facti: ecclesia autem hoc respectu omni seculo & ætate fuit, nunquam enim carebat Deus quibusdam testibus, quamvis crebrò despicati, & à mundo haudquaquam observati fuerint. Itaque ecclesia hæc, quanquam semper extabat, sæpè quasi invisibilis fuit, quòd hujus seculi hominum observationibus non obvia fuerit, dispersa quippè, ut ait Scriptura, Jer. 3: 14. *unum ex civitate & binos ex familiâ.* Et licet ecclesia hoc respectu ab impiis abscondi possit, quòd non in visibilem aliquam externè conjunctam societatem congregata, imò & à quibusdam ipsius membris non satis observata sit; non pauci tamen ad eam pertinere possunt; ita fuit, quando conquestus est Elias se unicum relictum fuisse, 1 Reg. 19: 18. Cui respondit Deus, *reliquos autem feci ex Israele septies mille, quorum omnia genua non curvaverunt Bahali,* & hinc etiam arguit Apostolus Rom. 11. *fuisse suo tempore residuum.*

III. Secundò, consideranda est ecclesia, prout significat certum fidelium numerum, vel fideles quosdam, Dei Spiritu & quorundam ejus ministrorum testimonio congregatos, quos ipse eo fine suscitavit, in fidem verorum principiorum & doctrinarum fidei Christianæ adductos, quorum corda eodem amore unita, & intellectus eâdem veritate illuminati congregantur & simul conveniunt, ut Deo attendant, illumque adorent, & unanimiter pro illo testimonium perhibeant contra errorem, ejusque causâ libenter persecutionem patiantur; & hac societate, quasi unâ familiâ, conjuncti & facti, alii alios docent, instruunt & pro animis suis invicem vigilant, secundum uniuscujusque mensuram & gratiam: tales fuerunt primitivorum temporum ecclesiæ ab Apostolis congregatæ, quarum meminere sacræ literæ. Quod autem ad *ecclesiæ visibilitatem* attinet, hoc respectu magna fuit interruptio â diebus Apostolorum ob apostasiam, ut postea patebit.

IV. Idcirco, ut sit aliquis membrum ecclesiæ catholicæ, necessaria est interna vocatio Dei lumine suo in corde, & ut cor fermentetur natura & Spiritu hujus, ita ut injustitiam deserat, & ad justitiam convertatur, & ut interiore animæ parte excisus sit homo, ex oleastro naturali & corrupto suæ naturæ, & in Christum inseratur verbo & Spiritu ejus interno; & hoc

fieri

fieri poteſt in iis, qui hiſtoriæ ignari ſunt (cùm non placuerit Deo illos ejus participes facere) ſicut theſi quinta & ſexta hactenus probatum eſt.

Ut autem aliquis ſit membrum particularis alicujus Chriſtianæ eccleſiæ, ſicut internum hoc opus omninò neceſſarium eſt, ſic etiam eſt externa profeſſio, & fides in Jeſum Chriſtum, & ſacras eas veritates Spiritu ſuo Scripturis traditas, cùm internum Lumen, & Spiritus teſtimonium naturaliter inclinabit & coget ſibi ſubjectos & obſequentes ad aſſentiendum & credendum veritatibus in Scriptura traditis: nam teſtimonium Spiritûs in Scripturis declaratum reſpondet teſtimonio ejus Spiritus in corde, ceu facies faciei in ſpeculo. Ex dictis ſequitur, internum ſanctitatis opus, & iniquitatis depoſitionem omni reſpectu neceſſariam eſſe, ut ſit aliquis membrum eccleſiæ Chriſti; externam autem profeſſionem neceſſariam eſſe, ut ſit aliquis membrum eccleſiæ particularis congregatæ, licet non catholicæ eccleſiæ; omninò tamen neceſſaria eſt, ubi dat Deus opportunitatem cognoſcendi eam: & externum teſtimonium credendum eſt, ubi revelatur & exhibetur, quorum ſumma hactenus probata fuit.

V. Sed contra hæc diabolus, qui operatur & operatus eſt in myſterio iniquitatis, docuit ſequaces ſuos affirmare, neminem, utut ſanctum, membrum eccleſiæ Chriſti eſſe ſine externâ profeſſione, & niſi quibuſdam externis ceremoniis initiatus ſit. Et rurſus, quod, qui externam hanc profeſſionem habent, licet intus impii & irregenerati, poſſint membra eſſe veræ Chriſti eccleſiæ, & tales haberi debeant. Hoc revera eſt lucem pro tenebris, & tenebras pro luce ponere, perindè ac ſi Deus magis reſpiceret verba, quàm opera; aut quaſi magis accepta ei eſſet vana hominum profeſſio, quàm realis ſanctitas: ſed hæc ſatis ſuprà refutavi. Hinc tamen obſervatur, quod ſuper falſum hoc & fœtidum fundamentum ædificaverit Antichriſtus Babylonicam ſuam ſtructuram, & eccleſia Antichriſtiana apoſtaſiæ tempore ſe hoc modo ad ſplendorem illum & ſummitatem, quam adepta eſt, evexerit, ita ut exaltaverit ſe ſupra omne, quod dicitur Deus, ac ſederit in templo Dei, quaſi Deus.

Particulares enim illæ eccleſiæ, Apoſtolorum tempore congregatæ, paulò poſt incipientes degenerare quoad internam illam vitam & virtutem Chriſtianæ religionis, multis erroribus obduci cœperunt, & corda profeſſorum fermentari veteri ſpiritu & converſatione hujus mundi. Placuit tamen Deo, per aliquot ſecula, vitam illam in multis præſervare, quos zelo ſuſtinuit pro nomine ejus ſtare per decem perſecutiones. Sed his peractis manſuetudo, benignitas, charitas, longanimitas, bonitas &

temperantia Christianitatis cœpit amitti. Postquam enim Principes tertæ professionem illam assumpsere, & Christianitas cessavit contumeliæ causa esse, sed potius fuit mundanæ acquisitionis occasio, facti sunt homines Christiani nativitate & educatione, non conversione, & renovatione Spiritûs; tunc nemo adeò vilis, nec adeò impius, nec profanus fuit, qui non ecclesiæ membrum evaserit. Ejus doctores & Pastores Principum & Regum socii facti, eorum benevolentiâ magnos proventus & thesauros acquirentes, vanâ pompâ & gloriâ hujus mundi inflati, & quasi inebriati evaserunt, ideoque diviserunt se in multiplices ordines & gradus, non sine multis contentionibus & altercationibus de præcedentiâ. Sic igitur virtus, vita, vis, & substantia Christianæ religionis evanuit, & nihil nisi umbra & imago remansit; quæ (ut melius adaptaretur superstitiosæ Paganorum multitudini, professionem Christianam assumenti, non internâ aliquâ conversione cordium, vel minùs iniqui & superstitioli evadendo, sed parvâ solum mutatione in objecto superstitionis) mortua, inquam, hæc imago & Christianitatis cadaver, carens interno ornamento & vitâ Spiritus, depictum fuit & adornatum innumeris externis & visibilibus ordinibus, & decoratum auro, argento, gemmis, cæterisque istis splendidis hujus perituri orbis ornamentis; non tamen magis existimanda erat vera religio Christiana & ecclesia, quamvis externam professionem habebat, quàm corpus hominis demortuum dicendum est vivus homo, quod, utcunque artificiosè aromatibus conditum, aut auro, argentove, vel pretiosissimis gemmis ornatum, semper corpus mortuum remanet, absque sensu, vitâ aut motu. Apostatica enim illa Romana ecclesia non minores ceremonias & superstitiones in Christianam professionem introduxit, quàm antea inter ethnicos, vel Judæos fuere; & quod doctores & præcipui ejus Pontifices quodlibet hominum vel religionum genus, superbiâ, avaritia, luxuria, impura libidine, & adulteriis, profanitate & atheia non tantùm æquaverint, sed & superârint, nemini dubium esse potest, qui proprios ejus authores, Platinam scilicet & alios, legerit. Licet autem in quibusdam absurdioribus dogmatibus ab eâ se separârint Protestantes, dolendum tamen est, quòd in plerisque, de ecclesia & ministerio, gravibus doctrinis ramos tantùm amputaverint; sed eandem radicem retinent & defendunt, ex qua abusus isti processere, ita ut etiam inter eos, licet integra illa massa superstitionum, ordinum & ceremoniarum non reservetur, tamen eadem superbia, avaritia & sensualitas inveniatur ecclesias eorum & ministerium cæmentasse;

taſſe; vita, vis, ac virtus veræ religionis inter eos multum periit, eademque, ut plurimum, quæ in eccleſiâ Romanâ, mors, ſterilitas, ſiccitas, & acarpia in miniſterio eorum reperitur, ita ut reipſa ſolum à Pontificiis formâ & ceremoniis quibusdam differre videantur, cùm æquè ac illa abſceſſerint à vitâ & virtute veræ primitivæ eccleſiæ & paſtorum ejus, ita ut de utraque & Pontificia & Proteſtante (ut plurimum) dici poſſit (absque charitatis læſione) quòd ſolummodo habeant ſpeciem pietatis, (plerique autem & illâ carent) virtutem autem ejus non tantum abnegantes, ſed inimici. Et hoc non ſolùm eo ſit, quod ſuis doctrinis infideles ſunt, & ſic degenerarunt (quod etiam verum eſt) ſed quod pejus eſt, quia ſibimet poſuerunt quædam dogmata, iisque adhærent, è quibus naturaliter quaſi ex malignâ radice amari iſti fructus proveniunt: quæ dogmata poſtea diſcutientur, ſicuti oppoſitæ veritatis poſitiones theſi incluſæ explanandæ & propugnandæ veniunt. Nam quod ad naturam & conſtitutionem eccleſiæ (omiſſis, de conſtante ejus viſibilitate, infallibilitate, & Romanæ eccleſiæ primatu, diſputationibus) Proteſtantes nec doctrinâ, nec praxi à Pontificiis differunt, nam intra eorum eccleſiæ limites integras nationes comprehendunt, & infantes aſperſione aquæ membra efficiunt, ita ut nemo adeò nequam ſit aut profanus, qui non ſit membrum eccleſiæ; ſanè inviſantur nationes Proteſtantes, & nihil in vitâ generalium populorum apparebit à Pontificiis diſcriminis, ſed is, qui in filiis inobedientiæ regnat, utrisque dominatur, ita ut hoc defectu reformatio ſolum ſit in notione, minores errores tenendo, non autem in cordis reformatione, quâ præſertim poſita eſt Chriſtianitatis vita.

VI. Sed errores de miniſtris & paſtoribus, quos retinent Proteſtantes, præcipuè cauſa lamentandi ſunt, quibus potiſſimum vitam & virtutem Chriſtianitatis à ſemet excludunt, in ſterilitate & ſiccitate permanentes: nihil enim magis perniciosum eſt, quàm errores hujus generis; nam cùm falſi & corrupti miniſtri ingrediantur, ſecum omnia alia mala inducunt, ſecundum illud Scripturæ adagium, *ut ſacerdos, ita populus.* Hi enim non vitam & juſtitiam, ſed mortem potius & iniquitatem miniſtrabunt. Omnes ferè Judææ congregationis defectus huic adſcribuntur. *Et ductores populi hujus errare eos faciunt.* Talibus querimoniis abundant Prophetarum ſcripta; & hujus cauſa ſcriptis Evangeliſtarum & Apoſtolorum adeo frequenter hortatur nos Scriptura, *cavere à falſis Doctoribus & Prophetis &c.* Quid igitur ſentiendum eſt, ubi omnia ad hæc pertinentia in confuſione ſunt, ubi & fundamentum, & vocatio, & qualificationes

& sustentatio ac integra disciplina diversa, & planè opposita est primitivæ ecclesiæ ministerio, imò necessariò tendit ad spirituale ministerium excludendum, & carnale inducendum ac stabiliendum.

VII. Quod primum hoc loco inquirendum videtur, est de *vocatione Pastoris*, seu Doctoris in ecclesiâ Christi. *Respondemus*, internâ vi & virtute Spiritus Dei in corde suo instructus esse debet; nam, ut ait thesis, cùm vera cognitio in rebus Spiritualibus hoc dono & gratiâ recipiatur, qui eodem purificatur & sanctificatur, eo tandem vocatur, & aliis ministrare movetur, & capax factus est aliis annunciare, quæ reali experientia ipse sensit, & verus testis est, & *sciens timorem Domini hominibus suadere potest*, 2 Cor. 5: 11. & verba atque ministerium ejus, procedentia ab interna vi & virtute, auditorum corda penetrant, & approbationem eorum & subjectionem obtinent. Necessariò fatentur adversarii hoc desiderandum esse, & optimum, sed nolunt necessarium. Primò, ejus necessitatem probabo; exindè errorem eorum, qui, hoc prætermisso, alia necessaria constituunt, ostendam.

Primò, Quod necessarium est ad faciendum aliquem Christianum, sine quo quippè Christianus esse nequeat, id multò magis necessarium est ad constituendum illum Christianitatis ministrum, cùm hic sit gradus altero superior, quo prior includitur, non secùs, quàm qui dicit magistrum, supponit jam talem cognitionem & capacitatem discipuli obtinuisse. Qui non Christiani sunt, non possunt esse ministri inter Christianos, sed interna hæc vocatio, vis & virtus Dei Spiritûs necessaria est ad faciendum hominem Christianum, sicut antea thesi secundâ abundè probavimus secundum eas Scripturas, *Qui non habet Spiritum Christi, hic non est ejus. Quicunque Spiritu Dei aguntur, filii Dei sunt.* Ergo hæc vocatio, & motus Spiritûs multò magis necessarius est ad ministrum constituendum. Secundò, omnes novi testamenti ministri debent esse *ministri Spiritus, & non literæ*, secundum illud 2 Cor. 3: 6. & ut vetus interpres habet, *non literâ, sed Spiritu.* Sed quomodo potest aliquis Spiritûs minister esse, qui intus Spiritu non vocatur, quique operationem & testimonium Spiritûs vocationi suæ essentialia non judicat; ut minimè potuerit literæ esse minister, qui indè vocationis suæ causam non haberet, ita neque potest Spiritûs esse minister, qui ei peregrinus & motionum ejus ignarus est, neque novit se ab illo agi & moveri, & Spiritum illum in opere ministerii præcedere. Libenter cognoscerem, quomodo ii, qui fiunt Evangelii (ut opinantur) ministri vocatione merâ externâ, nullo modo sensibiles operis Spiritûs vel internæ vocationis, quomodo

[in-

inquam] vel ipsis vel aliis satisfacere possint, quòd sint ministri Spiritûs, & quomodo à ministris literæ differant.

Tertiò, si testimonium Spiritûs non esset essentiale atque necessarium ministro, tunc ministerium Evangelii non solùm non esset præferendum ministerio legis, sed pluribus rationibus longè postponendum: nam sub Lege certa erat tribus ad ministerium assignata, & ex tribu illâ quædam familiæ in sacerdotium separatæ immediato Dei præcepto Mosi tradito, & sic nullum relictum fuit populo dubium, quinam forent sacerdotes & rerum sacrarum ministri: imò & præter hos Deus frequenter immediato Spiritûs sui testimonio nonnullos vocavit ad redarguendum & instruendum populum, videlicet Samuelem, Nathan, Eliam, Elisa, Jeremiah, Amos & plures alios: sed nunc sub novo fœdere, ubi ministerium magis spirituale, via certior, aditus facilior esse debet, adversarii, hujus internæ & spiritualis vocationis necessitatem negantes, contrarium planè declarant; cùm enim nulla nunc certa familia aut tribus sit, cui ministerium assignatur, in incerto positi sumus, & pastores absque omni divinæ voluntatis certo assensu habere oportet, cùm nec internam, nec externam regulam hac in re habeamus; quòd enim Scriptura in hoc negotio nihil certi determinet, hactenus thesi tertiâ de Scripturis ostendimus.

Quartò, declarat eos omnes Christus *fures & latrones esse, qui per ostium in ovile non intrant, sed aliquo alio modo, quos audire non debent oves*, sed qui intrant absque vocatione & motu Spiritus Christi, quo ducit suos in omnibus, certè non per Christum, qui ostium est, intrant, sed aliquo alio modo, ideoque veri pastores non sunt.

VIII. His omnibus *objiciunt* successionem ecclesiæ; dicentes, quòd, cùm Christus Apostolis & discipulis suis vocationem dederit, illi hanc vocationem successoribus suis transmiserint, qui habent potestatem ordinandi pastores & doctores, quâ potestate authoritas ordinandi & constituendi ministros & pastores successivè ad nos transmittitur, ita ut, qui ordinantur & vocantur à Pastoribus ecclesiæ, veri & justi ministri sint, & alii, qui non ita vocantur, intrusores habendi sint. Huic etiam quidam Protestantes addunt necessitatem, licet non quasi aliquid essentiale, quod, præter hanc ecclesiæ vocationem, unusquisque vocatus habere debeat internam Spiritûs vocationem, illum ad opus inclinantem, sed hoc volunt esse per operationem solùm subjectivam, non objectivam, de quo suprà. *Resp.* Quod ad illud, quod subjun-

jun-

jungitur de interna Spiritus vocatione, cum non eſſentiale veræ vocationi judicent, ſed tantummodo quid quaſi ſupererogatorium, indè patet, quam leviter id tranſeunt, cùm, quos ad miniſterium admittunt, in examinationibus, num hanc habeant nec ne, non interrogent. Et, quia hujus ſæpè mentio facta ſit, præſertim à primitivis Proteſtantibus in ſuis hac de re tractatibus, indè ſaltem patet, quantum ſecretò conſcientiis convicti erant, hanc internam Spiritus vocationem fuiſſe perexcellentem, cæterisque omnibus præponendam; ideoque in nobilioribus & heroicis reformationis actis hanc ſibi vendicabant, ita ut nonnulli primitivorum Proteſtantium non dubitarent rejicere & reſpuere hanc externam vocationem, cùm eam contra illos urgerent Pontificii. Nunc autem Proteſtantes, Spiritus teſtimonium deſerentes, eandem urgent ſucceſſionem, &, cùm ab iis premuntur, quos hodiè Deus ſuſcitat reformare multos iſtos, qui inter eos inveniuntur, abuſus, urgentes exemplum patrum eorum, nunc non erubeſcunt omninò negare patres ſuos vocatos fuiſſe internâ & immediatâ vocatione Spiritus, eam vocationem vendicantes, quam ajunt patres ſuos habuiſſe, ut erant eccleſiæ Romanæ cleri: Hoc enim affirmat Nicolaus Arnoldus in libello, quem contra has ipſas theſes ſcripſit, quem *Exercitationem Theologicam* vocat. ſect. 40. affirmans, *eos actum Spiritus ſancti immediatum non prætendiſſe, ſed vi vocationis ordinariæ, quàm habebant in eccleſia, qualis tunc erat, reformaſſe, &c.*

Quis S. Theolog. Doctor. & Profeſſorem Franequeræ ſe prædicat

IX. Multa ſibi abſurda imponunt Proteſtantes, dum miniſterium ſuum hoc modo ab eccleſiâ Romanâ derivant. Primò enim oportet fateantur, eam eſſe veram eccleſiam Chriſti, licet quibuſdam erroribus maculatam, quo patribus contradicunt, qui eam frequenter & verè Antichriſtum nuncupabant. Secundò, oportet fateantur, ſacerdotes & epiſcopos Romanæ eccleſiæ fuiſſe veros miniſtros & paſtores eccleſiæ Chriſti quoad eſſentialem partem, alioquin non potuiſſent eſſe ſubjecta apta, in quibus vis illa, & authoritas reſideret, neque aliter capaces fuiſſent vel recipiendi illam poteſtatem, vel ad ſucceſſores tranſmittendi. Tertiò, ſequeretur, ſacerdotes & epiſcopos Romanæ eccleſiæ adhuc realiter eſſe veros paſtores & doctores; ſi enim paſtores Proteſtantes nihil authoritatis habeant, niſi quam ab iis receperant, & cùm eccleſia Romana eadem ſit, quæ eo tempore fuit, doctrinâ & moribus, & eandem, quam tunc habebat, adhuc habeat authoritatem, & ſi poteſtas in ſucceſſione jaceat, tunc ii ſacerdotes Romanæ eccleſiæ hodiè, qui derivant ordinationem ſuam ab iis epiſcopis, qui primitivos reformatores ordinârunt, eandem authoritatem habent,

bent, quam reformatorum ſucceſſores & conſequenter non minùs miniſtri eccleſiæ quam ipſi ſunt. Sed quomodo hoc concordabit cum illa opinione, quam primitivi Proteſtantes habebant in Romanorum ſacerdotum & clericorum cauſâ, de quibus non ſolùm negavit Lutherus, quòd quicquam authoritatis haberent, ſed è contrà affirmavit, eos impiè agere, quòd ſibi ſolis hanc authoritatem docendi, &c. aſſumpſerant. Ipſe enim dixit, *unumquemque bonum Chriſtianum (non ſolum virum ſed & mulierem) prædicatorem eſſe.*

X. Sed contra inanem hanc ſucceſſionem, ſicuti vel Proteſtantes vel Pontificii eam vendicant, quaſi ad vocationem miniſtri quid neceſſarium, *Reſpondeo*, quod illinc ſatis declarant ignorantiam ſuam de naturâ Chriſtianitatis, & quàm peregrini ſint vitæ & efficaciæ Chriſtiani miniſterii, quod ſucceſſione non acquiritur, ſicut externa hæreditas: hîc enim, ut ſæpius antè obſervatum eſt, non ſolum Evangelium nihilo lege præſtantius faciunt, ſed etiam multò vilius; Jeſus enim Chriſtus ſicut ſingularem aliquam familiam aut nationem minimè reſpicit in vocatione filiorum ſuorum, ſed tantùm eos, qui inveniuntur ſemini ſuo puro juncti atque fermentati, ita nec meram externam ſucceſſionem, ubi pura ejus & immaculata vita deeſt; hoc enim idem eſſet. Non ideo gentes novi fœderis participes catho[illegible], ut prioribus Judaicis erroribus imbui pateretur, vel ut eos in iſtis erroribus approbaret, ſed ut ſibi congregaret populum purum; hic autem magnus erat Judæorum error, quod ſe Dei populum & eccleſiam exiſtimabant, quoniam externam ſucceſſionem ab Abrahamo deducere poterant, undè ſe filios Dei putabant, quia Abrahæ ſemen erant, qui pater fuit fidelium, ſed quàm ſeverè arguit Scriptura nugatorium hunc & vanum prætextum, dicens, *poſſe Deum ex lapidibus filios Abrahamo ſuſcitare*, & quod non ſemen externum, ſed qui inveniuntur in fide Abrahæ, veri filii ſint fidelis Abrahæ. Multò minùs igitur talis prætextus inter Chriſtianos valere poteſt, cùm omnem talem externam affinitatem rejiciat Chriſtus; *hîc, ait, mater mea, fratres & ſorores meæ ſunt, qui fecerint voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt:* Et rurſus: *hi fratres mei ſunt, qui fecerint voluntatem Dei.* Qui igitur non ſervant mandata Chriſti, qui juſtitiâ ejus non ſunt induti, diſcipuli ejus non ſunt: & quod aliquis ipſe non habet, communicare alteri non poteſt; & manifeſtum eſt, nullum hominem, nec eccleſiam, licet revera à Deo vocatam, diutius retinere authoritatem illam, quàm vitam, virtutem & juſtitiam Chriſtianitatis retinent; forma enim ſequitur virtutem & ſubſtantiam, non

Matth. 12:48. *Marc.* 3 33, 34.

autem ſubſtantia formam. Cùm igitur homo intus in corde ſuo deſinit eſſe Chriſtianus (ibi enim Chriſtianitas poſita eſt) revertendo ad ſatanam, & reprobatus evadendo, non diutius Chriſtianus eſt, licet formam & nomen retineat; non magis quàm homo mortuus homo eſt, licet hominis imaginem & ſpeciem retineat, vel ſtatua aut figura hominis eſt homo; & quamvis ex ſtatuâ aut figurâ pictor repræſentationem quandam, licet perfectam, hominis aliquando viventis pingere poſſit, & ſic ex unâ picturâ altera pingi poſſit, hæc omnia tamen hominem verè vivum facere non poſſunt, neque iſtis modis vita & Spiritus hominis transmitti poteſt, Deus ſolùm, qui primò hominem fecit, eum rurſus vivificare poteſt; ſicut igitur mors talem interruptionem externæ naturalis ſucceſſionis facit, qualem nulla ars nec forma externa reparare poteſt; & ſicut homines mortui, poſtquam mortui ſunt, ſucceſſionem nullam transmittere poſſunt, neque poſſunt mortuorum hominum imagines vivos homines efficere, & vivi ſolummodo ſibi invicem ſuccedere poſſunt, & qui moriuntur, quam primum moriuntur, ſuccedere deſinunt, vel ſucceſſionem transmittere; ſic etiam eſt in rebus ſpiritualibus, eſt vita Chriſtianitatis, prout in corde locum accipit, quæ Chriſtianum facit, & ſic plures Chriſtiani vivi, in vitâ Chriſtianitatis uniti, catholicam Chriſtianam eccleſiam conſtituunt: ubi igitur hæc vita deſinit in aliquo, ibi is deſinit Chriſtianus, & omnem virtutem, vim & authoritatem, quam habebat ut Chriſtianus, amittit; ita ut, ſi antea miniſter aut prædicator fuerit, deſinat amplius talis eſſe; & licet formam retineat, & authoritatem verbis vendicet; illud tamen non magis valet, aut plus veræ virtutis & authoritatis habet, quam mera imago hominis mortui: & ſicut hoc rationi maximè conſentaneum eſt, ſic etiam ſcripturarum teſtimonio, nam de Judâ dicitur, Act. 1:25. *prolapſum fuiſſe Iudam à miniſterio ſuo.* Peccatum ejus igitur detruſit illum à munere apoſtolico; ſi autem Apoſtolatus perſonæ ejus ita annexus fuiſſet, ut peccato amitti non potuiſſet, donec formaliter ab eccleſiâ degradatus fuiſſet (quod Judas, dum viveret, non erat) Judas fuiſſet non minus Apoſtolus, poſtquam tradiderit Chriſtum, quàm antea: & ſicut de uno, ſic & de pluribus, imò de totâ eccleſia ratio ſe habet; nam ſicut nihil eſt, quòd aliquem Chriſtianum facit, niſi vita Chriſtianitatis intus in corde regnans, ita nihil conſtituit eccleſiam, niſi plurimorum Chriſtianorum in unum corpus congregatio. Ubi autem omnia iſta membra vitam amittunt, ibi eccleſia deſinit eſſe, licet formam & nomen diutius retineant; ceſſante enim illo, quo eccleſia

fie-

ſiebant, & cujus cauſâ eccleſia erant, tunc & illi etiam eccleſia eſſe deſinunt: itaque Spiritus ad eccleſiam Laodicenſem de tepiditate ejus loquens, Apoc. 3: 16. minatur *evomere illam ex ore ſuo.* Fac nunc, quod eccleſia Laodicenſis in iſta tepiditate permanſiſſet, & ſic condemnationem & judicium iſtud ſubiiſſet, licet retinuiſſet nomen & formam eccleſiæ, & paſtores & miniſtros ſuos habuiſſet, ut (procul dubio) eo tempore habebat, certè tamen non fuiſſet vera eccleſia, neque authoritas paſtorum & doctorum ejus reſpicienda fuiſſet ob externam aliquam ſucceſſionem, quam fortaſſe ab ipſis Apoſtolis derivabant. Ex quibus omnibus infero, cùm authoritas Chriſtianæ eccleſiæ & paſtorum ejus ſemper uniatur & nunquam ſeparetur ab internâ vi, virtute & juſtâ vitâ Chriſtianitatis, quòd ceſſante hac, illa quoque ceſſat. Sed adverſarii fatentur, complures, ſi non omnes, per quos hanc authoritatem derivant, fuiſſe omninò inanes hujus vitæ & virtutis Chriſtianitatis. Non potuerunt igitur nec recipere, nec habere, nec transmittere talem Chriſtianam authoritatem. Sed ſi *objiciatur*, quòd, licet plerique, vel pars maxima Epiſcoporum & Presbyterorum Romanorum, apoſtaſiæ tempore, fuerint impii, Proteſtantes tamen affirmant, & tu ipſe videris fateri, fuiſſe inter eos viros bonos, quos reſpiciebat Deus, & qui membra fuerunt veræ catholicæ eccleſiæ: annon igitur illi potuiſſent hanc authoritatem transmittere? *Reſpondeo*: Hoc nihil urget, quoniam Proteſtantes minimè vocationem ſuam juſtam volunt eo reſpectu, quaſi ab illis deducta fuerit linea aliqua directa talium piorum hominum, quam reverà oſtendere nunquam poſſunt, neque hoc igitur vendicant, ſed ſucceſſionem hanc ponunt generaliter in paſtoribus eccleſiæ apoſtaticæ; neque igitur volunt vocationem ſuam eſſe bonam & validam, quia derivant eam per lineam aliquam virorum bonorum, â cæteris Romanæ eccleſiæ Epiſcopis obſervabiliter diſtinctorum, ſed derivant eam, ut authoritas eſt in omnibus reſidens; hæreſin enim putant affirmare, qualitatem ſive conditionem adminiſtratoris opus ullo modo invalidum reddere.

Vana hæc & falſa ſucceſſio non tantùm militat contra manifeſtum conſilium & inſtitutum Chriſti, in vocando & congregando ſibi eccleſiam, ſed (ut ita loquar) magis cæcum illum & minus prudentem efficit, quam homines naturales ſunt in transmittendo, & ſtabiliendo externas ſuas hæreditates: ubi enim hæreditas aliqua relinquitur cuidam nomini & familiæ, quando familia illa extinguitur, & non invenitur ſucceſſor legalis, qui juſtum titulum demonſtrare poteſt, nempe quòd ex conſanguinitate & affi-

nitate familiæ sit, non licet cuilibet alius affinitatis & consanguinitatis, qui hujus familiæ nomen vel insignia usurpat, hæreditatem possidere & superioritates ac privilegia familiæ sibi assumere, sed jure gentium hæreditas in Principē, ut ultimum hæredem, devolvitur, qui eam rursus immediatè dat, cui voluerit, illisque familiæ nomen imponit & insigniis adornat, qui hunc Privilegiis familiæ titulum habent. Sic etiam verus titulus & jus Christiani, quo in cælestem hæreditatem jus habet, & membrum est Jesu Christi, interna justitia & sanctitas est, & animus à vanitatibus, cupiditatibus & iniquitatibus hujus mundi redemptus, & talium membrorum conventus seu congregatio ecclesiam constituit, ubi hoc amittitur, jus etiam amittitur, & sic verum semen, cui promissio est, & jus hæreditatis, in iis extinguitur, & illi ei mortui sunt, sicque recedit, & devolvit se in Christum, qui justus vitæ hæres est, & ille titulum & jus rursus immediatè tribuit, quibus libet, qui, ad puram ejus in conscientiis suis lucem conversi, denuò ambulare incipiunt in justâ & innocente vitâ ipsius, & sic vera fiunt membra corporis ejus, quod ecclesia est. Sic authoritas, virtus, & hæreditas non personis annexa est, prout nomen & formam præ se ferunt, meram umbram & corticem Christianitatis retinentes: Sed promissio est Christo, & semini, in quo inhæret authoritas, & quotquot cum eo inveniuntur uniti puritate, sanctitate vitæ, internâ renovatione & regeneratione spirituum suorum.

Præterea, falsa hæc successio pugnat cum naturâ ecclesiæ, & Scripturæ, ejus, & membrorum definitione. *Ecclesia enim est domus Dei, columna & firmamentum veritatis*, 1 Tim. 3: 15. Sed secundum hanc doctrinam domus Dei nidus pollutus esse potest, omnis generis iniquitatis & omnigenarum abominationum, ex lapidibus maximè impolitis, perversis & pollutis, qui in orbe sunt, ubi regnat diabolus in omnigenâ injustitiâ: nam fatentur adversarii, & historia declarat, Romanam ecclesiam sic fuisse, sicut quidam ipsorum historiographorum agnoscunt; & si hæc verè domus Dei sit, quam vocabimus domum Satanæ? vel an ideo vocabimus eam domum Dei, non obstante omni hac impietate, quia meram formam eamque multùm vitiatam habebant, & quia nomen sibi Christianum vendicabant, licet ipsi antichristiani, diabolici & atheistici erant in communi praxi & spiritu, & in compluribus eorum dogmatibus? Hoc nonne erit absurdissimum, quasi æstimandi essent propter hypocrisin & dolum, cum Scriptura hoc reatûs accumulationem judicet, & blasphemiam nominet? Apoc. 2: 9. E duobus impiis ille magis execrandus est, qui

qui impietatem suam vano Dei & justitiæ prætextu obtendit; sic etiam horrenda ista monstra, qui se Episcopos prædicabant in ecclesiâ apostaticâ, num ideo meliores erant, quod falso concionabantur se successores sanctorum Apostolorum, nisi mendacium aliquem commendet, & hypocrisis sit ad cœlum aditus. Nonne hoc erit in malum istud, inter Judæos condemnatum, incidere? Jer. 7:4. *Ne habetote fiduciam vestram in rebus falsis, dicendo templi Iehovæ, templi Iehovæ, templi Iehovæ ista sunt, sed omnino bonas efficite vias vestras, &c.* quasi externa nomina, & id genus alia, respiceret Dominus, & non internam sanctitatem; vel possit illud esse columna & firmamentum veritatis, quod impietatis sentina & latrina est, à quâ tot errores, superstitiones, & idololatria, omnisque abominatio oritur; nunquid magis contrarium & Scripturæ & rationi esse potest? Secundò, *Ecclesia definitur esse regnum dilecti Dei Filii, in quod transferuntur sancti à potestate tenebrarum. Redempti vocantur corpus Christi, cujus ille caput est, ex quo totum corpus per nexus, compages, & conjunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei*, Col. 2: 19. Sed num possint talia membra, talis congregatio, qualem demonstravimus illam ecclesiam & ea membra esse, inter quæ volunt suppositam istam authoritatem præservatam fuisse, & per quam vocationem derivant, num talis, inquam, corpus Christi esse potest, vel membra ejus? aut Christus, num caput tam corrupti, mortui, fœtidi, putridi, abominandi cadaveris? Nisi possemus, invito Apostolo, dicere, 2 Cor 6: 14. *participationem justitiæ esse cum iniquitate, societatem luci esse ad tenebras, conventionem Christi ad Belial, & partem fideli cum infideli, & consensum templo Dei esse cum idolis.* Præterea, nemo dicitur templum Spiritûs sancti, nisi quando vas suum purificatum est, & sic ille præparatus & adaptatus est, in quo Deus habitet, & multi, hoc modo parati, fiunt corpus Christi, inter & in quibus habitat & ambulat, sicuti scriptum est, *inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Ut igitur ita fiamus templum Christi & populus Dei, Apostolus sequente versu hortatur, dicendo ex prophetâ, *propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos; & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.* Sed quo fine tota hæc exhortatio, & quare separabimus nos ab immundo, si mera externa professio, & nomen sufficiat ad constituendam veram ecclesiam, & si impuri & polluti & ecclesia

& legitimi ſucceſſores Apoſtolorum erant, eorum authoritatem hæreditantes, aliiſque tranſmittentes? imò quomodo poteſt eccleſia eſſe regnum Filii Dei, contradiſtinctum â regno & poteſtate tenebrarum, & quid opus, imò quomodo poſſibile eſt, ab hoc in illud transferri, ſi, qui regnum tenebrarum conſtituunt, realia membra ſint verę Chriſti eceleſiæ, & non communia membra ſolum, ſed & paſtores & doctores ejus? Sed quomodo creſcunt in augmentum Dei, & nutrimentum â capite trahunt, qui illi cordibus ſuis inimici ſunt, & per opera mala in perditionem abeunt? Certum, ſicut tales metaphyſicæ & ſubtiles ac commentæ & frivolę diſtinctiones (quaſi, licet quoad praxin & privatum ſuum ſtatum inimici Deo, & Satanæ ſervi erant, tamen virtute officii membra & miniſtri eccleſiæ erant, & ſic ſucceſſionem tranſmittendo capaces) Domino Deo minimè placebunt, neque iis deludi vult; neque glorioſum eſt eccleſiæ ſuæ corpus hypocriticis talibus externis ſpeciebus ædificare, neque picta talia ſepulchra corporis ſui membra eſſe patitur, ſed quod ſanum, purum & immaculatum eſt; ita corruptis iſtis membris non indiget ad ſupplendos defectus ejus; neque tales diſtinctiones ſatisfacient conſcientiis verè Chriſtianis, præſertim cùm Apoſtolus non ſolum velit, nos non ſequi, ſed diſertè præcipiat, eos devitare, *qui ſpeciem habent pietatis, ſed virtutem abnegant.* Optimè enim his objicere poſſumus, quod ruſticus ſuperbo Prælato, qui vanum & antichriſtianum ſuum apparatum defendere volebat, quoniam ſcilicet ſplendorem illum mundanum habuit, non quà Prælatus erat, ſed quatenus Princeps, ſapienter reſpondiſſe dicitur, Si Princeps in infernum abit, quid fiet de Prælato? Nam certè hoc modo ſupponeretur corpus Chriſti defectivum eſſe, & quod defectus iſtos, non realibus vivis membris, ſed fictitiis & mortuis ruderibus ſuppleat; ac ſi quis oculos, brachia vel crura amiſerit, & vitreos vel lignea ſupponat. Sed ita de Chriſto exiſtimare non poſſumus, neque credere poſſumus ob rationes ſuprà allatas, quòd vel nos debemus exiſtimare, vel Chriſtus exiſtimat, aliquos eo magis corporis ſui membra eſſe, quia, quanquam revera impii ſint, hypocriticè & doloſè ſibi nomen & prætextum Chriſti aſſumunt, quoniam doctrinæ ejus contrarium eſt, ubi diſertè ait, Joh. 15: 1, 2, 3, 4, 5, 6. &c. *ipſum eſſe vitem, diſcipulos autem palmites, quod, niſi maneant in illo, fructum edere non poſſint, quod, ſi infructiferi ſint, mittentur foràs ſicut palmites, & arreſcent.* Judico autem, excæcatos iſtos & aridos palmites non amplius vitis membra eſſe, neque diutius ſaporem aut nutrimentum à vite trahere poſſe, ideoque non

non amplius saporem aut vitam habere. Quid igitur habent authoritatis, undè superbiant aut glorientur, cùm vitâ illâ, virtute & nutrimento careant, à quo authoritas omnis provenit? Sic talia Christi membra, quæ ei mortua facta sunt per injustitiam, & ab eo non amplius vitam aut virtutem derivant, iniquitatibus ejecta sunt & siccata, nec ullam ampliùs veram authoritatem habent, & eorum jactitationes sunt reatus accumulatio hypocrisi & dolo. Sed præterea, nonne hoc modo foret Christi corpus mera umbra & phantasma? imò nonne illum facerent caput mortui & fætidi cadaveris, externam aliquam speciem, eamque falsam solùm habentis, sed intus fætore & putore pleni? & quale monstrum, hoc modo, facerent corpus Christi; dum caput vivax, purum, reale, immaculatum tiassignant, sed annexum mortuo corpori, qualia hactenus ea membra fuisse ostendimus, quæ dicunt fuisse ecclesiam Dei. Sed rursum membra ecclesiæ Christi hac definitione designantur, scilicet, *quòd sint sanctificata in Christo Iesu*, 1 Cor. 1: 2. At hæc successionis notio non solum quædam corrupta membra supponit, sed ferè omnia esse polluta, imò, apertos veneficos, & sathanæ ministros fuisse veros Apostolorum successores, in quibus residebat authoritas Apostolica, cùm ii sint vasa, per quæ successio hæc transmittitur, quorum plerique, ut omnes astruunt Protestantes, & quidam fatentur etiam Pontificii, istas ecclesiæ (sic dictæ) dignitates non solum iis mediis, quibus voluit Simon Magus ascendere, sed pejoribus, nempe veneficio, homicidio, traditionibus, pecuniis compararunt, quod ipse Platina fatetur * de nonnullis Romanorum Episcopis

XI. Sed qui hanc ecclesiæ Romanæ successionem non objiciunt, (quod tamen plerique Protestantium nunc agere incipiunt) hac in re distinguunt, dicentes, quod in magnâ apostasiâ, qualis erat illa ecclesiæ Romanæ, Deus suscitat quosdam modo singulari per Spiritum suum, qui, à testimonio Scripturarum errores eorum, qui Christiani nomen ferebant, observantes, instruere & docere eos possint, & postea populi consensu & acceptatione, qui eos sequuntur, authoritatem habent. Plerique etiam horum volunt operationem Spiritûs etiam hoc respectu esse subjectivam, & non objectivam. Sed ubi ecclesia reformata est, quales volunt Protestantes ecclesias suas esse, ibi ordinariam vocationem necessariam esse dicunt; vocationem autem Spiritûs, quasi extraordinariam, minimè esse expetendam; *affirmant* enim *quòd res aliter se habeat in ecclesiâ constituendâ quàm in ecclesiâ constitutâ. Respondeo*, Imbecillis hæc

* *In vita Benedicti 4. In vita Ioh. 16. In vita Silv. 3. Bonifacii octavi. In vita Steph. sexti. Iohan. octava etiam Onuphr. de hac Papa annot. simem versus.*

hæc objectio quoad nos nihil habet ponderis, quia nos accusamus, & parati sumus secundum Scripturas probare, Protestantes multorum errorum esse reos, non secus quàm illi accusant Pontificios; itaque justè, si velimus, eandem extraordinariam vocationem vendicare possemus, cùm eadem sit ratio, & eandem, quam illi habuerunt, evidentiam producere possimus. Quod autem ad illum sententiam, videlicet, rem aliter se habere in ecclesia constituenda quam in constituta, non nego, ideoque largior gratiæ & virtutis mensura requiritur, & Deus sapientia suâ, prout opus est, distribuit, sed quòd eadem immediata Spiritus revelatio, & virtus non sit necessaria in ecclesia congregata vel constitutâ, non minus quam in congreganda vel constituendâ, nihil adhuc solidi allatum observavi. Christus certè pollicitus est cum suis esse usque ad consummationem seculi; & eo indigent non minus ad præservandam & gubernandam ecclesiam & filios suos, quam ad congregandos & generandos eos. Hujus axiomatis veritatem natura gentes docuit, videlicet, *Non minoris virtus, quam quærere, parta tueri*; immediatâ enim hac & interna Spiritus operatione (quo pollicitus est Christus, quòd vellet ducere suos in omnibus & docere eos omnia) Christiani ducendi sunt in omnibus (& in principio & fine) quæ ad Dei gloriam & animarum earum salutem pertinent, sicut antea satis probavimus. Et certè hæc est diabolica inventio, quâ persuasit hominibus, ut immediatam Spiritus operationem, quasi quid extraordinarium & inusitatum respicerent, quod quidem Patres habuerunt, sed illi nunc nec expectare illam, nec attendere debent, quæ est crescentis apostasiæ non parva occasio in quamplurimis congregatis ecclesiis, & magna quidem causa est, quòd tàm aridum, mortuum, siccum & sterile ministerium, quò populi eâ sterilitate fermentantur, hodiè tantoperè abundat, & in nationibus etiam Protestantibus diffunditur, ita ut & prædicatio & cultus eorum, sicut & integra conversatio, à Pontificia vix discerni possit interno aliquo vivaci zelo, aut Spiritûs virtute eos comitante, sed merè differentiâ quarundam notionum, & ceremoniarum externarum.

Aliquando imprudentes quidam & incauti Protestantes nobis *objiciunt*, quod si immediatam vocationem vendicemus, eam miraculis confirmare debeamus. *Respondeo*, cùm hæc sit objectio sæpè primitivis Protestantibus à Pontificiis jactitata, sufficiet breviter eorum ad Pontificios responsionem repetere, videlicet, quòd, quia non novum Evangelium prædicamus, sed illud solum, quod hactenus miraculis Christi & Apostolorum

rum confirmatum eſt, igitur miraculis non ſit nobis opus, & nihil offerimus, niſi quod parati ſumus Scripturarum teſtimonio, quas veras agnoſcunt, confirmare. Et præterea, quòd Johannes Baptiſta & quidam Prophetæ nullum, quòd audimus, miraculum fecere, qui tamen immediatè & extraordinariè miſſi fuerunt. Hæc communis eſt Proteſtantium reſponſio, quam hoc loco meminiſſe ſufficiet, licet, ſi opus ſit, plus dicere poſſim, ſed brevitati ſtudeo.

XIII. Eſt & aliud Proteſtantium genus, videlicet Anglicani Independentes, qui, à Calviniſticis Presbyterianis differentes, hujusque ſucceſſionis neceſſitatem, vel nationalis alicujus eccleſiæ authoritatem denegantes, aliam viam ſumunt, affirmantes, quod, qui Scripturarum beneficium habent, ſi ſimul in doctrinis veritatis, quam ibi inveniunt, concordant inter ſe, eccleſiam conſtituere poſſint, ſine alicujus alius authoritate, & ſibi paſtorem eligere, qui, ab eccleſia ſic conſtituente & aſſentiente, authoritatem aſſumit, tantummodo concurſum, & quaſi benevolentiam proximorum paſtorum petentes, ſi tales ullæ eccleſiæ propè inveniantur, idque non tàm neceſſitatis cauſâ ad authorizandum, quàm ordinis gratiâ ad decorandum; imo eò procedunt etiam, ut perhibeant, quod in eccleſiâ ſic conſtitutâ *fratres donati* (ut ad id idioma Anglicanum orationem meam commodem) ſi ſe capaces ſentiant, inſtruere, exhortari, & in eccleſia [illegible]care poſſint, ſed, cùm non habeant officium paſtorale, nequeunt [illegible]ndum illos) quæ vocant ſacramenta adminiſtrare. *Reſpondeo*, aliquantulum hoc fuiſſe ex tenebris Babylonicis (procul dubio) commendandum progreſſum, & proceſſiſſe non dubito à ſenſu abuſus, qui in promiſcuis iſtis nationum congregationibus ortus eſt, quinimò prædicatio illa fratrum donatorum (ut vocantur) è ſenſibilibus quibusdam divini Spiritus influxibus provenit. Sed (proh dolor!) quia non proceſſerunt, hæc multum nunc inter eos obſoleta ſunt, & divini Spiritus motus hodiè non minus, quàm alii, rejicere & negare incipiunt. Sed quod attinet ad vocationem, quam à Scripturis accipere ſe prædicant, *Reſpondeo*: Scriptura meram verorum declarationem, nullam autem dat particularibus vocationem, ita ut, licet credam, quæ ibi lego, vera, erroreſque ibi condemnatos eſſe, negem tamen, quoad particulare meum officium, quicquam inveniri, ideoque Scriptura mihi nunquam reſolvere poſſit, num ſcilicet ego A. B. debeam miniſter eſſe. Ad hujus igitur dubitationis reſolutionem quod attinet, oportet recurram ad internum & immediatum Spiritus teſtimonium, ut in theſi de Scriptura fuſius declaratur.

Gifted Brethr. Anglic. vocant.

XIIII. Ex his igitur omnibus firmiter concludimus, quòd non ſolùm in generali quâdam apoſtaſiâ neceſſe ſit, homines extraordinariè vocari, & Spiritu Dei ſuſcitari, ſed etiam quando conventus ſeu eccleſiæ virtute Dei congregatæ ſunt, non ſolum ad verarum doctrinarum fidem, & errorum denegationem, ſed etiam ad vitam, Spiritum & virtutem Chriſtianitatis, ita ut ſint domus & corpus Chriſti, & apta ei ſponſa, ut, qui congregat eos, etiam præſervet illos conditione & ſtatu vivaci & virtuoſo agere, movere, & ſuſcitare inter illos interna & immediatâ Spiritus ſui operatione miniſtrôs, Paſtores & Doctores ad inſtruendum & docendum. Atque, qui hoc modo vocati ſunt, in fratrum ſuorum animis manifeſti fiunt, & vocatio eorum in illis verificatur, qui ſenſatione vitæ & virtutis illius, quæ per eos emanat, in ſanctiſſimâ fide quotidiè ædificantur, & apoſtolatus eorum ſigna fiunt, & hoc alteri ejusdem Apoſtoli dicto reſpondet, 2 Cor 13. 3. *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus, qui in vobis non infirmatur, ſed potens eſt in vobis*, hoc illud eſt, quod veram & ſubſtantialem miniſtro vocationem & titulum dat, quo realis eſt ſucceſſor virtutis, vis, & poteſtatis, quæ in Apoſtolis fuit, & non meri nominis; ac talibus miniſtris ordinationis ceremoniam, vel manuum impoſitionem minimè neceſſariam exiſtimamus, cujus uſum non videmus cùm & adverſarii, qui eâ utuntur, fateantur, virtutem & vim comm[illegible] candi Spiritum ſanctum inter eos ceſſaſſe. Nonne ſtultum igitur & [illegible] crum iis eſt, quaſi ſimiæ cacozeliâ, umbram imitari & fingere, ubi care[illegible] ſubſtantiâ? & poſſuntne eâ regulâ, ubi cæcos & claudos vident, imitandi Chriſtum & Apoſtolos præcipere iis, ut videant & ambulent? nonne ergo illi & Deum & homines irrident, manus ſuas imponendo & jubendo eos Spiritum recipere, cùm, quod videntur facere, impoſſibile factu credant, & cùm ceremoniam illam nullum realem habere effectum fateantur? Quum igitur hactenus de vocatione actum ſit, de qualitatibus & opere veri miniſtri nunc inquirendum reſtat.

XV. Quemadmodum poſui veram vocationem in motione Spiritus Sancti, ſic etiam vis, virtus & vita Spiritus & gratiæ, ab eo procedens, principalis ejus & maximè neceſſaria qualificatio eſt, ſine qua munere ſuo fungi, nec Deo accepte, neque hominibus utiliter, poteſt. Adverſarii autem hic tria affirmant ad conſtituendum miniſtrum concurrere, videlicet, partes naturales, quod idiota non ſit, partes acquiſitas, quòd edoctus ſit linguis, Philoſophiâ & Theologiâ Scholaſtica; & denique, gratiam Dei. Priora duo ad eſſentiam miniſtri neceſſaria volunt, ultimum verò ad benè

eſſe,

esse, sed non ad esse ejus pertinere autumant; ita ut sine duobus prioribus nemo possit esse omnino minister; sine ultimo verò, licet non bonus, verus tamen & legitimus minister esse potest. Nos autem (suppositâ naturali capacitate, quòd quis non idiota sit) gratiam Dei omninò etiam ad esse ministri necessariam judicamus, ut sine quâ nec verus, nec legitimus, uti nec bonus minister quispiam esse queat. Quoad literaturam humanam, nihil ad essentiam ministri pertinere putamus, accidentaliter quidem quibusdam respectibus aliquando concurrere potest, sed sæpius plus nocet, quam juvat, & hoc in Tauleri exemplo manifestum fuit, quem, cum vir doctus esset, & elegantem prædicationem facere posset, à paupere laïco in viam Domini instrui oportebat. Primo de gratiæ necessitate loquar, & tunc aliquid addam de literatura illa, quam adeò necessariam putant.

Itaque primò, quemadmodum in vocatione diximus, sic, hoc loco, multo magis dicere possumus. Si gratia Dei necessaria sit ad faciendum aliquem verum Christianum, oportet sit multò magis necessaria ad verum ministrum constituendum. Quòd gratia necessaria sit ad faciendum Christianum, non dubitabitur, *cùm gratiâ salvati simus*, Eph. 2: 8. *gratia Dei docet nos abnegare impietatem, & hujus mundi cupiditates, & piè & justè* [illegible]*re*, Tit. 2: 11. & Christus disertè ait, *quod sine illo nihil agere possimus*, [illegible]: 5. *& gratia sua, qua nos juvat & nobiscum operatur.* Hinc inquit [illegible] *gratia mea tibi sufficiat.* Christianus revera sine gratiâ non est [illegible]stianus, sed hypocrita. Hinc arguo, Quod si gratia necessaria sit privato Christiano, multò magis prædicatori Christiano, qui quasi pater & aliorum instructor est, cùm hæc dignitas iis tribuatur, qui majorem, quàm fratres, mensuram consequuti sunt. Natura enim nos docet plus in doctore, quàm in iis, qui docentur, requiri, & quòd oporteat magistrum supra discipulum esse in illâ arte & scientiâ, quam alios docet. Cùm igitur Christianitate frui, neque quivis Christianus esse possit sine gratiâ Dei, ergo neque quispiam verus & legitimus Christianitatis doctor & prædicator absque illâ esse potest.

Secundò, nemo potest esse minister ecclesiæ Christi, quæ corpus ejus est, nisi membrum corporis sit; Sed qui gratiâ Dei caret, nec membrum corporis esse potest, nec à capite vitam & nutrimentum trahere: Quapropter multò minùs potest esse minister ad ædificationem corporis. Quod non possit esse minister, qui non est membrum, apparet, quoniam qui membrum non est, excluditur, exciditur, neque ullum locum habet in corpore, cùm ministri inter membra corporis præcipua numerentur;

Sed nemo membrum esse potest, nisi vitam, virtutem & nutrimentum capitis accipiat: qui enim hoc nutrimentum non recipiunt, illa membra arescunt & moriuntur, & tunc exscinduntur: quòd autem unumquodque membrum hoc modo alimentum à capite trahat, disertè affirmat Apostolus ad Eph. 4: 16. *ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem junctúram subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Quod autem hoc modo communicatur, & quo hoc modo totum unitur, nil aliud est, nisi gratia Dei, ideoque Apostolus, eodem capite, ver. 7. affirmat, *unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, & versu 11. ostendit, quomodo hâc gratiâ & dono *& Apostoli & Prophetæ & Evangelistæ & Pastores & Doctores dati sunt in opus ministerii & in ædificationem corporis Christi.* Certè igitur nemo, hujus gratiæ expers, aptus est ad hoc opus, quum omnes, quos dat Christus, ita qualificati sint, & qui non ita imbuti sunt, à Christo nec mittantur nec dentur. Qui ab illo non dantur & mittuntur, nec audiendi, nec recipiendi, nec agnoscendi sunt quasi Evangelii ministri, quia oves ejus nec debent, nec volunt peregrini vocem audire. Hoc etiam patet ex 1 Cor. 12. per totum caput, quo Apostolus de diversitibus donorum & membris Christi tractat, ostendens, quomodo operationem ejusdem Spiritûs in variis manifestationibus & mensiversorum membrorum totum corpus ædificetur, narrans, ver. 13. *Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.* & ver. 28. percenset diversas dispensationes, quæ à Deo in ecclesiâ per varias operationes hujus Spiritûs positæ sunt ad ædificationem totius. Si igitur nullum sit verum corporis membrum, quod non, hoc modo, hoc Spiritu baptizatur, neque aliquis operetur ad ædificationem ejus, nisi secundum mensuram gratiæ à Spiritu acceptam, certè tunc sine gratiâ nemo admitti debet ad operandum in corpore, quia labor & opus eorum sine hac gratiâ & Spiritu inefficacia & inutilia futura sunt.

XVI. Tertiò, quòd hæc gratia necessaria qualificatio sit ministro, patet ex illo Apostoli Petri, 1 Petr. 4: 10, 11. *unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei, si quis loquitur, quasi eloquia Dei, si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus.* Indè patet, quòd, qui ministrant, id debeant facere secundum donum & gratiam acceptam, sed qui gratiâ carent, ministrare non possunt secundum illud, quod non ha-

habent. Secundò, *sicut boni dispensatores multiformis Dei gratiæ*, sed quomodo potest aliquis illius bonus dispensator esse, quod non habet? Num possunt impii homines, qui gratiæ expertes sunt, Dei gratiæ boni dispensatores esse? ideoque sequentibus versibus exclusivam limitationem eorum addit, qui sic non sunt, dicens, *si quis loquitur* &c. *si quis ministrat*, quod idem valet, quasi dixisset, qui ita loqui, & ita ministrare non possunt, silere debent. [*Si*] etenim necessariam conditionem denotat. Quænam autem sit hæc virtus, verba præcedentia declarant, scilicet, donum acceptum & gratia, cujus sunt dispensatores, sicut ex contextu abundè apparet: neque de virtute aliquâ merè naturali intelligi potest, hâc enim homo dicitur spiritualia minimè intelligere, & sic aliis ea ministrare nequit. Sequentia etiam hoc ostendunt, videlicet, *ut in omnibus honorificetur Deus*, sed certè Deus non honorificatur, sed è contrà magnoperè vilificatur & dedecoratur, quando viri naturales merâ potestate naturali in res divinas se intrudunt, quas nec cognoscunt nec intelligunt.

Quartò, gratiam quàm necessariam ministro qualificationem esse, apparet ex iis qualitatibus, quas expressè in illis postulat Apostolus, 1 Tim. 3: 2. Tit. 1: &c. ubi ait, *oportet episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, pudicum, doctorem, benignum, justum, sanctum, continentem, sicut Dei dispensatorem.* Ex alterâ autem parte, *nec superbum, nec iracundum, nec vinolentum, nec turpis lucri cupidum.* Quæro autem, num non sit impossibile, posse hominem virtutes eas omnes habere, & vitiis istis omnibus carere, sine gratiâ Dei? Si autem eæ virtutes, ad quas in homine producendas gratia omninò necessaria est, sint necessariæ ad aliquem verum Evangelii ministrum faciendum secundum Apostoli sententiam, hanc certè gratiam necessariam esse oportet.

Hâc de re etiam vir doctus, & antiquitatis peritus, sub reformationis tempus, sic scribit, *Quicquid autem agitur in ecclesiâ, sivè ad ornamentum, sivè ad ædificationem religionis, tàm in deligendis magistratibus, quàm instituendis ministris ecclesiæ, nisi id fiat divini Spiritûs instinctu, qui quasi anima est ecclesiæ, vanum est & impium. Quicunque enim ad magnum Dei officium, & Apostolatûs dignitatem à Spiritu Dei vocatus non fuerit, sicut Aaron, & qui non ingressus fuerit per ostium qui est Christus, sed aliundè in ecclesiam ascenderit per fenestram, per favores hominum, certè hic non est Christi vicarius & Apostolorum, sed fur & latro & vicarius Judæ Iscariotis, & Simonis Samaritani. Hinc ab antiquis Patribus de electione Prælatorum (quod sacer Dionysius vocat nominationis sacramentum) tàm*

arctè statutum est, quod Pontifices & Apostoli, qui præessent ministeriis in ecclesiâ, nominarentur viri moribus & vitâ integerrimi, potentes in doctrina sanâ de omnibus rationem reddere. Sic etiam * alter eodem tempore scribit. *Quandoquidem fieri non quam potest, ut quispiam per linguas & eruditonem sanum de Scripturis sanctis ac veritate Dei judicium proferat. Denique* (inquit ille) *ovis Christi non quærit nisi vocem Christi, quam novit ex Spiritu sancto, quo plenus est: non respicit eruditionem, linguas, aut quicquam externum, ut propter illud credat hoc aut illud esse vocem Christi veri pastoris sui, scit quod nullâ re aliâ opus sit, quàm testimonio Spiritus Dei.*

* Franciscus Lambertus Avenionensis, lib. de Prophetiâ, eruditione, linguis & Spiritu. Argentorati excus. anno 1516. de pro: cap. 24.

XVII. Contra hanc absolutam gratiæ necessitatem *objiciunt*, quòd si omnes ministri haberent salutiferam Dei gratiam, tunc omnes salvarentur, cùm nemo à salutiferâ gratiâ prolabi, aut eam amittere possit. *Respondeo*, sed hoc super falsam illam hypothesin ædificatur, quam nos purè negamus, & priore, de *Perseverantiâ*, thesi hactenus refutavimus.

Secundò, *objicere* possunt, quòd, cùm nos affirmemus, unumquemque hominem mensuram salutiferæ gratiæ habere, non necesse sit, ut singularis aliqua in ministris qualificatio fiat, neque ut quis à ministerio, hujus defectu, abstineat. *Respondeo*, jam demonstratum est, ad constituendum ministrum, necessariam esse specialem & singularem vocationem per Dei Spiritum, quod est quid amplius, quàm universalis illa gratiæ dispensatio omnibus tributæ, secundum illud Apostoli, *Nemo hunc sibi dignitatem vendicat, nisi qui à Deo vocatus sit, sicut Aaron.* Præterea, per gratiam intelligendum est, sicut ministri qualificatio est, non mera & nuda gratiæ & Lucis mensura, sicut ad arguendum, & ad justitiam convertendum, distribuitur; sed hoc loco gratiam intelligimus, sicut animam convertit, & fortiter in eâ operata est, ut postea de opere ministrorum fusius declarabitur. Non igitur intelligimus homines, prout gratiam in se quasi semen habent (quam quidem fatemur omnes secundum aliquam mensuram habere) sed homines gratiosos intelligimus eâ fermentatos in naturam illius, & bonos illos fructus temperantiæ, justitiæ, pietatis, &c. producentes, quos Apostolus in vero Christiano Episcopo necessarios judicat.

Sic Nic. Arnold Sect. 32 in thesin quart.

Tertiò, *objiciunt* exemplum falsorum Prophetarum, Pharisæorum & Judæ. Sed *Respondeo*, quod attinet ad falsos Prophetas, nihil ineptius allegari potest, quasi verò, quia fuere falsi Prophetæ, imò verè falsi erant absque Dei gratia, ergo non opus est ea in ministerio vero Christiano.

ſtiano. Si verò probaverint, veros Prophetas gratiâ caruiſſe, aliquid dixerint. Sed quid habent falſi Prophetæ cum veris miniſtris commune? niſi quod falſò ſibi vendicant, quod non habent. Et quia falſi prophetæ verâ Dei gratiâ carent, num indè ſequetur, veros Prophetas non debere eam habere, vel non opus habere, ut ſiant veri, & non ſicuti falſi ſunt? Phariſæorum & ſacerdotum ſub lege exemplum hic non valet, nec temporibus Evangelicis reſpondet, quia Deus ſingularem tribum pro eò miniſterio ſepoſuit, & ſingulares familias, ad quas lineali ſucceſſione ſacerdotum pertinebat; & opus eorum non erat purè ſpirituale, ſed ſolummodo externarum quarundam obſervationum perpetratio, quę tantùm erant umbra futuræ ſubſtantiæ, ideoque non faciebat miniſterium illud venientes perfectos quoad conſcientiam, cùm ordinati fuerint ſacerdotes illi ſolùm ſecundum legem carnalis præcepti, & non ſecundum vitæ permanentis virtutem. Sicut tamen oportebat eos in figurâ integros eſſe, & ſine defectu in homine exteriore, &, dum miniſterium præſtabant, abluti, & ab externis pollutionibus purificati; ita etiam nunc ſub Evangelio oportet miniſtros in antitypo eſſe absque defectu, inculpatos in animis & Spiritibus ſuis, &, ut vult Apoſtolus, irreprehenſibiles, ac in opere & miniſterio ſuo puros, atque impollutos ab internis pollutionibus, ſicque ſanctos & puros, *ut efferant ſpirituales hoſtias, acceptas Deo per Ieſum Chriſtum*, 1 Pet. 2: 5, Quod ad Iudam attinet, commiſſio ejus non erat purè evangelica, ſed, antequam opus conſummatum erat, data, dum Chriſtus ipſe, & diſcipuli ejus Judaicis obſervationibus ſubjecti erant, ideoque commiſſio ejus, nec non illa, quam cæteri cum illo accipiebant, erat *ſoli domui Iſraelis*, Matth. 10: 5, 6. ideoque commiſſione illâ poteſtatem non habebant cæteri, ut exirent & prædicarent poſt reſurrectionem, donec Hieroſolymis expectaſſent Spiritûs effuſionem. Ita ut appareat, Iudæ miniſterium magis legale, quàm evangelicum fuiſſe. Secundò, omnes fatebuntur, Judæ caſum fuiſſe ſingularem & extraordinarium, quoniam ab ipſo Chriſto immediatè vocatus fuit, & ab illo ad prædicandum, & miracula etiam operandi poteſtate imbutus, quam immediatam vocationem adverſarii ſibi nullo modo vendicant, & ſic Judâ inferiores ſunt, qui Chriſti verbis credidit, ideoque ad prædicandum exivit, ſine auro aut pecuniâ, aut perâ ad viam ſuam, gratis diſtribuens, ſicut gratis acceperat, quod nolunt adverſarii facere, ut poſtea patebit; & quod Judas tempore illo ne vel minimâ divinæ gratię menſurâ imbutus fuerit, nondum probatum audivi. Sed nonne luctuoſum eſt, quod Proteſtantes,

teſtantes, prætermiſſis undecim bonis & fidelibus Apoſtolis, cæteriſque omnibus ſanctis Jeſu diſcipulis & miniſtris, hunc ſolum ſibi paſtorum & miniſterii ſui patronum vendicent, de quo ſignificatum eſt, quòd diabolus erat; reverà nimis apparet, pleroſque eorum paſtores huic patrono perſimillimos eſſe.

ibid. Arnoldus.

Denique *objiciunt*, quòd, ſi gratia ita neceſſaria eſſet, indè ſequeretur, quod ii, qui eâ carent, ſacramenta adminiſtrare non poſſint, & per conſequens populus in dubiis & innumeris ſcrupulis relictus eſſet, ignorans, num rectè accepiſſent, quia infallibiliter non cognoſcerent, utrum adminiſtratores veri eſſent gratioſi. *Reſpondeo*, hæc objectio nos non tangit, quia ejus ſpiritualis & Chriſtiani cultus natura, quâ nos utimur, ea eſt, quæ non neceſſariò externis iſtis inſtitutionibus attenditur, ad quorum adminiſtrationem talis objectio oritur, ideoque talem abſurditatis ſequelam non habet, uti clarius poſtea patebit.

XVIII. Licet igitur humanam literaturam neceſſariam non judicemus, non tamen veram eruditionem excludimus, illam ſcilicet eruditionem, quæ ab internis Spiritûs inſtructionibus & operationibus provenit, quibus diſcit anima ſecretas vias Domini, & internos animi labores & exercitationes novit, & vivaci experientia diſcit, quomodo peccatum & tentationes mali ſuperet, etiam Dominum diſcit ſequi, & in lumine ejus ambulare, ibique ſapientiam & ſcientiam ab illo immediatè per revelationem ejus expectare, & tunc cœleſtem hanc ſcientiam & bonam eruditionem bono animi theſauro abſcondere, ſicut beata Maria reponſa dicta, quæ audiebat, & facta, quæ obſervabat; & ex theſauro animi, ſicut ſcriba bonus, res novas & antiquas expromit, ut movet Spiritus, & dat libertatem, & ut gloria Dei poſtulat, in cujus gloriam anima, quæ templum Dei eſt, omnia diſcit agere. Hæc eſt bona illa eruditio, quam miniſtro neceſſariam judicamus, qua eruditione imbutus poſſit bene inſtruere, docere, & tempore opportuno admonere, & à certa experientia pro Deo teſtari, ſicut olim fecere David, Solomon & ſancti Prophetæ, nec non beati Apoſtoli Domini noſtri Jeſu Chriſti, *qui, quod viderant, audiverant, & de verbo vitæ contrectaverant, illud annunciarunt*, 1 Johan. 1. *Donum, ſicut acceperant, miniſtrantes, veluti boni diſpenſatores multifariæ Dei gratiæ*, & non aliorum rumores incertos prædicabant, quæque in comprehenſione colligebant, dum ipſi in experientia ſua peregrini eſſent: ut qui docerent alios credere, dum ipſi infideles & increduli eſſent, vel qui docerent alios peccatum ſuperare, dum ipſi peccati ſervi ſint;

ſint; ut ſunt omnes homines gratiæ divinæ expertes, vel qui alios, ad credendum & expectandum ſempiternam mercedem, hortantur, dum ipſi hanc non habeant fidem, nec ſpem.

XIX. Sed examinemus hanc literaturam, quam adeò neceſſariam judicant ad miniſterii eſſentiam; ut, primo loco, linguarum ſcientiam, ſaltem Græcæ, Latinæ & Hebrææ. Hujus ratio eſt, ut Scripturas, quas ſolam ſuam regulam fatentur, originalibus linguis legant, eoque capaciores fiant ad illas interpretandas &c. Hæc autem linguarum ſcientia eò magis primitivis Proteſtantibus commendanda fuit, propter obſcuram illam barbariem, qua Chriſtianus orbis obnubilabatur, in ſeculis reformationem immediatè præcedentibus; ſiquidem linguarum cognitio eo tempore, donec tunc reſtaurata eſt per Eraſmum & alios quoſdam, ferè amiſſa & extincta fuit. Hæc barbaries eò magis abominanda erat, quod totus cultus, & populi preces linguâ latinâ fiebant, &, inter innumeros illos ſacerdotes, monachos & presbyteros, vix unus ex centum, ne dicam mille, breviarium ſuum vel miſſam, quam quotidiè legebat & repetebat, intellexit. Scripturæ autem non ſolùm populo, ſed & clerorum maximæ parti, imò quoad literalem & externam partem, erant quaſi liber obſignatus. Minimè igitur primitivorum Proteſtantium zelum contra Babylonicas tenebras, nec pios eorum conatus in Scripturis interpretandis condemnamus, ſed hoc candidè eos, ſecundum ipſorum cognitionem feciſſe ex animo credimus, ideoque, ad ſatisfaciendum juſtis deſideriis eorum, qui eas legere cupiunt, & multis aliis de cauſis, ſcilicet, ob mutuum inter nationes, linguis diverſas, commercium conſervandum, neceſſarium & laudabile judicamus, ut ſint ſcholæ publicæ, ad juventutem, has linguas appetentem, edocendum. Interim licet jurè abominanda & horrenda fuerit iſta Papatûs ignorantia, videmus tamen in iſta cognitione veram reformationem poſitam non eſſe, quia, quamvis ab iſto tempore plerique Pontificii, Proteſtantium æmulatione adducti, ſe magis ad literaturam applicârint, & illa multò magis, quàm olim, in eorum academiis & cœnobiis, præſertim in ſecta Ignatiana vel Jeſuitica, vigeat, nunc tantùm à vera reformatione, quantùm unquam, abſunt, & in perniciosis ſuis doctrinis magis obdurati ſunt, ideoque hoc neceſſitatem hujus ſcientiæ ad miniſterium non evincit, ne dicam qualificationem magis neceſſariam, quam Dei gratiam & Spiritum ejus, quia Dei Spiritus & gratia hunc defectum in maximè ruſticis & ignaris ſupplere poteſt. Sed hæc eruditio defectum gratiæ nuſquam ſupplere poteſt in eruditiſſimis & elo-

quentissimis. Quicquid enim homo suâ industriâ in linguis, eruditione & in Scripturis invenire potest, totum nihil est sine Spiritu, absque quo nihil certum, semper fallibile judicatum est; sed vir rusticus, hujusque eruditionis ignarus, qui ne vel elementum nôrit, quando Scripturam lectam audit, eodem Spiritu, hoc esse verum, dicere potest, & eodem Spiritu intelligere; & si necesse sit, interpretari potest: quando enim conditionem suam conditioni & experientiæ Sanctorum respondere observat, veritates ibi traditas verè possidet, quia signavit eas & verificavit Spiritus in corde ipsius. Et hujus rei sufficientem experientiam habemus in illiteratis istis hominibus, quos suscitavit Deus, ut ecclesiæ suæ hac ætate ministri sint, ita ut horum aliqui errores interpretum correxerint, quemadmodum thesi tertiâ de Scripturâ observatum est. Imò ipsemet novi calceanum quendam, qui ne literam quidem cognoscit, quem cùm Professor quidam publicus Theologiæ falsâ Scripturæ citatione urgeret coram urbis magistratibus, ubi, quibusdam, qui ad illum audiendum venerant, prædicans, captus est; talem, inquam, novi, & adhuc vivit, qui, licet professor, qui & vir doctus habetur, constanter affirmaret dictum suum esse Scripturæ sententiam, tamen, non certâ aliqua literæ cognitione, quam non habebat, sed certissimo Spiritûs in semetipso testimonio fretus, affirmare non dubitavit, hallucinari professorem, & Spiritum Dei, quod alter affirmabat, nunquam dixisse, & adductis Bibliis secundum calceanii sententiam res inventa est.

Scotus

XX. Secunda literaturæ eorum pars est *Logica* & *Philosophia*, ars vero ministro ita inutilis, ut, si quis verus minister illam habuerit, tutius illi fuerit obliviscì & amittere eam; est enim radix & origo omnis contentionis & altercationis, & quâ aliquid magis obscurum fit, non luculentius. Nam sub prætextu regulandi hominis rationem in certum ordinem, ut veritatem inveniat, in tantum altercationis labyrinthum ducit, ut ad Scepticum potiùs quàm Christianum faciendum apta sit, multò minus ecclesiæ ministrum; imò sæpè abstrahit hominem à clarâ illâ rerum intelligentiâ, quam ipsa ratio iis suppeditaret, ideoque multifariis ejus regulis & variis inventionibus, qui modicam rationem habent, multa inutiliter & stultè loquendi occasionem tribuit. Qui enim non admodum sapiens nec bonus est, perfectus dialecticus esse potest, & si stultescere eum velis, qui non admodum sapit, doce eum Logicam & Philosophiam, & si antea quib sdam aptus fuerit, tunc nihilo utilis futurus est, sed ad omnia ineptus, nisi ad ineptè garriendum & blaterandum; notiones enim illæ in cerebro

rebro ita natabunt, ut mirè illum de nihilo occupatum effecerint. Sed hac arte utuntur solidi & sapientes, ut ejus vanitatem videant; ideoque de ea sic loquitur vir quidam doctus; *Ipsa quidem non nisi contentionis ac tenebrarum artificium est, per quam reliquæ omnes scientiæ obscuriores, ac cognitu difficiliores reddunt ur.* Si *urgeatur*, hac arte veritatem defendi & confirmari & hæreticos refutari. *Respondeo*, veritatem, quæ est in hominibus verè rationalibus, hujus auxilio non egere, & obstinatos hanc minimè convincere, imò hâc multa artificia & distinctiones discunt, quibus veritatem oppugnant; veritas autem ab honesto corde proveniens, & virtute Spiritûs edocta, plus valebit, & citius penetrabit, quàm mille demonstrationes Logicæ, sicut confessus est Ethnicus ille Philosophus, qui, cum Christianis Episcopis in concilio Nicæno disputans, tàm argutus erat, ut ab eis superari non posset, sed tamen pauca quædam verba, ab illiterato quodam rustico dicta, eum continuò ad fidem Christianam adduxerunt, & interrogatus, quomodo seni illi ignaro tàm citò concesserit, & non Episcopis, respondit, *dum verbis cum illo contenderent, verba verbis dare potuit, sed processisse à sene illo secretam quandam vim, cui resistere non valebat.* Hæc autem vis & virtus debet esse illa Logica & Philosophia, quacum Christianus minister edoctus esse debet, ad quam acquirendam, nihil Aristoteli debere necesse habet. Quod autem ad Logicam naturalem, qua viri rationales, sine illâ arte & regulis, vel sophisticâ eruditione, naturaliter ex propositionibus veris certam conclusionem deducunt, quâ vix invenitur homo carere, qui mentis compos est, illius usum minimè negamus, & eâ in hoc tractatu aliquando usus sum, quæ & omnibus sufficere sine arte dialecticâ possit. Philosophiæ autem ea pars, quæ Moralis seu Ethica dicitur, non necessaria Christianis est, qui sacras Scripturæ regulas, & divini Spiritus donum, quo multò meliùs instrui possunt, habent. Physica verò & Metaphysica ad alias, medicinæ scilicet & Mathematicæ, artes reduci possunt, quæ cum Christiani ministri officii essentiâ nihil commune habent, ideoque Paulus Apostolus, qui benè novit, quid Christianis ministris utile, quid nocivum esset, Colossenses hoc modo hortatus est, Col. 2: 8. *videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam.* Et dilecto suo discipulo Timotheo sic etiam scribit, 1 Tim. 6: 20. *O Timothee, depositum custodi, profanas vocum novitates & oppositiones falsi nominis scientiæ devitans.*

Lucæ Osiandri epit. hist. eccles. lib. 2. cap. 5. cent. 4.

XXI. Tertia & præcipua pars eorum literaturæ est Theologia scholastica, quæ quidem monstrum est, ex scripturalibus quibusdam veritatis

notionibus, & ethnicis terminis & axiomatibus productum; & est quasi Paganica Philosophia Christianizata, vel potius externa literalis Christi scientia Paganizata; est homo in primo lapsæ naturæ statu cum diabolica sua sapientiâ, sibimet quibusdam veritatis notionibus placens, easque serpentina sua & mundana scientiâ adornans, qui veritatis simplicitatem nimis abjectam ex se & humilem autumat, ideoque illam simplicitatem, ubicunque invenitur, contemnit, & seipsum, hoc suo monstruoso partu inflatum, magnificat; diabolus equidem est obscurans & obnubilans Dei cognitionem sensuali suâ & carnali sapientia, ut eo tutius simplicia corda decipiat, & veritatem, sicuti in se est, despicabilem & cognitu difficilem efficiat, mille frivolas & inutiles quæstiones multiplicando, ac infinitas & innumeras contentiones ac altercationes suscitando, quas omnes qui exactè noscit, nihilominus diaboli servus est, quàm antea fuit, sed decies magis, quòd superbus & iniquitate inflatus est, & ab ediscendâ vel intelligendâ veritate, prout in sua simplicitate est, longius multò remotus, quia suâ opinione plenus, doctus & dives est; ideoque, qui hujus artis peritissimi sunt, dies suos & pretiosum tempus conterunt cum innumeris istis & infinitis quæstionibus, quas de ea confixerunt & invenerunt. De hac enim scientiâ vir quidam doctus, imò & Pontificius, ita loquitur, *quod à Parisiensium Sorbona, mixtione quadam ex divinis eloquiis, & Philosophicis rationibus, tanquam ex centaurorum genere, biformis disciplina conflata est.* Fatentur, mille eorum quæstiones ad salutem nullo modo necessarias esse, & de multis aliis inter se concordare nunquam potuerunt, sed & sunt & semper futuri sunt in continuis altercationibus. Quæ de ea scripta sunt volumina, totâ ætate, licet ad senectutem progressus, vix legere quis valet, quibus omnibus perlectis, solummodo sibi majorem, quàm antè habebat, animi perturbationem conciliat. Hæc procul dubio sunt *verba sine cognitione multiplicata, quibus consilium obnubilabatur*, Job. 38: 2. Scripturam totius hujus massæ textum faciunt, de cujus sensu voluminosæ illæ altercationes oriuntur. Sed vir integri cordis magis discere potest sesquihorâ, & certior esse attendendo Deo & Spiritui ejus in corde, quàm millia eorum voluminum legendo, quibus caput multis inutilibus notionibus impletur, & fides ejus sæpè vacillat, nunquam confirmari potest; & qui quidem huic se maximè dedidere, ut in errorem prolaberentur, procliviores fuerunt, quod patet Origenis exemplo, qui ex primis fuit, qui se hac arte Scripturarum interpretationi dedit, & tot volumina, totque in iis errores scripsit, quibus multùm turbata est ecclesia. Hæc etiam

etiam curiositate & humano scrutinio, simplicitatem Evangelii contemnens, ductus Arius in errorem suum prolapsus est. Hæc enim istius horrendæ hæreseos, ecclesiæ adeo perniciosæ, occasio fuit; & mihi videtur simplicitas & brevitas Scripturarum sufficiens adversus istos & talem scientiam reprehensio esse; & cùm Apostoli boni, honesti, & illiterati homines fuerint, meliùs a talibus, quales ipsi fuerint, hominibus intelligi possunt, quàm per scholasticam illam artem, quam neque Petrus, nec Johannes nec Paulus unquam excogitavit.

XXII. Hæc satanæ inventio, quâ apostasia incepit, pernicioſæ consequentiæ fuit; hac enim primo veritatis simplicitatem infecit, literaturam ethnicam præservando, qua tot dubitationes, incertitudines & contentiones inter ipsos Patres exortæ sunt, ut non pauci eorum inveniantur, qui, propter hanc mixturam, non solùm alii aliis, sed sibi invicem contradicunt. Quando verò invalescebat apostasia, veritatem quasi sepelivit, hoc tenebrarum velamine populum omninò à verâ cognitione excludens, & efficiens, ut docti, ita æstimati, se futilibus & inutilibus quæstionibus darent, iisque occupati sint, quibus veritates Dei graves & ponderosæ neglectæ fuere & in desuetudinem abiere. Et licet horum abusuum absurdiores à Protestantibus rejiciantur, radix tamen adhuc nutritur & præservatur; imò ad ministrum, quasi necessaria qualificatio, habetur, dum pura Spiritûs veritatis eruditio contemnitur & negligitur, & lapsa hominum sapientia stabilitur, in qua cum Scripturis laborat & operatur, expers istius vitæ & Spiritûs, quo scriptæ fuerunt, & per quem solummodo rectè intelligi possunt. Sic, qui futurus est minister, oportet, hanc artem cum Scripturis cauponandi ediscat, & Scripturæ caupo fiat, quod fieri noluit Apostolus, 2 Cor: 2: 17. Quâ arte, scilicet, discit, quomodo ab uno vel altero Scripturæ versu, steriles suas notiones & incertas conjecturas addendo, & quod ex libris (quorum, eâ gratiâ, non paucos habere illum in musæolo oportet) plagiariè furatur, die quoque septimo sermonem possit facere per horam, & hoc nuncupatur prædicatio verbi, dum gratia, donum & Spiritus Dei, ad instruendum, loquendum, & verba tempore opportuno faciendum, negligitur; & sic hominum artes & partes & scientia & sapientia, quæ ab infra sunt, stabiliuntur, & in templo Dei supra parvum regni semen exaltantur: & hoc revera Antichristus est in mysterio operans; diabolus enim potest esse hac regulâ minister potens Evangelii, non secus quàm eorum doctissimus, cùm majorem in linguis, logicâ, philosophia & theologia scholasticâ, sci-

entiam habeat, & veritatem, quoad notionem, meliùs cognoscat, & eloquentiùs sermocinari possit, quàm omnes illi concionatores. Sed quanti sunt & quid valent hæc omnia? numne quasi mors, tanquam sepulchrum pictum & cadaver sine vi, virtute, vitâ & Spiritu Christianitatis, quæ substantia & essentia Christiani ministerii est, & qui hanc habet, & per eam loqui potest, licet pauper, pastor, vel piscator aut arator sit, supradictæ eruditionis, quæstionum item & notionum ignarus, per Spiritum tamen loquens, ministerium ejus magis valebit ad conversionem peccatoris, quàm omnes isti secundum carnem eruditi, sicut exemplo istius senis in concilio Nicæno constabat.

XXIII. Si ullâ ætate, ab Apostolorum temporibus, voluit Deus virtutem suam per imbecillia instrumenta ostendere, ad carnalem illam & ethnicam sapientiam evertendam & prosternendam, & ad restaurandam antiquam veritatis simplicitatem, hæc illa ætas est; die enim hoc nostro suscitavit sibi Deus testes, sicut olim piscatores, quorum plerosque ab aratro & vulgaribus mechanicis artibus evocavit, qui sine hac mundana eruditione, per virtutem & Spiritum Dei, Babylonis radicem & fundamentum percusserunt, & in fortitudine, vi, & virtute hac mille collegerunt & congregârunt ad eandem vitam & virtutem, conscientias eorum penetrando, qui, quoad partem externam, longè iis eruditiores & literati magis, non tamen ad resistendum illi vi & virtuti, quæ ex illis emanabat, capaces fuerunt. Cujus rei ego ipse testis sum, certâque experientia testari possum, quia cor meum sæpè mollescere virtuosa & energetica illa vita, quæ ab eorum illiteratorum ministerio divino processit, sensi; ita ut vultu eorum, non secus ac verbis, malum in me sæpè depressum, & bonum suscitatum & excitatum noverim. Quid igitur vobis dicam, eruditionis amatores & admiratores, nonne ipse ego ejusdem amator & admirator fui, eamque enixè secutus sum pro ætate & capacitate mea? Sed vanis his meis conatibus opportunè equidem & maturè inenarrabili suo amore obstitit Dominus, dum annum ætatis decimum octavum tantùm agerem, & mihi (quod utinam vobis omnibus ita fiat) considerandi seriò occasionem præbuit, absque pietate & regeneratione neminem Deum videre posse; *quum timor Iehovæ sit initium sapientiæ, & recedere á peccato bonus intellectus.* Cognitio autem inflat, & ab internâ illa animi quiete & humilitate divertit, cui apparet Deus, & cœlestem suam sapientiam revelat. Hæc si mecum consideretis, dicetis omnem hanc scientiam & eruditionem, quæ in primo degenerato statu acquiritur, quasi scoriam & ster-

ſercus eſſe, reſpectu crucis Chriſti, præſertim ubi caret virtute illa, vi & vitâ, quâ obſervavi præſtantes illos, licet deſpicabiles, illiteratos teſtes repletos eſſe; quia tamen ego cum multis aliis inter eos cœleſte animæ alimentum reperi, quærat anima mea hanc eruditionem, & attendat ad illam in æteruum.

XXIV. Cùm jam hactenus de vocatione & qualitatibus Evangelici miniſtri loquutus ſim, loco ſequente conſiderandum venit, quodnam ejus opus ſit, quomodo & qua regulâ progredi debeat. Adverſarii ſemper externis hærent, ideoque certas præſcriptas regulas & methodos habent, ſecundum humanam eorum & carnalem ſapientiam exaratas. Nos è contrà in eodem ſemper fundamento ambulamus, & vias Spiritûs, ejuſque immediatum auxilium & influxum ſequimur, quem Spiritum dedit ſuis Deus, ut doceret eos omnia, & in omnibus ducat eos; qui Spiritus, cùm ſit Spiritus ordinis & non ataxiæ, ducet nos, & quotquot ſequuntur illum, eo ordine & methodo, quæ decet eccleſiam Dei. Opponentes autem ſe, cùm ſe ab hujus Spiritûs conſilio & immediato auxilio excluſerint, in multas confuſiones & tumultus ſe injecerunt, quærentes in hoc negotio ordinem ſtabilire. Quidam enim volunt ſummum pontificem ſeu papam habere, qui in cæteros omnes quaſi princeps ſit, & ſub illo gradatim cardinales, patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, ſacerdotes, preſbyteros, diaconos, ſubdiaconos; &, præter hos, acoluthos, tonſuratos, oſtiarios &c. In theologiâ autem, ut vocant, profeſſores, baccalaureos, doctores &c. Alii autem volunt unumquodque regnum ex alio independens eſſe, proprium ſuum metropolitanum, ſive patriarcham habens, cæteroſque gradatim ſub illo, ut ſuprà. Alii autem omnem inter paſtores præcedentiam negant, & ſubordinationem non perſonarum ſed conventuum volunt, ut primò conſiſtorialem, deinde claſſicalem, tunc provincialem, hincque nationalem ſynodum. Hoc modo ſe invicem dilacerant, & inter ſe contendunt in diſtinguendo & regulando diverſos & varios ſuos ordines & officia, de quibus non minor contentio facta eſt, non ſolum verbali diſputatione, ſed etiam præliis, tumultibus, vaſtationibus & humani ſanguinis effuſione, quàm in ſubjugando, expugnando & ſtabiliendo regna. Et poſtremorum ſeculorum hiſtoriæ non minus ſcatent tragœdiis, quæ hujus ſpiritualis monarchię cauſâ tranſactæ ſunt, quam veteres hiſtoriæ, quæ eventus Aſſyriaci, Perſici, Græci & Romani imperii tractant. Et licet poſtremæ hæ ſint inter eos, qui ſe Chriſtianos nominant, non minus tamen ſanguineæ & crudeles fuerit, quam

quàm priores istæ inter ethnicos, pro externis suis imperiis contendentes. Hæc autem omnia, & inter Pontificios & inter Protestantes, indè proveniunt, quod formam & umbram in imitatione stabilire nituntur, etiamsi virtute, vi & substantia careant, quanquam plurimorum istorum ordinum nec vel nomen in Scripturâ inveniatur; sed, in oppositione totius hujus formalitatis massæ & gubernationum, ordinum ac regularum congeriei, dicimus, substantiam præsertim inquirendam, & virtutem, vitam, & Spiritum cognoscendum & attendendum esse, qui unus est in omnibus istis differentibus nominibus & officiis, quorum meminit Scriptura, ut liquet ex 1 Cor. 12. sæpius antè citato versu 4. *divisiones verò gratiarum sunt, sed idem Spiritus.* Et postquam per integrum illud caput ostendit Apostolus, quomodo unus idemque Spiritus operetur, & unumquodque membrum vivificet, tunc vers 28. ostendit, quomodo eo Spiritu Deus in ecclesia constituerit primò Apostolos, secundò Prophetas, &c. Sicque ad Eph. 4. eodem modo demonstrat, *quomodo iis donis dederit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, quosdam Pastores, & Doctores.* Nunquam autem fuit aut Christi aut Apostoli consilium, ut Christiani horum umbram & formam stabilirent, & sic, diversos ordines & gradus faciendo, carnalem hierarchiam constituerent, absque vi, virtute & Spiritu Christi: hoc illud opus Antichristi & mysterium iniquitatis est, tenebrosa apostasiæ nocte erectum; sed in vera Christi ecclesia, quæ à Deo, non solum in doctrinam veritatis, sed etiam in vitam, virtutem & Spiritum Christi, congregata est, Spiritus Dei est gubernator & regulator, sicut in singulis individuis, ita & in generali: ac quando simul conveniunt, ut Deum adorent & colant, tunc, quos Spiritus divina sua virtute & influxu ad ministerium separat, aperiens ora eorum, & dans iis, ut in virtute & in Spiritu Domini hortentur, redarguant & instruant, non possibile est, quin illos, qui eo modo à Deo ordinati & in ministerium admissi sunt, fratres illorum audiant, recipiant & operis gratiâ in honore habeant; & hoc modo non fit hujus monopolium singulari hominum generi, clero videlicet (qui ea causa educati sunt, & ad hanc artem, sicut alii carnales artifices, edocti) ut scilicet cæteri omnes quasi laïci spernantur & excludantur: sed libero Dei dono relictum est, ut, quos velit, vocet, sive pauperes, sive divites, sive servos, sive dominos, sive senes, sive juniores, imò sive mares, sive fœminas. Et qui hanc habent vocationem, verificant Evangelium, *prædicando non in sermone tantum, sed in virtute, & in Spiritu sancto, & in plenitudine multâ,* 1 Thess. 1: 5. & fieri non potest, quin recipiantur, & ab ovibus Christi audiantur.

At-

XXV. Atqui si *objiciatur*, videri me nullam hic distinctionem inter ministros, & alios facere, quod contrarium est Apostolo, dicenti, 1 Cor. 12: 29. *Nunquid omnes Apostoli, nunquid omnes Prophetæ, nunquid omnes Doctores?* indè insinuant, omnes non tales esse; & quod etiam contradicam comparationi ecclesiæ Christi cum corpore humano, illo capite adductæ, ubi versu 17. ait. *Si totum corpus oculi, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus?* &c. Et præterea, quòd Apostolus non solum ministros ecclesiæ hoc modo in generali à cæteris membris distinguat, sed etiam eos ministros inter se, nominans eos separatim Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores & Doctores &c. Quod attinet ad postremam hujus objectionis partem, cui primò *respondebo*, apparet, hanc nominum diversitatem minimè distincta officia designare, sed solummodo differentes & varias Spiritus operationes denotare, loquendi formulâ Apostolo familiari, qua aliquando exspatiatur Paulus, ad illustrandam gloriam & laudem divinæ gratiæ, sicut præsertim, Rom. 12: 6. *habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrinâ, qui exhortatur in exhortando.* Nemo autem inde dicet diversa hæc esse officia, vel quod in una personâ coincidere non possint, sicut etiam possint cætera illa omnia, quorum mentionem facit, subsequentibus versibus, videlicet, *diligendi, fraternæ charitatis, Spiritu fervoris, & hospitalitatem sectandi* &c. Quæ tamen quasi diversa dona numerat, &, secundum hanc objectionem, quasi distincta & separata officia locari possint, quod foret absurdum. Secundò, iis ipsis locis liquet, non esse realem distinctionem separatorum officiorum, quia omnes fatentur, Pastores & Doctores, quos non secus separat & distinguit ibi Apostolus, quàm Pastores & Prophetas vel Apostolos, unum & idem esse, & in uno officio & persona coincidere, & ideo sic de cæteris dici potest. Prophetia, sicut rerum futurarum declarationem significat, est quidem donum distinctum, sed non distinctum officium, itaque non ponunt hanc adversarii inter varios suos ordines, neque negabunt & dari posse & datam á Deo fuisse, non solum Pastoribus & Doctoribus, & consequenter ibi cum cæteris iis ordinibus in una personâ coincidisse, sed etiam quibusdam läicis, ibique, secundum concessionem eorum, inventam esse extra cleri limites. Prophetia autem alio sensu, videlicet, sicut significat loqui à Spiritu veritatis, non solùm Pastoribus & Doctoribus, qui ita prophetare debent, peculiaris est, sed est commune sanctorum

privilegium: licet enim instruere, docere & exhortari talibus proprium sit, qui magis particulariter ad opus ministerii vocati sunt, non tamen iis ita peculiare est, ut, quando sancti congregati sunt, & quis ex iis Spiritu movetur, non sit iis commune: quidam enim actus ad omnes in tali relatione pertinent, sed non iis solum, qui in ista relatione sunt; *competunt omni, sed non soli*; sic videre & audire proprii hominis actus sunt, quia de homine rectè prædicatur, quod videt & audit, tamen aliis etiam creaturis communia sunt. Sic prophetare, hoc sensu, est quidem proprium ministris & doctoribus, non ita tamen, ut non sit commune & legitimum aliis sanctis, quando ad illud moventur, licet non proprium iis sit relativè, quia, non obstante illa motione, peculiariter ad opus ministerii non vocantur, ut constat ex 1 Cor. 14. ubi Apostolus fusè tractat ordinem & communem ecclesiæ methodum, ait enim ver. 30, & 31. *Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat, potestis enim omnes per singulos prophetare, ut omnes discant & omnes exhortentur*; unde apparet neminem excludi. Quod autem sit subordinatio secundum varias mensuras doni recepti, sequens ostendit versus, *& Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt, non enim est dissensionis Deus, sed pacis.* Quod autem prophetia sit, hoc sensu, sanctis omnibus communis, patet ex ver. 33. ejusdem capitis, ubi [*omnes*] indefinite alloquens ait, *itaque fratres æmulamini prophetare*: Et versu 1. hortatur eos etiam, dicens, *æmulamini spiritualia, magis autem ut prophetetis.* Secundò, quod ad Evangelistas attinet, idem dici potest; quisquis enim Evangelium prædicat, realiter Evangelista est, & sic consequenter omnis verus Evangelii minister talis est, si quidem id officium sibi propriè vendicare possunt, nisi ita stolidi sint, ut velint affirmare, nullos Evangelistas esse, nisi Matthæum, Marcum, Lucam & Johannem, qui Christi vitæ & passionum historiam conscripserunt; tunc nec esset peculiare officium, cùm Johannes & Matthæus fuerint Apostoli, & Marcus & Lucas Pastores & Doctores, ibi igitur in uno coincidunt, & absurdum est putare, hoc mero respectu verbo Evangelistæ usum fuisse Apostolum. Fatetur Calvinus, eos, qui Evangelium in puritate prædicant post aliquod Apostasiæ tempus, Evangelistas esse, ideoque fatetur, Apostolos, vel saltem Evangelistas suo tempore fuisse; & hinc primitivi Protestantes se Evangelicos nominabant. Quod ad Apostolum attinet, si verbi etymologiam spectemus, significat aliquem missum, & cùm omnis verus minister missus sit, eo respectu Apostolus est, licet duodecim illi, quia peculiariter à Christo missi fuerant, idcirco Apostoli, κατ' ἐξοχήν, vel

vel per eminentiam dicti sunt. Quod autem nulla fuerit limitatio ad talem numerum, sicut quidam stultè opinantur, patet, quòd, postquam numerus ille impletus fuerit, Paulus quoque vocatus sit; & ideo judicamus, hæc non esse distincta officia, sed nomina solùm, quibus diversè utuntur sacræ literæ, ad exprimendum eminentiores divinæ gratiæ emanationes & influxus, ita ut, si quis hodiè Evangelii minister gentem aliquam ethnicam ad fidem Christianam converteret, licet nullum aliud distinctum officium haberet, Pontificii & Protestantes tolerabile judicarent, talem istius gentis Apostolum nuncupare, vel Evangelistam. Hinc Ignatiani, vulgò Jesuitæ dicti, è gregalibus suis Indorum & Japoniæ Apostolos nuncupant; & Calvinus, reformationis respectu, ut antea observatum est, Apostolos aut Evangelistas fuisse suo tempore testatur, eoque respectu Iohannem Knox Scotiæ Apostolum frequenter vocatum esse cognovimus; ideoque concludimus, ministros, pastores, doctores unicum tantum officium comprehendere, & in omnibus istis unum solum officium esse, neque inter eos virtute distincti alicujus officii ullam præcedentiam dari; ad quod probandum non insistam, quia jam satis factum est ab aliis, qui diocœsianum episcopatum (ut vocant) negârunt.

XXVI. Quod ad primam objectionis partem, nimirum, quasi viderer inter populum & ministros nihil facere discriminis. *Respondeo*, Si intelligatur de libertate loquendi & per Spiritum prophetandi, omnes hoc facere posse affirmo, quando eo moventur, ut antea demonstratum est; sed & credimus & affirmamus, quosdam magis peculiariter ad opus ministerii vocatos, ideoque à Deo huic ministerio magis aptatos & suppeditatos esse, quorum opus est magis constanter & particulariter instruere, hortari, admonere, & in fratres vigilare; & sicut plus iis, eo respectu, incumbit, quàm communi unicuique fideli, ita illis, prout in tali relatione, à grege debetur talis obedientia & subjectio, qualis iis Scripturæ testimoniis notatur, Heb. 13:17. 1 Thess. 5: 12, 13. 1 Tim. 5:17. 1 Pet. 5:5. Etiam præter eos, qui hoc modo peculiariter ad ministerium & constantem in verbo laborem vocantur, sunt & seniores vel presbyteri, qui, licet ad frequentem in verbis declarationem non moveantur, attamen cùm tales sint, qui in experientia beati operis veritatis in cordibus suis incrementum adepti sunt, invigilant, & privatim juniores hortantur, pro viduis, pauperibus & orphanis curant, & vident nequid desit, ut pax, charitas, unitas, concordia & sanitas in ecclesia Christi præserventur, & hoc respondet diaconis illis, Act. 6.

Quod autem recusamus, est distinctio illa *Laici & Clerici* (quæ in Scriptura non invenitur) quâ nemo admittitur ad opus ministerii, nisi qui eâ causa in scholis educati, & in Logica, & in Philosophiâ, &c. instructi sunt, & sic artem prædicandi discunt, sicut quis aliam aliquam mechanicam artem discit; undè fit, quòd omnes alii honesti mechanici, qui hanc paganam artem non edidicerunt, excluduntur ab hoc privilegio; adde, quod, qui literatus & hoc modo edoctus est, honestam aliquam artem minimè oporteat exercere ad comparandum sibi panem, si ad ministerium aspiret, sed provideat, ut sibi beneficium aliquod comparet, & tunc habet mercedem securam ad sustentandum, & est quod ab aliis distinguatur colore vestium, & nigro solummodo vestiri, & magistrum artium esse, sed de his fusius postea.

XXVII. Ut hic modus separandi homines ad opus ministerii ordini primitivæ ecclesiæ Apostolorum temporibus similis non est, sic indè etiam multa mala sequuntur; nam primo parentes, videntes honorem & utilitatem cleros comitantem, liberos suos aliquando ab ipsa infantia huic muneri assignant, ideoque ex consilio ad hanc artem eos educant: aliique, ad adultam ætatem provecti, eadem causa, ad hoc munus se applicant, & naturalibus illis & acquisitis partibus studentes, quæ necessariæ ministerii qualificationes creduntur, eâ causâ admittuntur, & sic in voluptate, desidia, & inertia educti, existimant postea dedecori sibi esse, manibus suis laborare, quippè quod sufficiat iis, ex libris suis tantum expromere, quantum per horam semel vel bis hebdomade sermocinari possint. Gratia autem, donum & Spiritus Dei, ad vocandum, qualificandum & instituendum opus ministerii, minimè observatur, sed negligitur. Atque multi avari, corrupti, carnales homines, meram speciem, & formam habentes, sed internæ gratiæ in cordibus suis operationis prorsus ignari & peregrini, introducuntur, seque intrudunt, & per eos mors, sterilitas, siccitas & tenebræ, ac consequenter superstitio, error & idololatria intravit, & ecclesiam fermentavit; & qui seriò volunt intendere, perspicient hoc pacto apostasiam locum obtinuisse, cujus rei veritatis plura exempla dare possem, quæ brevitatis causa omitto. Sic enim officium, & honor, ac reverentia ei debita, annectitur mero nomini, nam simul ac aliquis episcopus vel sacerdos ordinatus est, confestim audiebatur & talis credebatur, licet vita, Spiritu & virtute, qua imbuti fuerunt veri Apostoli, prorsus caruerit. Ita ut brevi tempore successio facta sit nominis & tituli, eisque officium annecteretur, non autem naturæ virtutis & vitæ. Undè revera factum est, quòd cessavit illud ministerium Christianum, & illi ministri Christi

Christi esse, sed solummodo umbra & imago ejus fuit, quæ etiam forma & species interiit, & quibusdam seculis transformata, ut non tantùm substantia amissa, sed & forma omninò vitiata & depravata fuerit, ut multo verius de ecclesia Christianâ dici possit, quod de Thesei naviculâ olim in scholis disputari solebat, quæ tot novi ligni additionibus crebrò resarta & restaurata fuit, ut nihil primę materiæ relictum fuerit. Nam, quamvis de robustâ quercu ædificata esset, cum autem, corrupta modò abiete, resarta & postea etiam ita mutata esset forma, ut posterior priori nullo modo assimilis fuisset, tunc puto, quod absque disputatione omnibus concessum fuisset, planè alteram navem fuisse, nomen tantum, & nihil amplius, cum priore commune habentem. Secundò, ex hac distinctione *Laici* & *Cleri* hic etiam abusus sequitur, quia boni & honesti homines mechanici, aliique, qui hanc prædicandi artem non didicerunt, & ideo non sunt secundum præscriptas istas regulas licentiati, falsâ hac opinione imbuti, illicitum sibi esse ad ministerium aspirare ob istius literaturæ defectum, ideo donum in seipsis negligunt, & frequenter extinguunt puras Spiritûs Dei inspirationes in cordibus suis, quibus si non resisterent, forent ad ædificationem ecclesiæ longè utiliores, quàm multi illi literatorum exarati sermones. Et hoc modo Apostoli consilium & præceptum spernitur & negligitur, qui hortatur, 1 Thess. 5: 19, 20. *non extinguere Spiritum, nec prophetias spernere*: & totum hoc factum est ab hominibus, se Christianos indigitantibus, qui gloriantur, primos prædicatores, suæque religionis propagatores, fuisse mechanicos & illiteratos. Verumenimvero Protestantes non minus quàm Pontificii tales excludunt à ministerio suo, & hoc modo Spiritum & donum Dei limitant, & præfiniunt, quamvis patres eorum, opponendo se Pontificiis, contrarium affirmarent, & historiæ eorum declarent, quomodo ex illiteratis istis hominibus non pauci, sine istâ eruditione, vi divini Spiritûs, in nonnullis locis reformationi nonnihil contribuerint & contulerint.

Hisce constat, quomodo, ut in vocatione & qualificationibus, ita etiam in prædicando, orando, cæterisque ministerii partibus, unusquisque verus minister Spiritum Dei, virtute & vi sua eum comitantem & auxiliantem, cognoscere debet. Sed quia hæc ad cultum pertinent, sequente thesi, de cultu, ea fusiùs tractabo. Postremum nunc inquirendum & considerandum est de sustentatione & alimento ministri Evangelici. Sed antequam ad illud procedam, libet paucis de mulierum prædicatione dicere, & quid de hac re sentiamus, breviter declarare.

Cùm mas & fœmina idem ſint in Jeſu Chriſto, & cùm uni non minùs quàm alteri det Spiritum ſuum, igitur, quando in muliere movet Deus Spiritu ſuo, nullo modo illicitum iis eſſe in conventionibus populi Dei prædicare judicamus, neque putamus, illud Pauli, 1 Cor. 14: 34. ad redarguendas inconſideratas & garrientes inter Corinthios mulieres, quæ eccleſiam Chriſti inutilibus ſuis quæſtionibus moleſtabant, vel quod ait, *mulieres in omni ſilentio diſcere debere, non uſurpantes in hominem authoritatem*, 1 Tim. 2: 11. quicquam huic doctrinæ repugnare, quia patet, mulieres prophetaſſe vel prædicaſſe in eccleſiâ, alioquin illud Joëlis malè applicatum fuiſſet à Petro, Act. 2: 17. & cùm ipſe Paulus, in eâdem ad Corinthios epiſtolâ, det regulas, quomodo ſe gerere debeant mulieres in publicis ſuis prædicationibus & orationibus, manifeſta erit contradictio, ſi alter ille locus ſumeretur ſenſu latiore; idemque Paulus loquitur de muliere quâdam, quæ ſecum laboraverit in opere Evangelii: & ſcriptum eſt, habuiſſe Philippum quatuor filias, quæ prophetabant; & denique obſervatum eſt, Deum in hoc die efficaciter multorum animos ad ipſum, mulierum miniſterio, convertiſſe, quibus etiam frequenter filiorum ipſius animos conſolatus eſt, quæ manifeſta experientia nobis rem extra omnem controverſiam ponit: ſed nunc ad miniſtrorum ſuſtentationem pergam.

XXVIII. Libenter fatemur, ut ipſa theſis declarat, debere eos, ad quos Deus mittit, vel inter quos ſuſcitat miniſtros, ſi opus ſit, neceſſitates eorum ſupplere. Secundò, quod legitimum ſit iis, quod neceſſarium eſt, accipere. Ad hoc probandum, nihil eſt quod inſiſtam, cùm in controverſiâ non poſita ſit; hoc autem, & nihil magis, affirmamus iis Scripturæ teſtimoniis includi, Gal. 6: 6. 1 Cor. 9: 11, 12, 13, 14. 1 Tim. 5: 16. In hoc negótio igitur non oppugnamus neceſſario alimento, ſed, primo, limitato & coactivo. Secundò, ſuperfluo & ſumptuoſo. Tertiò autem, hujus rei manifeſto abuſui, de quibus etiam breviter agam.

Quod ad primum, coacti ſunt adverſarii recurrere ad exemplum Legis, quo utuntur refugio ad plurimos ſuos errores, & ſuperſtitiones defendendas, quæ naturæ & puritati Evangelii contrarię ſunt; *dicunt*, decimas Levitis deſtinatas eſſe, ergo etiam ad eos pertinere, qui ſacra ſub Evangelio miniſtrant. *Reſpondeo*; nihil indè colligitur, niſi quod, ſicuti ſacerdotes ſub Lege habebant alimentum aſſignatum, ita etiam debent miniſtri & prædicatores ſub Evangelio habere, quod non negatur: ſed comparatio minimè extendi poteſt, quaſi tantùm idem habere deberent, cùm, primò, nullum expreſſum Evangelii præceptum, hoc jubens, invenitur, nec à Chriſto,

nec

nec ab Apoſtolis ejus. Secundò, paritas nullo modo tenet inter Levitam ſub Lege, & præconem ſub Evangelio, quia Levitæ conſtituebant unum de tribubus Iſraël, ſicque titulum habebant ad partem hæreditatis in terra, non ſecus ac fratres ſui, quam, cùm nullam habebant, hoc ejus loco recipiebant. Præterea, decimæ decimarum modò aſſignabantur ſacerdotibus ad altare miniſtrantibus, reliquum autem Levitis cedebat, cujus pars etiam ad ſuſtentandas viduas & peregrinos ſepoſita erat. Hi autem prædicatores, licet, quod à parentibus habent, hæreditent, ſicut alii, decimas tamen omnes ſibi vendicant, nihil nec viduæ, nec peregrino attribuentes. Quod autem ad decimas, hæc ſufficiant; plurimi enim & fuſè & doctè hac de re ſeorſim tractarunt, & multi Proteſtantes fatentur, jure divino eas ſibi non eſſe aſſignatas, & paritatem non in *quota*, ſed *in obligatione dandi alimentum conſiſtere*. Quòd autem alimentum, licet auditores præſtare debeant, ſi tamen illi munere deficiant, à miniſtris nec recipi nec cogi debeat, probo, quia Chriſtus, cum Apoſtolos ſuos prædicatum miſerit, juſſit eos, dicens, *gratis accepiſtis, gratis date*, Matth. 10:8. & tamen liberum iis fuit, cibum & potum ab iis, qui libenter ipſis ad ſupplendam neceſſitatem offerebant, accipere. Unde liquet, eos non debere aliquid petere, ſeu vi aut coercitione efflagitare, & primò fœdus inire, ſicut prædicatores tam Proteſtantes quam Pontificii nunc faciunt, qui nemini volunt prædicare, donec primò certiorati ſint, tantum quotannis accipere; illi autem è contra munere ſuo juſſi fuerant fungi, &, ſicut gratis acceperant, ſic gratis diſtribuere, non petendo vel expectando aut deposcendo mercedem. Quam dat huic reſponſionem *Nic. Arnoldus*, exercitationis ſuæ Sect. 42:43. minimè obliviſci libet, ſed in ſcriptis præſervanda eſt ad perpetuam ipſius & fratrum ſuorum memoriam, ex animo enim hoc modo reſpondet, *nos gratis non accepimus, ergo nec gratis dare tenemur*. Reſponſionem ingenuam fateor & bonam. Si enim qui gratis accipiunt, gratis dare teneantur, videtur verè contrariorum regulâ ſequi, quòd qui gratis non accipiunt, nec gratis dare teneantur, & totum concedam. Oportet autem mihi quoque concedant, quod non per neque ſecundum gratiam & donum à Deo acceptum prædicent, neque poſſint boni diſpenſatores eſſe multifariæ Dei gratiæ, qualis verus unuſquiſque miniſter eſſe debet, vel donum hoc pecuniâ adepti ſunt, prout acquirere illud volebat Simon Magus, cum abſque pecunia non teneriſe illud rurſus dare exiſtiment. Sed, ut ipſe puto, ea mens eſt *Arnoldi*, quaſi dicat, ſi verum dicere velimus, noſtri Miniſtri, & Profeſſores non à gratiâ aut dono

præ-

prædicant & docent, ſed ab acquiſitis artibus & ſtudiis, quæ non ſine labore & pecunia in academiis nacti ſunt; ideoque, ſicut qui pecuniam publico collybo apponit, fœnus expectat; ſic hi ſcholaſtici, cum pecuniam impenderint, artem prædicandi diſcentes, verè dicere poſſunt, quod gratis non habeant, cum & pecunia & labore emerint, ideoque ſine pecunia & otio vendere nolunt. Sicut igitur pecuniam acquirit *Arnoldus*, docendo ſtudioſos ſuos artem prædicandi, ita vult iiſdem reſolvi, antequam aliis diſtribuant. Olim dictum eſt, *Omnia venalia Romæ*, ſed nunc poteſt hoc adagium ad *Franequeram* transferri. Cum igitur prædicaturi ſint *Arnoldi* diſcipuli, tutò mercedem requirere poſſunt ab auditoribus, repetentes iis magiſtri axioma, *nos gratis non accepimus, ergo neque gratis dare tenemur.* Sed nonne poſſunt, quæſo, auditores iis rurſus reſpondere, novimus inde, nec vos, nec magiſtrum veſtrum ejus miniſtros eſſe, qui, cum diſcipulos ſuos ad prædicandum emiſerit, eis hoc mandatum dedit, *gratis accepiſtis, gratis date*, ideoque prædicationem veſtram nolumus, propterea quod ex iis vos eſſe videmus, qui lucrum ſuum à termino ſuo expectant.

XXIX. Secundò, Scripturæ teſtimonia, hoc urgentia, ejuſdem naturæ ſunt cum iis, quæ liberalitatem & beneficentiam erga pauperes urgent, ſed hoc ad ſpecialem aliquam portionem non eſt limitandum, quia facta ultronea ſunt, ubi obedientia præcepti non in re datâ, ſed in voluntate dantis jacet, ut oſtendit Chriſtus in viduæ numulo. Quamvis ergo Chriſtiani teneantur externa miniſtris ſuis dare, nulla tamen poteſt quantitatis definitio eſſe, niſi proprio diſtribuentis conſenſu, & ab uno modicum magis, quàm ab altero multum, præcepto ſatisfacere poteſt. Ut igitur liberalitatis & hoſpitalitatis acta nec limitari, nec præſcribi, nec cogi poſſunt, ita nec hæc.

Si *objiciatur*, miniſtros poſſe & debere hortari, ſuadere, & Chriſtianos urgere (modo deficientes videant) ad actus liberalitatis & hoſpitalitatis, & ſic etiam ad ſuſtentationem miniſtris concedendam. *Reſpondeo*. Hoc nihil ad limitatam & coactivam ſuſtentationem adfert, quæ nullis Scripturę teſtimoniis nititur; fateor quidem, poſſe miniſtros in hac re, ſicut in aliâ, aliqua hortatione uti, ſicut hortatus eſt Corinthios Paulus, officium eorum iis demonſtrans, ſed expediret miniſtris hoc facientibus, ut teſtimonium ſuum magis valeret, ab omni avaritiæ ſuſpicione & ſui quæſitione liberos eſſe, ut cum Apoſtolo in conſpectu Dei verè dicere poſſint, 1 Cor. 9:15. *Ego autem nullo horum uſus ſum, non autem ſcripſi hæc, ut ita*

fiant

fiant in me. Et ver. 18. *Qua est ergo merces mea? ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate meâ in Evangelio.*

Tertiò, Sicut nec præceptum nec exemplum habet in Scripturis limitata aut coactiva sustentatio, sic Apostolus, in solenni sua senioribus ecclesiæ Ephesinæ valedictione, hâc illis interdixit, Act. 20:33, 35. Sed si hoc vel legitimum fuit, vel tunc temporis usitatum, potius hortatus fuisset eos Apostolus, ut limitata sua mercede contenti essent, & non amplius quærerent; sed verò exemplo suo iis præcipit, *nullius argentum, nec aurum, nec vestem concupiscere.* Secundò, *manibus suis necessitatibus ministrare*, sicut ille fecerat. Et denique, ad hoc illos hortatur à verbis Christi, *quia beatius est dare, quàm accipere*; indè ostendens, hoc non debere verum ministrum concupiscere, vel expectare, sed potius, quando necessitate eò ductus est, ut accipiat, quasi afflictionem, & onus existimare.

XXX. Quarto, si limitata & coacta sustentatio supponeretur, similes Christi ministros faceret mercenariis istis, quos Prophetæ tantoperè redarguebant. Si enim aliquis conducatur, populo prædicare tali vel tali quotannis mercede, ita ut absque illâ nolit prædicare, & recusantes vi urgere quærat, negari non potest, talem pro mercede prædicare, & lucrum suum ab extremis suis expectare, bellumque illis indicere, qui ori ipsorum non indunt: sed hæc peculiaria falsorum prophetarum signa sunt, ideoque veris Christi ministris minimè competere possunt.

Deinde, quòd sustentationem superfluam, id est, plus quàm opus est, non deceat Christianos ministros accipere, probatione longâ non eget, cùm hoc & moderatiores tùm Protestantium, tùm Pontificiorum fateantur, qui unâ voce contra immoderatos clericorum reditus exclamant: quòd autem probatione Scripturæ non egeat palam est, quid luculentius esse potest illo Apostoli 1 Tim. 6: 7, 8, 9, 10. ubi ostendit, quô debemus contenti esse, & periculum eorum, qui multum concupiscunt; & cum necessitas ministrorum causa & occasio sit obligationis, iisdem sustentationem tribuendi, &, qui laborandi opportunitatem habent, magis, si id faciunt & nihil recipiunt, commendantur, ideo nullo modo iis legitimum esse potest, magis, quàm sufficit, accipere, & si reverâ pii essent, licet pauperes & egeni, potius modicum acciperent, quàm multum concupiscerent.

XXXI. Quòd autem magni sint hac in re abusus & excessus inter Christianos, valli illi reditus, quos possident episcopi & cæteri cleri, &

inter Pontificios & inter Protestantes, satis ostendunt, cùm posse me absque hyperbole dicere existimem, multos hodiè cleros plùs singulis quibusque annis possidere, quàm per totam vitam & Christus & Apostoli ejus omnes impenderunt, qui tamen, quòd necesse fuit ad sustentationem externi hominis, non caruerunt, &, procul dubio, digniores fuerunt, quàm qui hodiè abundantiâ illâ fruuntur. Sed abundè patet, episcopos, & hodiernos clericos ita pinguia sua beneficia amare, hujusque mundi voluptates & luxuriam diligere, ut nolint nec Christi, nec Apostolorum ejus exemplum nec consilium in hoc negotio sequi.

Sed frequenter *objicitur*, Christianos adeò obduratos evasisse, & rerum Spiritualium insolicitos, ut, si ministri certam & stabilitam sustentationem non haberent, illi & familiæ eorum fame perirent. *Respondeo*, Ponderis aliquid in hac objectione esse quoad ministerium carnale, ex hominibus naturalibus constitens, qui nullam vitam, vim, nec virtutem habent, & sic talem sustentationem tali ministerio necessariam insinuat, sed nihil dicit, quoad eos, qui à Deo vocati & missi sunt, *qui neminem ad militandum propriis stipendiis mittit*, & illius ergò egrediuntur in authoritate & virtute Dei, ut convertant populos ad lumen è tenebris; tales enim Deo credere & in illum confidere possunt, qui eos mittit, ideoque non dubitant, quin iis provisurus sit Deus, qui à nemine requirit, cujus non dat vim præstandi, & reversi respondere possunt, se nihilo caruisse. Et tales etiam, si in loco aliquo permaneant (cùm immediatè â Deo suppeditati sint, nec opus habeant libris ad prædicandum & tempus studendo conterere) ad laborandum manibus suis se [illegible], sicut fecit Paulus, quando ecclesiam Corinthiorum plantavit, & quidem, si admittenda esset quasi alicujus momenti hæc objectio, nunquam ad convertendas nationes egressi fuissent primitivi pastores esuriei metu. Annon docet nos doctrina Christi omnia experiri & omnia abnegare, ut Deo serviamus? Num possint igitur illi Christi ministri haberi, qui timent illum prædicare, ne forte pecuniâ careant, vel qui nolunt prædicare, donec certi sint pecuniam accipiendi? Quò usus ministerii, nisi ad sanctos perfectos faciendos, & ab istâ cordis obduratione convertendos? Sed dices, sic laboravi, prædicavi, & adhuc obdurati manent, nec mihi aliquid dare volunt. Certè igitur ad eos, vel à Deo non emissus es, & ideo ministerium tuum & prædicatio non fuit in vi, virtute & vitâ Christi, & proinde nihil meteris: vel rejecerunt testimonium tuum, & indigni sunt, & à talibus nihil expectare, imò nec recipere debes, etiamsi dare vellent, sed excu-

tere

tere pulverem de pedibus tuis debes, eosque deſerere. Sed quàm nugatoria & frivola ſit hæc objectio, indè patet, quod notum ſit, temporibus maximè caliginoſis & ſuperſtitioſis cleri reditus magis creviſſe, & largiùs auctos eſſe, quamvis minimè meriti ſint. Qui igitur verè à Deo delegatus eſt, ne prorſus quidem famis ſeu inopiæ timidus erit, nec quidem debet, dum tàm bono Domino ſervit, neque unquam munus ſuum obire eâ cauſâ abſiſtet. Itaque qui hanc objectionem movent, oſtendunt, quòd non Chriſto Domino, ſed ventri ſuo ſerviant, ideoque tam ſoliciti ſunt, ne cibus ventri deſit.

XXXII. Sed denique, quod attinet ad hujus alimonii abuſus, qui eos ſigillatim peragere velit, facilè volumen integrum faceret, tot & tanti ſunt. Hic enim, ſicut in aliis, abuſus cum magna apoſtaſia irrepſit, cùm nihil tale fuerit primitivis temporibus; tunc ſibi non decimas, neque limitatum & certum ſtipendium vendicabant miniſtri, ſed eorum, quibus opus erat, neceſſitatibus ſuppeditabat eccleſia, alii manibus laborabant. Sed transactis perſecutionibus, cùm Imperatores & Principes Chriſtianitatis profeſſionem & nomen aſſumpſerunt, magnatum illorum zelo jamjam abuſus eſt clerus avaritiâ ſuâ, qui diſcebat citò domunculis & manſiunculas ſuas cum principum palatiis mutare, neque ceſſarunt, donec gradatim eorum quidam ipſi Principes facti ſunt, in ſplendore, luxuriâ & magnificentiâ vivendi illis nullo modo cedentes: methodus equidem vivendi, quam nec Paulus ſcenofactorius, nec Petrus & Johannes piſcatores unquam concupiverant. Neque forte putabant, quod ulli, eorum ſucceſſionem prætendentes, ad talia proveherentur; & quam primùm epiſcopi iſti illo modo ſtabiliti & conſtituti fuerunt, tunc, vitam Chriſtianam obliviſcentes, frequenter inter ſe contendere cæperunt de præcedentiâ & reditibus, unusquisque principale & pinguius beneficium ambiens; & perluctuoſum eſt conſideratu, quàm citò impietas hæc inter Proteſtantes irrepſit, ac quàm citò cleri cæperunt vetere uti ſtilo, & apertè oſtendere, quòd, licet Romanum Pontificem deſeruerint, antiqua beneficia amittere nolebant; ideoque, ſimulac principes aliqui vel ſtatus jugum Papale abjeciſſent, & abbatias, monaſteria, cæteraque ſuperſtitionis monumenta demoliri cæpiſſent, cæpit etiam clerus reformatus magiſtratum hortari, ne eccleſiæ patrimonium tangeret, contra legitimum eorum bonorum, quæ ſuperſtitioſè olim eccleſiæ (ut dicebatur) data fuere, uſum ad reipublicæ utilitatem ſeverè exclamantes, & ſacrilegium vocantes.

Sed hoc alimenti genus pro cleris & ministris præservando, primò, proponitur quasi avaritiæ illecebra, quæ idololatria est, & omnium rerum periculosissima: nam avaritiæ gratiâ, lucri cupiditate ducti, plerique se ad ministerium applicant, ut indè annonam trahant; ut si quis plures filios habet, unum ministerio destinabit, quem si admissum hâbere possit, non secus quàm patrimonium judicat, & pinguia beneficia semper plures expectantes habent; & qui ambitus, qualis industria, & pudendæ actiones ad ea acquirenda fiunt, satis notum est, & probatione non eget.

Quod scandalum hoc pacto inter Christianos suscitatum est, indè patet, quod in adagium seu diverbium venit, *ecclesiam semper avaram esse.* Neglecto enim dono & gratiâ Dei, non aliâ ferè regulâ utuntur, ad hanc potiùs vel illam ecclesiam eligendam, quàm opimiore reditu. Nam licet hypocriticè simulent, quando ecclesiam aliquam intrant & pro grege acceptant, nihil ante oculos habere, quàm Dei gloriam, & animarum salutem; si tamen pinguius beneficium ilicò se offerat, magis ad Dei gloriam facere inveniunt, deserere priorem, & illuc abire, & sic non dubitant frequenter e loco ad locum circumire, dum interea nos accusant, quod ministros foras proficisci permittimus, quod nos approbamus, non lucrandæ pecuniæ causâ, sed Dei motui obediendi; siquis enim in particulari aliquo loco ministrare evocatus sit, illinc removere non debet, donec denuò revocaverit illum Deus, & tunc morigerari debet, Dei enim voluntatem, & non majoris pecuniæ & lucri amorem, removendi causam facimus.

Secundò, Ab hoc abusu provenit illa luxuria & inertia, in quibus plerique clericorum vivunt, imò inter Protestantes non minùs quàm Pontificios, ad magnum Christianitatis scandalum; legitimas enim artes, ut manibus laborent, non habentes, & ita superfluè & abundanter suppeditati, in inertiâ & luxu vivunt: & superbia, vanitas & hujus mundi gloria in uxoribus, liberis & apparatibus suis non minùs apparet, quàm in alio ullo hominum genere, quod omnibus manifestum est.

Tertiò, Hoc modo ita pecuniæ amori conglutinati fiunt, ut nullos pares habeant in malitiâ, rabie & crudelitate; si merces eorum iis denegetur, debacchantur, furunt, insaniunt, sæviuntque. Creditori severissimo citius satisfacere quivis potest, quàm iis; universus pauperum clamor hoc confirmat, multò enim diligentiores in decimandis ovibus, anseribus, porcis & ovis sunt, quàm in gregem invisendo; minimum numulum hic desiderabunt, & pauperrima vidua avaras eorum manus evadere nequit

nequit: viginti mendacia audire volunt ſine redargutione, & totidem juramenta poſſit quilibet coram eis jurare abſque eorum ſcandalo, & pejora his multò tranſire poſſunt. Sed ſi quid iis debeas & nolis ſolvere, tunc nihil niſi bellum tonitruant in te, & horribili ſacrilegii titulo ſtigmatizabunt, & ad inferos ſine miſericordiâ te mittent, quaſi peccatum in Spiritum ſanctum perpetrâſſes. Nos omnium hujus rei maximè experti teſtes ſumus: cùm enim demonſtraverit nobis Deus corruptum hoc & Antichriſtianum miniſterium, & ex eo evocaverit, ac ad ſuam virtutem & vitam converterit, ut populus ſeparatus eſſemus, ideo nec oribus illorum indere, aut eos fovere poſſumus. O quantum malitiæ, invidiæ & rabiei ſuſcitatum eſt hinc in illis contra nos! nam licet merces eorum emere nolimus, tamen laborant nos cogere pecuniam iis dare, & quæ paſſi ſumus hoc reſpectu, penè inenarrabilia ſunt. Qui crudelitatis eorum, & inhumanitatis, quâ uſi ſunt, hiſtoriam perſcriberet, volumen magnum foret. Eò invidiæ & rabiei proceſſerunt avari iſti mercenarii, ut malitiâ eorum permulti pauperes agricolæ, ſæpè centum milliaribus à domibus ſuis, carcere incluſi fuerint, ubi quidam duos, quidam tres, imò quidam ſeptem annos manſere viginti aſſibus, & minoris. Ipſe viduam novi, quæ pro decimis anſerum, non ad quinque aſſes æſtimatis, quatuor annos, triginta à domo ſuâ milliaribus, incarcerata eſt. Quinimò vi quorundam bona ad centuplum ſuper decimarum valorem diripuere, & non paucorum hac causâ innocuus ſanguis effuſus eſt, qui fœtidis & putidis carceribus mortui ſunt, & clericorum quorundam talis fuit rabies, ut, non bona diripiendo contenti, ipſi furioſi manibus ſuis innocentes homines verberârint, concuſſerint & vulnerârint, quia in ora eorum ponere, conſcientiæ cauſâ, non potuerunt.

Ad omnes igitur hos abuſus removendos & reformandos, neceſſe erit, fundamentum & occaſionem removere, nempè omnem limitatam, coactam & certam ſuſtentationem & ſtipendium: &, cùm reditus illi olim à populo dati ſint, ut in publicam gazam revertantur, quo pacto populus multis publicis quæſtibus & vectigalibus exonerari poſſit. Qui autem vocant aliquem ad prædicandum, & ſibi doctores & inſtructores aſſumunt, etiam eos ſuſtentent & alant. Quod ad eos, quos Deus vocat & movet ad opus miniſterii Spiritu ſuo, qui recipiunt eos, & miniſterii eorum bonum ſentiunt, proculdubio pro iis curabunt, quod neceſſe iis erit, neque lege opus erit ad cogendam pro iis mercedem; qui enim emittit illos, providebit, & illi etiam victum & amictum habentes contenti erunt.

XXXIII. Dictorum igitur hæc ſumma eſt. *Miniſterium illud, quod nos defendimus, tuemur & volumus, per omnia ſimile eſſe miniſterio Apoſtolorum & primitivæ eccleſiæ. Quod autem defendunt & cui patrocinantur adverſarii, per omnia ſimile eſſe falſis Prophetis & doctoribus, quos condemnat Scriptura*, quod breviter hoc modo illuſtrari poſſit.

1. *Miniſterium & miniſtri, quos nos defendimus, in patrocinium ſuſcipimus & volumus, tales ſunt, qui vocati & divino Spiritu miſſi ſunt ad opus miniſterii*, quales fuerunt olim ſancti Prophetæ & Apoſtoli, ut conſtat ex omnium Prophetarum ſcriptis, Matth. 10: 1, 5. Eph. 4: 11. Heb. 5: 4.

1. *Sed illud, quod adverſarii tuentur & defendunt, Miniſterium & miniſtri tales ſunt, qui nullam immediatam à Chriſto vocationem habent, quibus miſſio & motio Spiritus minime neceſſaria habetur: ſed qui vocati ſunt, miſſi, ordinati ab impiis & iniquis hominibus*, tales olim fuere falſi Prophetæ & Apoſtoli, ut liquet ex Jer. 14: 14, 15. item cap. 23: 21. & cap. 27: 15.

2. *Quos nos defendimus & volumus miniſtros, tales ſunt, qui Dei Spiritu acti & ducti vi & operatione gratiæ ejus, ſecundum menſuram aliquam, converſi & regenerati ſunt, adeoque pii & gratioſi homines ſunt*, quales olim fuere ſancti Prophetæ & Apoſtoli, ut patet ex 1 Tim. 3: 2, 3, 4, 5, 6. Tit. 1: 7, 8, 9.

2. *Sed quos defendunt & quibus patrocinantur adverſarii, tales ſunt, quibus Dei gratia eſt qualificatio minime neceſſaria, igitur ſecundum eos veri miniſtri eſſe poſſunt, l cet impii & profligati viri ſint*, quales olim fuere falſi Prophetæ & Apoſtoli, ut patet, Mic. 3: 5, 11. 1 Tim. 6: 5. 6, 7, 8. &c. 2 Tim. 3: 2. 2 Pet. 2: 1, 2, 3.

3. *Quos miniſtros defendimus & quibus patrocinamur nos, tales ſunt, qui agunt, movent & laborant in opere miniſterii non à merâ ſua naturali vi & potentia, ſed ſicut aguntur, moventur & ſuffulciuntur Spiritu Chriſti, ſecundum donum receptum miniſtrantes, ut boni diſpenſatores multifariæ Dei gratiæ*, tales fuere ſancti Prophetæ & Apoſtoli, 2 Pet. 4: 10, 11. 1 Cor. 1: 17. 1 Cor. 2: 3, 4, 5, 13. Act. 2: 4. Matth. 10: 20. Marc. 13: 11. Luc. 12: 12. 2 Cor. 13: 2.

3. *Sed quos defendunt & quibus patrocinantur adverſarii, tales ſunt, qui nec expectant nec opus habent Spiritu Sancto, ad agendos & movendos eos in opere miniſterii, ſed quod agunt & faciunt ex mera vi naturali, videlicet quod collegerunt & furati ſunt ex libris, & ex litera Scripturæ, pronun-*

nunciantes illud etiam vi sapientiæ suæ & eloquentiæ, & non in evidentia Spiritus & virtutis : tales fuere olim falsi Prophetæ & Apostoli, ut patet ex Jer. 23:30, 31, 32, 34, &c. 1 Cor. 4: 18. Jud. 16.

4. *Ministerium & quos nos tuemur & patrocinamur ministros, cum sint humiles, præcedentiam & prioritatem non ambiunt, sed potiùs sibi invicem in amore serviunt, neque colore vestium ab aliis distingui cupiunt, nec dilatatis phylacteriis utuntur, nec salutationes in foro, nec primas cathedras in synagogis affectant, nec primos recubitus in cœnis, nec ab hominibus DOMINI dici volunt*, &c. quales volebant & qualiter faciebant falsi Prophetæ & Apostoli, ut patet, Matth. 23.8,9,10. & 20.25,26,27.

4. *Sed quos volunt adversarii, pro superioritate inter se velitantur, & supra dicta omnia ambiunt & affectant*, sicut olim fecere falsi Prophetæ & Apostoli, Matth. 23.5,6,7.

5. *Quos nos defendimus & volumus ministros, cum gratis acceperint, gratis distribuunt, nullius aurum, argentum, aut vestes concupiscentes, non hominum bona, sed ipsos quærunt, & animarum salutem, pro sustentatione suâ laborantes, adeoque necessitatibus suis suppeditantes : & si ministerii cujus à labore manuum suarum necessario impediantur, quod gratis iis datur ab eis, quibus spiritualia communicaverint, id accipiunt, & victum & amictum habentes contenti sunt* ; tales fuere olim sancti Prophetæ, & Apostoli, ut constat ex Matth. 10.8. Act 20.33,34,35. 1 Tim. 6.8.

5. *Sed quos tuentur & volunt adversarii ministros, tales sunt, qui, cum gratis non acceperint, nec gratis dare volunt, sed avari sunt, quæ non decent, facientes turpis lucri gratia ; mercede prædicant, & pecuniâ divinant, & in eos bellum intendunt, qui in ora eorum non indunt*, &c. *canes avidissimi, qui non possunt satiari, pastores qui seipsos, non gregem pascunt, adipem comedentes, & lanam induentes, sequentes viam Balaam, qui mercedem iniquitatis amavit.* Sic fuere olim falsi Prophetæ & Apostoli, Isa. 56.11. Ezech. 34.2, 3,8. Mic. 3.5,11. Tit. 1.10,11. 2 Pet. 2. 1,2, 3: 14,15.

Et ut verbo dicam, *nos volumus & propugnamus ministerium spirituale, purum & vivum, ubi ministri vocantur, qualificantur, ordinantur, aguntur, ducuntur & moventur in omnibus ministerii sui actionibus per Spiritum Dei, absente quo Spiritu & ministerium & ministros Christi abesse* judicamus.

Sed illi, hanc vitam, gratiam & Spiritum essentialem sui ministerii partem non existimantes, tuentur & defendunt ministerium humanum, carnale, siccum, sterile & mortuum ; cujus, heu ! vidimus fructus in plerisque eorum

rum ecclesiis, de quibus certè verificatur, Jer. 23. 32. *Cùm ego non miserim eos, neque præceperim eis, & omninò non possint prodesse populo huic, dictum* IEHOVÆ.

Thesis Undecima.

Omnis verus cultus, & Deo gratus, oblatus est Spiritu suo movente internè, ac immediatè ducente, qui, nec locis, nec temporibus, nec personis præscriptis limitatur: nam licet semper nobis colendus sit, quòd oporteat indesinenter timere coram illo, tamen, quoad externam significationem in precibus, elogiis aut prædicationibus, non licet ea perficere nostrâ voluntate, ubi & quando nos volumus; sed ubi & quando eò ducimur motu & secretis inspirationibus Spiritûs Dei in cordibus nostris; quæ Deus exaudit & acceptat, qui nunquam deest, nos ad precandum movere, quando expedit, cujus ille solus est judex idoneus. Omnis ergo alius cultus, elogia, preces sive prædicationes, quas propriâ voluntate suaque tempestivitate homines peragunt, quas & ordiri & finire ad libitum possunt, perficere vel non perficere, ut ipsismet videtur, sivè formæ præscriptæ sint, sicut Liturgiæ, &c, sivè preces ex tempore per vim facultatemque naturalem conceptæ, omnes ad unum sunt cultus superstitiosus Græce ἐθελοθρησκία, & idololatria abominabilis in conspectu Dei, quæ nunc in die Spiritualis resurrectionis ejus deneganda & rejicienda sunt, à quibus separare nos oportet, utcunque illi placuerit (qui temporibus ignorantiæ connixit, habito respectu ad simplicitatem & integritatem quorundam, causâ innocentis sui seminis hominum cordibus, quasi sub superstitionis illius massâ, sepul-

ſepulti) iſtis afflare, & ſuſpitia aliqua ſua ſuſcitare & exaudire; idque tantiſper, dum dies clariùs illuceſceret & exoriretur.

I. Hominis erga Deum officium præcipuè ſtat in his duobus generalibus. Primò, in ſanctâ conformitate cum purâ lege & lumine Dei, malum deſerendo, & perpetua & moralia illa juſtitiæ & æquitatis præcepta obſervando. Secundò autem, in reddendo Deo illam venerationem, honorem & adorationem, quam requirit, & à nobis poſtulat, ideoque cultus dicitur. De priore hactenus loquutus ſum, & etiam de variis inter Chriſtianos conditionibus, prout diſtinguuntur ſecundum diverſas menſuras gratiæ unicuique tributas, & diverſas ſuas ſtationes, quas habent in corpore Chriſti, quod eſt eccleſia. Nunc progredior, ut de cultu, vel de illis actis, ſive privatis, ſive publicis, ſive generalibus, ſive particularibus, dicam, quibus homines Deo reddunt illam officii ſui partem, quæ ad Deum immediatè ſpectat; & ſicut *obedientia ſacrificio præſtat*, ita nullum gratum ſacrificium eſt, niſi illud, quod eſt ſecundum ejus voluntatem, cui offertur. Sed homines, cùm facilius eſſe viderint, ſuis voluntatibus ſatisfacere, quàm Dei voluntati obtemperare, ſine obedientiâ ſacrificia multiplicârunt, & putantes Deum decipere, quemadmodum ſibi invicem agunt, illi reverentiæ, honoris & cultûs ſpeciem tribuunt, dum intus à ſanctâ ejus & juſta vita alienati, & omninò peregrini ſint puris inſpirationibus Spiritûs ejus, in quo ſacrificium & cultus acceptus tantummodo offertur. Indè factum eſt, quòd nihil, ad hominis officium erga Deum pertinens, magis, inter univerſum hominum genus, vitiatum ſit, & in quo magis prævaluerit diabolus, & hominum animis abuſus ſit; & ſicut inter alios multos, ita etiam inter eos, qui ſe Chriſtianos profitebantur, nihil magis corruptum, & in deterius vergebat, ut quidam Pontificii, & omnes Proteſtantes fatentur; ſicut libenter approbo, quicquid hac in re à Pontificiis reformârunt Proteſtantes, ſic hac vice non iis controverſiis, quas de hoc habent, me immiſceo; ſufficiet ſolùm me cum illis abnegare, tanquam nullam divini cultus partem, abominandam illam ſuperſtitionem & idololatriam, *miſſam* nempè *Papalem*, *adorationem ſanctorum & Angelorum*, *venerationem reliquiarum*, *viſitationem ſepulchrorum*, cæteraſque illas ſuperſtitioſas ceremonias, *confraternitates*, *& peregrinationes Romanæ ſynagogæ*. Quibus omnibus Proteſtantibus ma-

 niſeſtum

nifestum est, Antichristum magis in hoc negotio, quàm in ulla aliâ Christianæ religionis parte, operatum esse, ideoque expedire & decere eos propius considerare, num hìc perfectam & veram reformationem fecerint, de quo stat inter nos & illos controversia. Videmus enim, quòd ex ramulis & rivulis aliquot absciderint, radicem tamen & fontem retinent, cultum *sc. l.* in hominis voluntate & spiritu, non Dei Spiritu, peractum; verus enim & spiritualis Dei cultus tam citò amissus fuit, & sapientia ac voluntas hominis ita maturè se illi immiscebat, ut apostasia hoc respectu & prima & maxima, & ab illâ reformatio, quoad radicem, difficillima fuerit. Ne igitur subitò suboffendatur Lector ad thesis nostræ narrationem, patienter attendat, quoad sensum nostrum hac in re explanemus, tunc (juvante Deo) speramus, ut, licet loquendi ratio & doctrina nostra hoc loco maximè singularis, & ab aliis Christianitatis professoribus differens sit, illam tamen maximè conformem puræ religioni Christianæ, & ut observatu quàm necessariam, ita & creditu & actu dignissimam esse agnoscat; & ne detur fallaciæ locus (quoniam necesse nobis fuit breviter, ideoque magis obscurè & dubiè, thesi ipsâ loqui) expedit primò loco sensum nostrum exhibere & enodare, & controversiæ statum aperire.

II. Et primò, consideretur, quòd hìc affirmatur, solummodo de Dei cultu, temporibus his evangelicis, dici, & non de cultu, qui vel ante vel sub Lege fuit. Particularia enim præcepta, tunc hominibus data, non sufficient, ut nos eadem nunc agamus; alioquin liceret nobis hodie, quæ offerebant illi, sacrificia mactare, quæ omnes cessâsse haud diffitentur. Quod igitur tempore Legis & commendatum & acceptum fuit, hodiè superstitionis imò & idololatriæ accusari potest. Quocirca ineptissimè hoc respectu furit *Arnoldus*, contra hanc thesin, *Exercit.* suæ *sect.* 44. dicendo, *me omnem cultum Dei publicum proscribere, illosque idololatriæ condemnare, qui tempore Enoschi publice nomen Dei invocare cæperunt, & qui ad mandatum Dei ter Hierosolymis cultûs divini gratiâ confluebant, & Annam, Sineonem, Mariam, &c. publica sacra frequentantes.* Talis, inquam, consequentia à dictis meis ineptissima est, nec minùs absurdè, quàm si dicerem, Paulum Apostolum, Moysen & Prophetas insciti æ & stultitiæ accusâsse, quia Galatas, ad Mosaïcas ceremonias & ritus revertentes, ignaros & stultos appellat: impetuosus homo, temporum dispensationes non advertens, in hanc ineptiam prolapsus est. Licet potuerit cultus spiritualis præstari, & proculdubio à plerisque sub Lege in multâ simplicitate præstaretur, non inde sequetur, nihil hodie superstitionis fore omnibus illis cere-

ceremoniis uti, quæ à Deo Judæis dispensatæ fuerunt, non quasi ad verum cultum essentiales, aut necessariæ ex seipsis, vel ad transmittendam & præservandam, inter Deum & populum suum, communionem, sed in concessione ad imbecillitatem illius populi, qui ad idololatriam pronus erat: licet enim hic, sicut in plerisque aliis, etiam sub lege, possiderent substantiam spirituales, velata tamen & pluribus ritibus circumfusa erat, quibus non licet nobis uti nunc sub Evangelio.

III. Secundò, licet dicam, hunc cultum nec locis, nec temporibus, nec personis limitatum esse, nollem tamen ita intelligi, quasi proscriberem præscripta tempora & loca ad colendum. Absit talem me fovere sententiam. Non ex iis sumus, qui deserunt congregationes nostras, sed & certa tempora & loca habemus, in quibus diligenter congregamur, (neque ab iis expelli possumus vel minis, vel persecutionibus hominum) ut Deo attendamus, illumque expectemus & colamus. Convenire igitur populo Dei necessarium judicamus, quia, dum externis his tabernaculis vestimur, necessarium est, ad communem & visibilem societatem fovendam, & testimonium pro Deo externum gerendum, ut corporibus concurramus, non minùs quàm spiritibus, videndo alter alterius faciem. Si etiam adsit internus amor, & spirituum unitas, magnoperè sanctos animat & reficit. Sed quam condemnamus limitationem, illa est, quòd, cùm Spiritus Dei debeat esse immediatus actor, motor, impulsor & auxiliator hominum in particularibus cultûs actibus, quando conveniunt sancti, Spiritus hic limitetur in operationibus suis.

Et ideo condemnamus eos, qui particularem hominem, vel homines ad prædicandum in humanâ voluntate evehunt, ita ut cæteri omnes excludantur, imò vel à credendo, quòd debeant attendere Spiritui Dei ad eos in talibus movendos; & sic illud negligunt, quô in semetipsis vivificari deberent, &, non expectando puras spirationes Dei Spiritûs sentire, eumque sequi, ducuntur solummodo ex prædicatore pendere, illumque loquentem audire.

Condemnamus etiam, quòd illi prædicatores non illuc veniant, ut cum Domino conveniant, & internos motus & operationes Spiritus attendant, & tunc orent, aut prædicent, sicut in illis Spiritus movet, spirat, & elocutionem dat, ac sic verbum opportunè, ad reficiendam animam languentem, & ut præsens populi conditio & status postulat, loquantur, patiendo Dei Spiritum populi corda præparare, & prædicatori eloqui dare, quod expedit, & iis opportunum est. Sed ille, *scil.* orator,

non attendens, nec internam Spiritus influentiam sentiens, quod in musæolo humanâ sapientiâ & literaturâ, secundum voluntatem [illegible] propriam, commentus, & è sacris veritatis Scripturis, aliorumque scriptis suffuratus est, colligendo & consuendo, eorum verba, quantum sufficiat illum per horam, dum effluit clepsammidium, loquentem sustinere, declamat, utrum populi conditioni conveniat nec ne; & quando orationem absolvit, etiam in propria voluntate preces fundit, & *sic finitur*. Hic autem de more cultus, sicut Deo nullomodo plausibilis est, sic etiam quàm inutilis & infructiferus sit iis, qui eo utuntur, hodiernus nationum status abundè demonstrat. Apparet igitur, nos minimè præscriptis pro cultu temporibus contradicere, licet hoc *Arnold.* contra hanc thesin *sect.* 45 non minùs ineptè asseveret, illud probare offerens, quod nos minimè negamus: quamvis autem tempora illa, externæ convenientiæ causâ, præscripta sint, attamen cum Pontificiis non putamus dies illos sanctos esse, nec sic populum in superstitiosam eorum observationem ducimus, quandoquidem exploratum & compertum habemus, omnes dies æquè sanctos esse in conspectu Dei. Et quamvis minimè consilium meum sit longâ digressione de controversiis, quæ etiam inter Protestantes sunt de die, vulgò *Dominico* dicto, agere, quoniam tamen hoc loco non incongruum est, sensum nostrum eâ de re breviter subjungam.

IV. Quum nihil tale in sacris literis reperiamus, adeò superstitiosi esse non possumus, ut credamus vel Judaïcum sabbathum nunc continuare, vel primam feriam antitypum, vel verum sabbathum Christianum esse, quod cum Calvino sensum magis spiritualem habere existimamus, ideoque nullum morale præceptum, virtute quarti mandati vel alibi, novimus ad primam feriam observandam, neque ei ullam sanctitatem inhærere putamus. Quia tamen, primò, perneccessarium est, ut tempus quoddam seponatur, quo ad Dei cultum Christiani conveniant. Secundò, quia expedit, ut illo tempore ab aliis externis negotiis liberentur. Tertiò, quia ratio & æquitas indulget servis & bestiis tempus aliquod, quo à constante labore leventur. Et quartò, quia patet Apostolos & primitivos Christianos primâ hebdomadæ feria ad colendum convenisse. His argumentis nos satis adductos judicamus, illud etiam facere, non superstitiosè, ut plerique Protestantes faciunt, Scripturas detorquendo, ad aliam rationem confingendam, quorum ineptias alii Protestantes, imò ipse Calvinus, in quartum mandatum abundè demonstrârunt. Et licet illo die conveniamus & à labore abstineamus, habemus tamen alia tempora, quibus etiam congregamur.

V. Tertiò

V. Tertiò, licet, ſecundum ſcientiam Dei, nobis à Spiritu revelatam, per clariorem Lucis diſpenſationem, quam credimus nobis Deum hac ætate manifeſtam feciſſe, officium noſtrum eſſe judicamus, Spiritualem illum & purum cultum, qui & Deo acceptus, & teſtimonio Chriſti & Apoſtolorum magis eſt conſentaneus, exhibere, quinimò & ſuperſtitionem illam manifeſtam ac idololatriam denegare, nec non formalem illum, ad libitum humanum, cultum, qui non ſtat in virtute Dei, & quem Apoſtolus ἰσλοθρησκεία nuncupat, condemnare; non tamen ita negamus integrum cultum eorum omnium, qui nomen Chriſtianitatis gerebant apoſtaſiæ tempore, quaſi Deus nullas eorum preces exaudiverit, nec ipſos acceptos habuerit. Abſit à nobis, ita charitatis expertes eſſe; poſtrema pars theſeos contrarium oſtendit; & licet ex unâ parte non tam abſurdi ſimus, ut concludamus, propter errores & tenebras, quibus multi in Babylone cooperti & circumſepti fuerunt, nullas eorum preces exauditas, aut Deo acceptas fuiſſe, ita nec ex alterâ parte adeò incauti erimus, ut concludamus, quia Deus eos exaudivit, & commiſeratus eſt, debere nos in iſtis erroribus & tenebris permanere, & ex Babylone non exire, cùm Deus nobis eam patefecerit. Papalem miſſam, & veſperas, quoad ſubſtantiam, abominandam idololatriam & ſuperſtitionem eſſe credo, & ſic etiam credunt Proteſtantes; num ideo vel ego, vel illi audent affirmare, tempore tenebroſo Papatûs, nullum juſtum & rectum hominem, licet abominationum earum zelotem, à Deo exauditum, illique acceptum fuiſſe. Quis denegabit, & *Bernardum*, & *Bonaventuram*, & *Thauleruni*, & *Thomam* à *Kempis*, ceteroſque complures de divino amore guſtaſſe, & divini Spiritûs virtutem in ſeipſis ad ſalutem ſuam operantem ſenſiſſe? Debemuſne igitur iſtas ſuperſtitiones non abnegare, repudiare & derelinquere, quibus ii utebantur? Calviniſtici Preſbyteriani multùm exprobrant (& quidem non ſine cauſâ, ut exiſtimo) formalitatem & ariditatem Epiſcopalium & Lutheranarum liturgiarum, non tamen negabunt inter eos homines bonos fuiſſe, neque audent recuſare, cùm ille ex apoſtaſiâ progreſſus factus eſt convertendi publicas preces in linguas vulgares, licet per liturgiam continuatas, quin Deo illud acceptum fuerit, & nonnunquam virtute & præſentiâ ejus comitatum: nolunt indè tamen Preſbyteriani concludere, communes illas preces continuandas eſſe; ſic etiam, licet confiteamur, miſericordia & mirabili Dei condeſcenſione, juſtos corde, & inter Pontificios & inter Proteſtantes extitiſſe, non ideo tamen profeſſiones & ſingulas eorum praxes approbare poſſumus, vel ad ſpiri-

tualem illum cultum, ad quem nos evocavit Dominus, prosequendum non procedere; ideoque contra omne, quicquid ei oppugnat & obstat, nobis testificandum est.

VI. Quartò, ut ad statum controversiæ veniamus, quod ad cultum publicum attinet, omnium munus esse judicamus, diligentes esse in simul congregando (quomodo autem fuerimus nos hac in re, adversarii nostri in magnâ Brittanniâ, qui omnibus, quibus potuerunt, modis usi sunt, ut innocentes nostras conventiones ad Deum colendum impedirent, testari possunt) & cùm congregantur, uniuscujusque opus esse debet, Deo attendere, &, ex propriis cogitationibus & imaginationibus egredientes, vel eas potius ex se pellentes, Dei præsentiam sentire, & in nomen ejus revera congregationem cognoscere, ubi ipse in medio est secundum pollicitationem suam; & sicut unusquisque hoc modo congregatus est, & intus in Spiritu, non minùs quam extra in corpore simul conveniunt, ibi secreta virtus, & vis vitæ noscitur animam reficere, & puros motus, & respirationes Dei Spiritus sentiunt emanare, à quibus, sicut verba declarationis, orationis vel laudis exsurgunt, cultus acceptabilis præstatur, quo ecclesia ædificatur, & Deo placet, & nemo hic Dei Spiritum limitat, nec commentos suos & confictos sermones producit, sed unusquisque illud producit, quod ponit Dominus in corde eorum, & eloquuntur non in hominis voluntate, & sapientia, sed in evidentia & demonstratione Spiritus & virtutis. Imò, licet ne vel verbum pronuncietur nec audiatur externè, tamen verus Spiritualis cultus præstatur ac exercetur, & Christi corpus ædificatur; imò sæpè accidit integros quosdam conventiones sine verbo transactas fuisse, attamen animæ nostræ magnoperè satiatæ, & corda mirè secreto divinæ virtutis & Spiritus sensu repleta fuerunt, quæ virtus sine verbis de vase in vas transmissa fuerit. Hoc quidem mirum & incredibile est homini merè naturali & carnali, qui aptus est judicare tempus omne amissum, quo aliquid non dictum est, externis sensibus obvium; ideoque insistam aliquantulum de hac re loqui, quasi unus, qui, quod hoc in negotio scribo, illud certâ experientiâ, non aliorum rumore, scribo de hac mirabili & gloriosa dispensatione, quæ eo plus sapientiæ & gloriæ Dei habet, quo contraria est naturæ, voluntati, & sapientiæ spiritus hominis

VII. Sicuti nihil magis oppositum naturali voluntati & sapientiæ hominis esse potest, quàm tacitè hoc modo Deo attendere, ita nec acquiri nec comprehendi aliter potest, quàm ubi sapientiam & voluntatem suam ab-

abnegat & deponit homo, & contentus est omninò Deo subjici, ideoque nec illud adepti sunt, nec præstiterunt, nisi qui sentiunt, nihil externum, nullas ceremonias, nullas observationes, nulla verba, optima verba, ne quidem Scripturarum verba, animis suis defessis & languentibus satisfacere, quia præsentibus omnibus istis, vis, virtus & vita, quæ ista omnia efficacia faciunt, abesse possunt. His, inquam, ab omnibus externis abstractis esse necesse fuit, & ante Deum silere, & ad internum illud in semetipsis principium convertere, quasi ad doctorem excellentissimum, qui nunquam in angulum removeri potest; illinc edocti sunt, ad Deum attendere in mensura vitæ & gratiæ ab eo receptæ, & sic à suis verbis & actis in naturali voluntate & comprehensione cessare, & internum hoc vitæ semen sentire, ut, movente illo, ii etiam moveantur, & virtute ejus agantur, sivè ad orandum, sive ad prædicandum, aut cantandum. Et ex hoc dogmate, quod homo silere, & in rebus spiritualibus ex seipso, non agere debeat, donec, hoc modo, divino lumine & gratiâ in corde actus sit, naturaliter initus est modus ille sedendi simul silenter & attendendi ad Dominum. Multi enim sic edocti, unà congregantes in puro Dei timore, non se continuò applicarunt ad loquendum aut orandum, &c. timentes, ne nimis festinanter in propriis voluntatibus agentes invenirentur; sed unusquisque connitebatur introrsum ad mensuram gratiæ in seipso se convertere, non solum quoad verba silentes, sed & jam à cogitationibus suis & imaginationibus & cupiditatibus abstinentes, adeoque vigilantes in sancta dependentia ad Dominum, & simul convenientes non extrorsum solum in uno loco, sed introrsum in uno Spiritu, in uno nomine Jesu, quod est virtus ejus. Sic sentire & possidere surrectiones vitæ, quæ, ut in unoquoque prævalet, sicut flumen refectionis in totam congregationem defluit, homine enim & hominis parte & sapientia denegata & in singulis depressa, & Deo exaltato, & gratia ejus in corda dominante, nomen ejus fit unum in omnibus, & gloria ejus erumpit & effluit, omnesque cooperit, & reverentia talis & sancta divinæ præsentiæ veneratio singulos possidet, ut, si pars naturalis in aliquo surgeret, vel sapientia humana, vel quicquid quod cum vitâ non unum est, continuò deprimeretur & condemnaretur. Et cùm aliquis per virtutis hujus spirationes ad sententiam exhortationis vel laudis eloquendam impellatur, vel ad Domino in oratione respirandum cæteri omnes sensibiles sunt, eadem enim vita, quæ in illis, respondet, veluti facies faciei in speculo. Hic ille divinus & spiritualis cultus est, quem nec novit nec intelligit mundus, neque vidit eum impurus oculus. Sed multa

&

& magna sunt beneficia, quorum anima mea cum multis aliis indè particeps facta est, quod & omnes sentient, qui se illi seriò applicabunt. Quando enim congregantur homines, non merè ad audiendos homines, & ex illis pendendum, sed omnes introrsum animis Deo innitentes, & apparitionem ejus in cordibus suis expectantes, præceps & solicitè operans eorum Spiritus impeditur, ne se divino cultui immiscеat; & hujus cultûs forma ita nuda est & omni mundanâ & externa gloria expers, ut omnem occasionem abscindat, quâ hominis sapientia exerceatur, neque ibi superstitio & idololatria locum habet; & cum ibi etiam interna animi quies, & introversio sit, Dei testis in corde exurgit, & lux Christi lucet, undè anima conditionem suam videt. Et cùm multi eodem hoc opere purgentur, ibi sit internus labor & luctatio, & si in mensurâ gratiæ permanetur, etiam superatio (ut hoc verbo utar) & victoria in vim & spiritum tenebrarum obtinetur; & sic frequenter corroborati, & in spiritibus mentis nostræ renovati sumus, & possidemus sanctam & spiritualem communionem & societatem corporis & sanguinis Christi, quo internus noster homo nutritur & fovetur. Undè fit, ut externo pani, vino & aquæ in rebus nostris spiritualibus minimè adhæreamus. Sicut autem plurimi hoc modo congregati, vi, virtute & vigore veritatis, crescunt, & prout veritas hoc modo victoriam & dominium obtinet in animas, tunc elocutionem recipiunt, & stabiliter ad fratrum ædificationem loqui possunt, & pura vita inter illos aditum reperit; &, quod hoc modo dicitur, corpus realiter ædificat. Ea est evidens certitudo divinæ illius vis, quæ, hoc modo simul conveniendo, & ad Deum tacitè attendendo, communicatur; ut, si fiat aliquando, quòd quidam ingrediatur, qui non vigilans fuerit, & animo vagans, vel subitò ex frequentiâ & confusione externorum negotiorum, & ideo non cum cæteris introversus, non citiùs in talem conventum intrabit (si virtus hæc in toto conventu aliquantulum exsuscitata est) quàm subitò illum, ut minime introversum, corripiat, & mirè concurrere ad suscitandum in illo bonum, & generare in illo sensum ejusdem virtutis, ad cor mollificandum & calefaciendum, non secus ac calor frigidum aliquem in hypocaustum ingressum apprehenderet, vel flamma combustibilem aliquam materiam propè jacentem accenderet; imò si contingat, quòd complures, qui simul conveniunt, in animis suis vagantur, licet quoad externum silentes, à mensurâ gratiæ tamen extroversi, & in imaginationibus suis aberrantes (quod adversarii operationibus, & quorundam negligentia accidere potest) & si quis ingrediatur, vel cum illis sit, qui vigilans est,

est, & in quo vita multùm suscitata est, sicut unus iste locum suum tenet, pro cæteris laborem sentiet, compatiens cum semine, quod in cæteris opprimitur, & cogitationibus eorum deprimitur; & sicut talis fidelis attendit in lumine, & in divino opere persistit, Deus sæpè exaudit secretum laborem & seminis sui spirationes per talem, ita ut cæteri se secretò compunctos sentiant, quamquam sine verbis, & unus ille quasi obstetrix futurus est, per arcanum animæ suæ laborem, ad vitam in illis producendam; sicut paululum aquæ, in sentinam injectæ, reliquum exantlat, undè vita in omnibus suscitabitur, vanæque imaginationes deprimentur, & sic cæteri Spiritum sentiunt iis vitam ministrantem sine verbis; imò aliquando, licet ne verbum sit in congregatione, sed omnes sint silenter vigilantes, si quis rudis & impius ingreditur, & in quo potestas tenebrarum multùm prævalet, forsan eo consilio, ut derideat, vel malum aliquod perpetret, si tota congregatio in vitam introversa, & nonnihil suscitata sit, tali terrorem injiciet, & seipsum resistere incapacem sentiet, sed secretâ hujus vi & virtute vis tenebrarum in illo deprimetur, &, si dies visitationis ejus non expiraverit, ad mensuram gratiæ in illo penetrabit, eamque suscitabit ad redemptionem animæ suæ, cujus rei sæpè testes fuimus, ita ut hoc respectu frequens nobis fuerit occasio, dictum illud antiquum de pluribus renovandi, *num Saul etiam inter Prophetas est?* Haud pauci enim, hoc modo, veritatis victi fuere, cujus & ipse etiam ex parte verus testis sum, qui, non vi argumentorum, nec particulari uniuscujusque doctrinæ disquisitione, & intellectus victione, veritatem recipere & pro ea testificari adductus sum, sed secretò hâc vitâ compunctus, ita ut, quando in silentes Dei populi conventiones veni, secretam vim sensérim inter eos, quâ tactum est cor meum, &, prout ei cessi, malum in me debilitari, bonum autem suscitari observaverim, & hoc modo eis conjunctus & unitus sui magis & magis, hujus virtutis & vitæ incrementum quærens, quâ meipsum perfectè redemptum sentirem: & revera hoc modo certissimè fit Christianus; talibus enim in vitam Christianitatis ingredientibus cognitio & intelligentia doctrinarum non deficiet, sed, quantùm necesse est, crescet, quasi fructus naturalis bonæ hujus radicis, & talis scientia nec sterilis nec infructifera erit secundum hunc modum Igitur velimus, omnes ad nos venientes proselytos fieri, scientes, quod, si millia quam plurima hominum in intellectibus suis convincerentur de omnibus, quas nos credimus, veritatibus, si tamen sensibiles non essent internæ hujus vitæ, & animæ eorum non conversæ essent ab injustitiâ, nobis nihil addere possent; hoc enim

fermentum illud est, quô Domino & illis invicem unimur, & sine hoc nemo Deum nobiscum colere potest; imò si quidam ad nos transiret, & ab hac intellectus convictione utut vera loqui, & qualibet elocutionis excellentia profari posset, si hoc defuerit, nos nullo modo ædificaret: *Sed erit instar æris sonantis & cymbali tinnientis.* 1 Cor. 13: 1.

VIII. Opus igitur nostrum & cultus, quando convenimus simul, est, ut unusquisque vigilet, & Deo attendat in *illo Dei* (i. e. in semine Dei) in semetipso, & ab omnibus visibilibus introvertatur. Et sicut unusquisque hac conditione stat, bonum supra malum, & purum supra impurum suscitari sentiet, ubi Deus seipsum revelat, & singulis appropinquat, & sic in medio omnium est. Unde fit, ut unusquisque non solum particeps fiat singularis illius gaudii & virtutis, quæ à bono in semetipso provenit, sed totius corporis, cùm sit corporis membrum vivum, cum omnibus communionem & societatem habens; & sicut cultus hic seriò præstatur, & homines in illo stabiliter persistunt, fit facilis, licet initio admodum difficilis sit homini naturali, cujus evagantes imaginationes, & aberrantes cupiditates non facile ad silentium adducuntur, ideoque Deus advenientibus ad ipsum corde sincero & illum attendere cupientibus, quamvis propter animorum instabilitatem difficultatem sentientibus, secundum amorem & benevolentiam suam sæpè indulget, & virtutem suam uberius & fortiùs effundit; & quando animus introvertitur, & vitæ apparitionem expectat, & quod vis tenebrarum in anima disceptat & contrà operatur, tunc, cum bonum semen exurgit, quasi medicina operari sentitur, præsertim si infimus ille sit in plurimorum conventu, in quibus vita ad magnum dominium suscitata est, & per contrarias mortis & tenebrarum operationes sentietur in anima interna disceptatio, non minus realiter in mysterio, quàm Esau & Jacob olim disceptabant in utero Rebeccæ. Et ab interno hoc partu, dum tenebræ lucem obscurare disceptant, & lux per tenebras erumpit (quod semper fiet, si anima vires suas tenebris non tribuat) gravissimus adeo erit in animâ labor, ut etiam externum hominem affectet; ita ut per has operationes corpus frequenter mire agitetur, & gemitus multi & suspiria emittantur, imò quasi parturæ angustiæ sentiantur, & hoc non solum in uno aliquo, sed si fortè adversarius (qui sæpè, quando se sistunt coram Deo filii ejus, etiam advenit, ut consolationem eorum, si possit, impediat) aliquantulum in tota congregatione prævaluerit, & fortiter in eam operetur, tenebrosam suam potestatem obumbrando & propagando, & animos eorum, qui congregati sunt, à vitâ in semetipsis extravertendo, sicut sen-

ſenſibiles fiunt hujus ejus poteſtatis, qui contra eos operatur, & cum illa diſceptant vi & armaturâ luminis, virtus Dei in totam conventionem effundetur, & talis internus erit labor, dum unusquisque malum in ſeipſo ſuperare ſtudet, ut impetuoſis contrariis operationibus oppoſitarum illarum poteſtatum, quaſi contrariorum refluxuum motus, ſinguli magnopere exercebuntur, quaſi in die prælii; & ſic tremor, & corporis motus pleriſque, & aliquando omnibus, ſuperveniet, &, prout vis veritatis prævalet, à gemitibus & ſuſpiriis in dulcem harmoniam & laudis melodiam tranſibit, & hinc nomen *Quakerorum*, id eſt, *Tremulorum*, nobis ironicè impoſitum eſt, quod, licet nobis ipſis non eligamus, non tamen nos pudet hoc reſpectu, ſed potius gaudemus, quòd hujus virtutis ſenſibiles facti ſumus, quæ ſæpè adverſarios noſtros apprehendit, & nobis cedere, ſeque nobiscum jungere ac veritatem confiteri coëgit, antequam diſtinctam aliquam aut diſcurſivam doctrinarum noſtrarum ſcientiam habebant, ita ut aliquando plurimi unâ congregatione hoc modo convicti fuerint, & virtus hæc aliquando affectaret, & mirificè operaretur etiam in puerulis, ad multorum admirationem.

IX. Multæ beatæque ſunt experientiæ, quas, de hoc ſilentio & colendi modo, referre poſſem; non ita tamen ſilentium commendo, quaſi lege aliquâ nos ei adſtringeremus ad excludendam externam orationem aut elocutionem; nullo modo: nam ſicut cultus noſter in verbis non conſiſtit, ita nec in ſilentio, quâ ſilentio, ſed in ſanctâ, & humili animæ in Deum dependentiâ, ex quâ dependentiâ ſilentium neceſſariò oritur primo loco, donec verba produci poſſint per Spiritum Dei, & non deeſt Deus filios ſuos movere ad exhortationem vel orationem, ſi hoc neceſſarium ſit, ita ut ex frequentibus illis conventionibus, quæ ad veritatem adductæ ſunt, paucæ inveniantur, in quibus Deus unum vel alterum non ſuſcitat, ut fratribus miniſtret, ideoque paucæ omninò ſilentes reperiantur. Ubi enim multi ſimul conveniunt in unâ hâc vitâ & nomine, frequentiſſimè & naturaliter excitat eos ad orandum, & laudandum Deum, & ſe invicem provocandum mutuis exhortationibus & inſtructionibus; judicamus tamen, primo loco, aliquo ad ſilentium ſpatio opus eſſe, ut &, qui miniſtrat, vim ad producendum, quod miniſtrat, recipiat, & ut, qui audiunt, ſenſum habeant diſcernendi inter pretioſum & vile; non autem in divinarum illarum rerum exercitium prorumpere oportet, quam primum ſonuerit campana, ut alii Chriſtianitatis profeſſores agunt; neque dubitamus, ſed certò ſcimus, poſſe conventionem bonam & fructiferam eſſe, licet,

ab initio ad finem, nec verbum externè dictum sit; vita tamen in singulis affluere potuit & internum in illâ incrementum acquiri, ita ut verba etiam benè dici potuissent idque per vitæ influentiam: & tamen, quia nemini necessariò impositum fuit, potuerunt omnes potius pro tempore eligere quietè & libenter possidere Dominum, quod & dulcissimum & peroptabile est animæ, quæ hoc modo didicit omnes suas cogitationes & proprias operationes deponere & abjicere, & solummodo Dominum sentire & voluntatem & actum producentem, ut multi testari experimentaliter possunt, licet certè & durum & difficile naturali homini sit doctrinam hanc credere; & tales igitur potiùs sensibili experientiâ, remque sentiendo, quàm argumentis, convinci oportet, cùm non sufficiat credere, nisi etiam possideant & fruantur; eorum tamen gratiâ, qui forsan magis proni erunt, ad hujus rei praxin & experientiam semet applicare, si priùs intellectus suos convictos senserint, & hunc cultum Scripturæ inniti, & rationi consentaneum observaverint, libet quasdam hujus generis considerationes à Scripturâ & rectâ ratione subjungere, ad uberiorem sententiæ nostræ confirmationem, præter hæc quę hactenus dicta sunt ab experientiâ nostrâ.

X. Quòd, Deum attendere & coram illo vigilare, officium omnibus incumbens sit, nemo inficias ibit; & quod hoc sit cultûs pars, neminem negaturum autumo, quum vix aliquid aliud adeò frequenter in sacris Scripturis mandatum sit, ut patebit, Psal. 27:14. 37. 7:34. Prov. 20. ver. 22. Isa. 30:18. Hoseæ 12:6. *Zach.* 3:8. Matth. 24:42. 25:13. 26:41. Marc. 13:33:35:37. Luc. 21:36. Act. 1:4. 20:31. 1 Cor. 16:13. Col. 4:2. 1 Thess. 5:6. 2 Tim. 4:5. 1 Pet. 4:7. Hoc etiam officium sæpenumero commendatur compluribus iisque pretiosis promissionibus, ut Psal, 25:3. 37:9. 69. 6. Isa. 40:31. 42:23. Lam. 3:25. Quomodo autem est hæc expectatio Domini vel vigilantia coram illo, nisi silentio illo, de quo loquimur? quod ut in seipso magnum & præcipuum est officium, sic & ordine naturæ & temporis alia omnia præcedit. Sed, ut clarius intelligatur, non solum ut est externum corporis silentium, sed etiam internum animæ ab omnibus suis imaginationibus & cogitationibus, observetur, quod secundum veritatem & doctrinas suprà affirmatas & probatas homo considerandus est duplici respectu, *viz.* statu naturali, irregenerato & lapso; & statu spirituali & renovato; unde oritur illa distinctio *naturalis & spiritualis hominis*, quâ tantùm utitur Apostolus, & de quâ satis suprà, etiam duo illi partus animæ à binis in homine seminibus procedunt respectivè, *viz.* à bono & malo. Et à malo semine non solùm emergunt abo-

abominandæ illæ & manifeſtæ impietates, ſed & *iniquitates* iſtæ, quas Scriptura *ſpirituales* indigitat, quia eſt ſerpens operans per hominem naturalem in rebus ſpiritualibus, quæ, cùm boni ſpeciem & formam habeant, eò magis perniciosæ & periculoſæ ſunt, quod eſt Satan *ſeipſum transformans in ſpeciem Angeli luminis*; ideoque Scriptura tàm crebrò & ſeriò (ut hactenus obſervatum eſt) naturalem hominem excludit à rebus divinis, ejus in iis conatus abnegans, licet eminentiſſimis & perfectiſſimis ejus partibus peractos, *viz.* ſapientiâ & eloquio ejus.

Spiritualium hujus iniquitatum ſpecies duæ ſunt, licet genere eædem, & ab eâdem radice provenientes, gradu tamen & ſubjecto aliquando etiam differentes. Species una eſt, cùm homo naturalis in rebus ad religionem ſpectantibus operans & agens à ſuis conceptibus & divinationibus affirmat vel proponit opiniones & notiones erraticas de Deo & rebus divinis, & comminiſcitur ac introducit ſuperſtitioſas & ceremoniales obſervationes & ritus in cultu, undè exortæ ſunt omnes hæreſes & ſuperſtitiones, quæ inter Chriſtianos ſunt. Altera eſt, quando homo naturalis à merâ intellectûs convictione, in voluntatis ſuæ propenſitate & naturali vi, ſine gubernaculo aut influentiâ Dei Spiritûs, vel in intellectu concipit, vel cogitat de rebus Dei, vel actualiter illas peragit prædicando aut orando. Prior & formæ & materiæ vitium eſt. Secunda eſt forma abſque vitâ & ſubſtantiâ Chriſtianitatis & cultûs Chriſtiani, quia non conſiſtit religio Chriſtiana in merâ verarum doctrinarum creditione, vel in peragendis actis in ſe bonis, alioquin mera Scripturæ litera, licet à temulento imò à diabolo dicta, vita & Spiritus dici poſſet, quod omnes abſurdum fatebuntur: indè etiam ſequeretur, ubi forma pietatis eſt, ibi virtutem neceſſariò eſſe, quod eſt diſertis Apoſtoli verbis contrarium. Ibi enim forma pietatis eſſe dici non poteſt, ubi vel notiones & opiniones ſunt erroneæ & impiæ, vel actus facti mali & iniqui, tunc enim foret forma impietatis, & non pietatis (ſed de hoc fuſiùs poſtea, quando de prædicatione & oratione dicemus) licet autem poſtremum hoc non ſit adeò malum, ac prius, tamen ad illud viam ſternebat; homines enim primò deſerentes vitam & ſubſtantiam veræ religionis & cultûs, *viz.* internam poteſtatem & virtutem Spiritûs, ut in illo agerent, & actiones ſuas indè vivificatas haberent, formam ſolam ac ſpeciem retinuerunt, *viz.* vera verba & apparitionem, & ſic in naturalibus ſuis & irregeneratis voluntatibus agentes in hac formâ; indè forma citò etiam degeneravit & vitiata eſt, activus enim & operativus hominum ſpiritus, intra ſimplicitatem & nuditatem veritatis ſe

continere non potens, ſed numeroſis ſuis inventionibus & cogitationibus dans locum, in formâ etiam variare, eamque inventionibus ſuis adaptare cœpit, donec gradatim etiam forma pietatis æquè ac virtus cœpit amitti. Hoc enim idololatriæ genus, quo homo amat, idolizat & amplectitur conceptus, inventiones, & cerebri ſui producta, ita ei incidens & in lapſa ſua natura inſita eſt, ut, dum naturalis ejus ſpiritus ductor ejus & præcipuus gubernator eſt, & dum illo agitur, ducitur & movetur in cultu erga Deum, ita ut non attendat ad alium ductorem, nunquam poſſit purum ſpiritualem cultum præſtare, neque aliquid producere, niſi primæ illius & corruptæ naturæ fructum. Quum igitur hactenus advenerit tempus, quò voluit Deus per Jeſum Chriſtum reſtaurare cultum verè ſpiritualem, & quò finem ſtatuit imponere externo illi cultui, quem Judæis peculiariter præceperat, & cujus & modus & tempus præſtandi præciſè determinatum erat à Deo ipſo; non invenimus, quod Jeſus Chriſtus, Chriſtianæ religionis author, ullam præſcripti cultûs formam ſuis præſcribat ſub puriore novi fœderis adminiſtratione; * ſed ſolùm declarat cultum, nunc præſtandum, eſſe ſpiritualem, & in Spiritu; &, ut obſervatu digniſſimum eſt, in toto novo Teſtamento nullus nec ordo, nec præceptum hac in re datur, niſi ut revelationes Spiritûs ſequantur, præter illud unum, ut ſimul conveniant, & congregationes non deſerant, quod nos & libentiſſimè fatemur, & diligenter ſequimur; verum equidem de officiis orandi, prædicandi & cantandi fit mentio, ſed quo ordine vel methodo in iis utentur (niſi illa ſola antè dicta) vel quod continuò ſe ad ea applicare debeant, cùm ſancti congregati ſunt, ne vel verbo ſignificatur; imò ea officia (ut poſtea apparebit) ſemper præcipiuntur agi Spiritûs adjumento & motu. Cùm igitur homo in ſtatu ſuo naturali hoc modo excludatur ab agen-

* *Siquis hoc loco* objiciat, *orationem Dominicam eſſe præſcriptam ad orandum, ideoque cultûs formam à Chriſto ſuis præſcriptam.* Reſp. *primò hoc à nullo Chriſtianorum genere, quod novi, objici poſſe, quia nulli ſunt, qui non aliis orationibus utantur, aut qui cultum ſuum hunc imitent. Secundò hoc juſſum eſt diſcipulis adhuc infirmis, antequam Evangelii diſpenſationem acceperant, non ut eâ ſolum in orando uterentur, ſed ut exemplo iis oſtenderet, quomodo orationes eorum breves eſſe deberent, & non ſicut prolixæ Phariſæorum preces; & quod hic fuerit hujus uſus, patet ex omnibus orationibus, quibus plerique Sancti poſtea uſi ſunt, quarum meminit Scriptura, nullus enim hâc uſus eſt, nec repetit, ſed aliis verbis ſecundum rei neceſſitatem, & ſicut Spiritus ſuppeditavit. Tertiò, quod hoc ita intelligi debeat, patet ex Rom. 8. 26. poſtea faſius memorando, ubi ait,* neſcire nos, quomodo oporteat orare, niſi ut juvat nos Spiritus, *ſed ſi oratio iſta fuiſſet eccleſiæ præſcripta forma orandi, illud verum non fuiſſet, neque enim ignoraſſent illi, quid orarent, nec Spiritus adjumento ad docendos eos opus habuiſſent.*

agendo vel movendo in rebus ſpiritualibus, quomodo ergo exercebit primum hoc & prævium officium attendendi Deum, niſi ſilendo, & naturalem illam partem ad ſilentium reducendo, quod non aliter fit, niſi à cogitationibus ſuis & imaginationibus abſtinendo & ab omnibus motibus & operationibus animæ ſuæ, cùm in rebus materialiter bonis, tùm in malis, ut, illo ſilente, Deus in illo loquatur, & bonum ſemen exurgat. Hoc, licet naturali homini durum; adeò tamen rationi & experientiæ naturali conſentaneum eſt in rebus aliis, ut negari nequeat: qui à magiſtro docendus venit, ſi magiſtrum audire & ab illo inſtrui expectat, non oportet ſemper loqui de re, quam diſciturus eſt, & nunquam ſilere, alioquin, quando dabitur magiſtro locus illum inſtituendi? imò licet diſcipulus ad ediſcendam ſcientiam ardentiſſimus eſſet, tamen meritò redargueret illum præceptor, quaſi indocilem & irregularem, ſi ſemper ex ſeipſo loquens & agens, & non patienter in ſilentio magiſtrum velit attendere, eumque loquentem & docentem audire, neque os aperire, donec à magiſtro approbatus & juſſus fuerit. Sic etiam, ſi quis magnum aliquem Principem attendere vellet, impertinens admodum & imprudens ſervus diceretur, qui, dum patienter & paratè attendere debeat, ut Regi, quando loqueretur, reſponderet, & etiam diligente oculo motiones ejus vel minimas inclinationes obſervare, ut juxtà faceret, ſemper Principi illi loqueretur, & aures ejus continuo verbis & loquacitate ſuâ, licet in Principis laudem, obtunderet, vel ſemper ſine juſſu, aut particulari mandato, hinc & illinc excurreret, licet, quæ faceret, in ſe bona eſſent, vel aliis alio tempore mandata; num Principes hujus ſeculi tales ſervos, vel tale miniſterium acceptarent? Cùm igitur jubeamur Dominum diligenter attendere, illumque expectare, & in ſic agendo renovatio virium promittatur, attentio hæc præſtari non poteſt ſine ſilentio, aut ceſſatione partis naturalis ex noſtrâ parte, cùm Deus non ſe manifeſtet tam exteriori homini aut ſenſibus, quàm interiori, animæ ſcilicet & ſpiritui; ſi anima ſemper cogitet & operetur in ſua voluntate, & ſedulò exerceatur in imaginationibus ſuis, licet, quæ cogitat, in ſe bona ſint & de Deo, illis tamen incapax ſit diſcernendi vocem illam tenuem Spiritus, & ſic ſibi magnoperè nocet, quia præcipuum ſuum negotium attendendi negligit; quaſi ſedulò & ſolicitè occupatus eſſem de re aliquâ loquendo & exclamando, dum interea illum audire negligam, qui quietè in aurem mihi inſuſurrat, & annunciat mihi, quæ in illâ re cognitu & auditu quàm neceſſaria ſunt; & cùm præcipuum Chriſtiani opus ſit, ut noſcat voluntatem naturalem in

pro-

propriis ſuis operationibus crucifixam, ut Deus & in actu & in voluntate moveat, præcipuè reſpicit Deus profundam hanc ſubjectionem & ſui abnegationem; quidam enim ſibi non minus & ſenſualibus ſuis voluntatibus & humoribus placent in ſublimibus & curioſis ſpeculationibus religionis, vel affectando illinc nomen & famam, vel quòd ea, habitu, educatione, vel aliter, iis jucunda facta ſunt, licet nullo modo regenerati, aut intus in ſpiritibus ſuis ſanctificati, quam alii ſibi placent in ſenſualibus ſuis cupiditatibus ſatisfaciendis; ideo & uterque hic appetitus hominibus æquè perniciosus & in conſpectu Dei peccaminoſus eſt, cùm uterque ſit nil niſi fructus & effectus naturalis & irregenerati hominis voluntatis & ſpiritus. Imò ſi quis (ut multi procul dubio faciunt) ſenſu peccati ductus & pœnæ rigore ſemet à peccato deterrere ſtuderet, multiplicando cogitationes mortis, inferni & judicii, & imaginationibus ſuis præſentando fælicitatem & gaudia cœlorum, nec non etiam preces aliasque religioſas exercitationes multiplicando, ſicut ea quempiam ne ab uno peccato liberare poſſent ſine ſecretâ & internâ divinæ gratiæ virtute, ita non aliter forent niſi quaſi conſuta ficûs folia, quibus nuditatem ſuam Adam operire voluit; & cùm ſit ſolùm naturalis hominis voluntatis fructus, à ſui amore proveniens, ſeipſum ſalvare quærens, & non procedens à divino illo juſtitiæ ſemine, quod hominibus à Deo datum eſt ad gratiam & ſalutem, ab illo rejicitur, nec illi acceptum fit, quum homo naturalis, quà naturalis, dum in illo ſtatu permanet, cum omnibus ſuis artibus & partibus & actis ab illo reprobatus eſt. Hoc igitur magnum officium attendendi ad Deum exerceri oportet in abnegatione ſui, & intùs & extrà in ſolâ & merâ Dei dependentiâ, in abſtrahendo ab omnibus operationibus, imaginationibus & ejaculationibus animi ſui, ut, ſui ipſius quaſi vacuus factus, & ſuis naturalibus productionibus totaliter crucifixus, recipere Deum aptus fiat, qui nullum participem gloriæ & virtutis ſuę, nec corrivalem admittet. Et cùm in hoc ſtatu eſt homo, tunc parvum juſtitiæ ſemen, quod in corde plantavit Deus, & quod pro homine procuravit Chriſtus, menſura *ſciz* gratiæ & vitæ, (quæ opprimitur & crucifigitur naturalibus hominis cogitationibus & imaginationibus) accipit locum exurgendi, & fit ſanctus partus, & genitura in homine. Et divinus ille aër eſt, quo fermentatur hominis ſpiritus, & in quo attendendo in Dei conſpectu gratus fit, in præſentiâ ejus ſtare, vocem illius audire, ſanctique ejus Spiritûs motus obſervare; ideoque hominis ſtatio eſt, in hoc attendere, & quando per hoc objecta aliqua animo ſuo præſentantur dę Deo vel rebus ad religionem pertinentibus, poteſt ani-

anima ejus in illis exerceri ſine periculo & magnâ cum utilitate, & ſuâ & aliorum, quia ea oriuntur non in ſuâ voluntate, ſed à Dei Spiritu. Ideoque ſicut in hujus ſurrectionibus & motibus animus ejus exercetur in cogitando aut meditando, ſic etiam in actibus iſtis magis obviis prædicandi & orandi. Undè patet, nos meditationi non adverſari, ut quidam falſò ex doctrina noſtra inferre ſtuduerunt; ſed ſumus contra cogitationes & imaginationes hominis naturalis in ſua voluntate, à quibus omnes errores & hæreſes, quæ in orbe ſunt, proceſſerunt. Sed ſi ita Deo placet temporibus quibusdam, quando unus vel alter ad illum attendit, ut non præſentet objecta illa, quibus exerceant animos ſuos in cogitationibus & imaginationibus, ſed tantummodo requirat puram illam & ſimplicem dependentiam, &, ſicut in illâ perſiſtunt, ſecretis gaudiorum ſuorum & vitæ influxibus irrigare eos, tunc habent certè, ut contenti ſint; hoc modo enim (ut certâ & beatâ experientiâ novimus) magis corroboratur anima, renovatur & confirmatur, quam ullo alio. Hæc enim eſt præguſtatio ſenſibilis illius fruitionis, quâ ſancti in cœlis quotidiè fruuntur, quam filiis ſuis ſæpè indulget Deus, ad conſolationem eorum & incitamentum, præſertim cùm congregati ſunt ad illum attendendum.

XI. Sunt autem duo contrarii Spiritus aut poteſtates, videlicet poteſtas & ſpiritus hujus mundi, in quo Princeps tenebrarum regnat, & in iis, quotquot ab illo aguntur & ducuntur: & Spiritus ſeu poteſtas Dei, in quo agit & operatur Deus, & in iis, quotquot operantur in illo & per illum aguntur. Quicquid igitur ſit, de quo homo cogitat vel agit, utut Spirituale aut religioſum, quoad notionem vel formam, dum agit & movet in naturali ac corrupto ſpiritu, & voluntate, & non per virtutem Dei, per omnia peccat, neque à Deo approbatur. Hinc enim arando non minùs quàm orando peccat impius: ſic etiam quicquid agit homo à virtute & Spiritu Dei, ſivè actiones ejus ſint religioſæ, civiles, imò vel naturales, acceptatur per omnia in conſpectu Dei, & beatus in illis eſt. Hinc patet, quàm frivola & inepta eorum objectio ſit, qui aiunt, ſe Deum attendere in oratione & prædicatione, cùm attendere ex ſe potius paſſivam dependentiam, quàm actionem ullam denotet; & cùm demonſtratum ſit, ac adhuc fuſiùs demonſtrandum fuerit, orare & prædicare ſine Spiritu eſſe Deum offendere, non ad illum attendere; orare autem & prædicare per Spiritum præſupponit neceſſariò ſilenter primo attendere, ut ſentiantur Spiritus motus ad ea ducentes. Denique autem in plerisque iis locis, ubi oratio præcipitur, ut Matth. 26:41. Marc. 13:33. Luc. 21:26. 1 Pet. 4:7. vigilatio particula-

riter præfigitur, ut prævia, & ad illam præparatoria. Igitur tutò & certè concludimus, cùm attendere & vigilare adeò præciſè & frequenter præcipiatur & commendetur, & cùm hoc verè præſtari nequeat, niſi interno hoc animi ſilentio à propriis ſuis cogitationibus & imaginationibus, ſilentium hoc neceſſariò eſſe partem & ſpecialem & principalem divini cultûs.

XII. Secundò. Hujus ſilentii excellentia apparet in eo, quod impoſſibile ſit adverſario, *ſcil.* diabolo, illud ſimulare, ideoque anima nulla in hujus exercitio ab illo deludi poteſt: in rebus autem aliis omnibus immiſcere ſe poteſt cum naturali hominis animo, & ſic, ſeipſum transformando, animam decipere poteſt, dum illam occupet in rebus forſan ex ſe innocentibus, ſed interea impedit à puro Dei lumine ſpectando, & ſic à cognoſcendo diſtinctè officium ſuum, ut agat illud; invidioſus enim ille felicitatis humanæ ſpiritus benè novit, ſe accommodare, & inſidias ſuas ſtruere ad varias diſpoſitiones & inclinationes hominum; ſi aliquem gravioribus peccatis aut cupiditatibus ſenſualibus non inclinatum, ſed potius ab iis averſum, & ad religioſiora pronum obſervet, ad talem ſeducendum adaptare ſeipſum poteſt, petendo illum cogitationes & imaginationes ſuas exercere in rebus ſpiritualibus, & ſic præcipitando illos agere & operari in propriis voluntatibus: benè enim novit, quamdiu *ipſeitas* (ut hoc verbo utar) regnat, & Spiritus Dei non principalis & primus actor eſt, intra ſuos limites hominem adhuc eſſe; ideoque ſacerdotem ad altare, prædicatorem ad cathedram, Zelotem ad oratorium, imò Theologiæ Doctorem & Profeſſorem ad muſæolum comitari poteſt, nec non juvare illum ad commentandum, & inveniendas ſubtiles diſtinctiones & quidditates, quibus & animus ipſius & aliorum per illum, ab attendendo ad divinum Dei lumen in conſcientiis ſuis, impedi[illegible]ur; imò nullum eſt exercitium, in quo intrare & præcipuum locum habere non poſſit, ita ut ſæpè non percipiat anima, niſi in hoc ſolo; operari enim ſolummodo poteſt in & per hominem naturalem, & facultates ejus ſecretè agendo, & in imaginationibus & cupiditatibus ejus operando: ubi igitur naturalis ille homo ſilet, ibi & illum etiam conſiſtere oportet. Cùm igitur anima ad hoc ſilentium pervenit, &, quoad proprias operationes, quaſi ad nihilum adducitur, tunc excluditur diabolus, puram enim Dei præſentiam tum orientem, & lucis ejus claritatem ferre non poteſt; dum enim homo ex ſe cogitat, non certus eſt, quod à diabolo non actuetur, ſed quando fit omnino ſilens, ita ut ei illuceſcat pura Dei lux, tunc certus eſt excludi diabolum, extra enim ima-

imaginationes ire non poteſt, quod ſæpè ſentimus ſenſibili experientiâ. Qui enim olim dicebatur, conventum filiorum Dei attendere, non deeſt noſtras etiam congregationes inviſere, & certe etiam intrare & in congregatione, quæ ſolùm quoad verba ſilet, operari poteſt, vel animos variis cogitationibus & imaginationibus occupando, vel ſtupefaciendo eos & ſpiritu ſomnolento & negligente poſſidendo; ſed, cum ab omnibus recedimus & introvertimur, ex unâ parte diligentia & vigilantia, ex alterâ non cogitando nec vagando, ſicut in hoc tuto loco conſiſtimus, extra ejus poteſtatem nos eſſe ſentimus; imò ſæpè erumpet & apparebit gloria & virtus Dei, ſicut ſol per multas nebulas illuceſcens, ad vim illam tenebrarum diſpellendam, quæ aliquando ſenſibiliter animos obumbrare & obnubilare nititur, ne Deum prorſus attendant.

XIII. Tertiò. Hujus cultus excellentia apparet, quòd nec impediri, nec interrumpi poteſt hominum aut diabolorum malitiâ, ſicut omnes alii poſſunt; cultûs autem interruptiones duobus modis intelligi poſſunt, vel ut impedimur à conveniendo, cùm violentia ab invicem ſeparemur, vel, quando convenimus, interrumpimur tumultu, clamore & confuſione, quibus, qui malitioſi ſunt, ad moleſtandos nos uti poſſunt, utroque autem hoc reſpectu cultus hic cæteris omnibus longè præcellit; nam utut ſeparati ſimus, prout unusquisque ad menſuram vitæ in ſeipſo introvertitur, ſecreta unio & communio poſſidetur, quam nec diabolus, nec omnia ejus inſtrumenta aut diſſolvere aut impedire poſſunt. Sed deinde, optimè hoc apparet in iis moleſtationibus, quæ occurrunt, quando congregati ſumus, & videtur beneficium, quod nobis indè redundat præ omnibus aliis, nam, cum earum una ſufficeret omnes aliorum cultus ſupprimere, nos tamen, per hujus cultûs naturam, eum quoad Deum non interruptum continuavimus, eodemque tempore patientiæ noſtræ erga omnes præclarum exemplum præſtitimus ad opponentium frequentem convictionem; nullum enim aliud cultûs genus, quo alii utuntur, ſubſiſtere poteſt (licet convenire tolerentur) ſi non vel Magiſtratus authoritate & protectione muniantur, vel ſemetipſos brachio ſeculari & carnali tueantur; nos autem eodem tempore cultum erga Deum exercemus, & patienter etiam eas injurias, convitia & ignominias ferimus, quæ Chriſtianis ita frequentia & incidentia fore ipſe Chriſtus prophetavit; nam quomodo Miſſam ſuam diſcere Pontificius poteſt, ſi quis adſit volens illud impedire & interturbare; abſtrahe ſolùm miſſalem calicem, hoſtiam, vel ſacerdotis veſtimenta; imò, ſi aquam aut vinum quispiam effunderet,

vel lumina extingueret, quod facilè fieri poteſt, tota res perdita eſt, nullumque offerri poteſt ſacrificium. A Lutheranis vel Episcopalibus abſtrahe liturgiam, vel communium precum librum, & miniſterium eorum præſtari non poteſt. A Calviniſtis, Arminianis, Socinianis, Independentibus aut Anabaptiſtis remove cathedram & Biblia, vel ita obſtrepe, ut prædicatoris vox non audiatur, vel ipſe diſturbetur, antequam conventum ingrediatur, vel Bibliis aliisve libris ſpolietur, & obmuteſcet: omnes enim unâ voce hæreſin volunt, attendere, donec Spiritus det elocutionem; & ſic facilè omnes eorum cultus impediuntur. Cùm autem aliqui conveniant, quorum cultus non conſiſtit in externis talibus actionibus, neque ex alicujus locutione pendet, ſed qui omnes ſimul conſident, ut ad Deum attendant, & à viſibilibus omnibus abſtrahantur, ac introrſum ad ſentiendum Deum in Spiritu convertantur, eos nihil ex ſuprà dictis impedire poteſt; cujus rei veritatis verè dicere poſſumus nos certos teſtes eſſe; cùm enim Magiſtratus, adverſariorum malitiâ incitati, nullum non moverunt lapidem, ſed fruſtra, ut nos à congregando deterrerent, idque non ſurreptitiè, ſed apertè & publicè in conductis noſtris domibus, &, ut hoc præſtarent, morte, exilio, carceribus, mulctis, verberibus & caſtigationibus, cæterisque omnibus diabolicis inventionibus uſi ſunt. Quæ omnia cùm inefficacia ad finem propoſitum fuerint, & è contrariò ſæpè hoc modo paſſionibus gravibus libertatem conveniendi adepti ſimus, alio modo uſi ſunt adverſarii, in nos immittendo peſſimam & rudiſſimam plebeculam, qui omni brutalitatis genere provocare nos, laceſſere & moleſtare, ſed fruſtrà, tentârunt. Incredibile erit dictu, & revera pudendum inter homines, ſe Chriſtianos profitentes, quæ hujus generis oculis ipſe meis vidi, & quæ ego cum aliis paſſi ſumus; ibi verberavere nos, & aquam & lutum nobis injecerunt; ibi ſaltarunt, tripudiarunt, & verba obſcæna eloquuti ſunt, violentiam offerentes, impudicè erga gravidas fœminas & mulieres ſe gerentes, eludentes, irridentes & quærentes, *an nondum venerit Spiritus?* & alia complura, nimis prolixa hoc loco enumeranda; & hæc omnia, dum ſilenter & ſeriò ſederemus, & ad Deum attenderemus, ita ut his omnibus interna noſtra & ſpiritualis communio cum Deo & ad invicem in purâ juſtitiæ vitâ nullo modo impediretur. Sed è contra, Dominus, noſcens paſſiones noſtras & teſtimonii ſui gratiâ contumelias, gloriam ſuam & virtutem magis effudit, & mirè refecit nos ſenſu amoris ſui, quo repletæ ſunt animæ noſtræ eò abundantius, quod nosmet congregatos ſentiamus in nomine Domini, quod eſt fortiſſimum juſtorum præſidium, quô nos cir-

circummunitos ſenſimus, ne malitiâ adverſariorum periculi aliquid interni ſuſtineremus; & etiam quod liberaverit nos Dominus à vano iſto nomine & profeſſione Chriſtianitatis, ſub quâ non erubeſcebant adverſarii maledictos illos & abominandos fructus producere; imò aliquando in medio hujus tumultûs & turbæ volebat Deus unum vel alium potenter movere Spiritu ſuo, & de gaudio illo, quo, non obſtante eorum malitiâ, fruebamur, teſtari, & ita virtuoſè in evidentiâ & demonſtratione Spiritus contra eorum nequitiam & impietatem declarare, ut virtute veritatis aliquando ad quandam quietem & ſilentium reduxerit eos, & impetuoſum & ſævum eorum furorem & rabiem compeſcuerit: ſicut olim Moyſes virga ſua maris rubri fluctus diviſit, ut tranſirent Iſraëlitæ, ita etiam nobis viam fecit Dominus per medium furentis iſtius impietatis, ut quietè & pacificè illum poſſideremus, cultumque ei præſtaremus. Hinc ſæpè factum eſt, ut ex opponentibus & interruptoribus quidam veritatis convicti fuerint, ita ut ex perſecutoribus patientes nobiscum fierent. Ac, ne in oblivionem veniat, ſed in ſempiternam rei memoriam inſcribatur & permaneat, quod in brutalibus iſtis & beſtialibus perpetrationibus, ad nos in ſpiritualibus noſtris conventionibus moleſtandos, excogitatis, nemini ceſſerunt juniores Academiarum ſtudioſi, qui Philoſophiæ, & Theologiæ, ſic dictæ, ſtudebant, quorum plerique ad miniſterium eccleſiæ ſe præparabant. Si ſcriptis traderemus abominationes omnes, hoc reſpectu ab hoc clericorum ſpermate perpetratas, non parvum volumen foret, ſicut eccleſiæ Chriſti, in hunc purum cultum congregatæ civitatibus Oxoniæ, & Cantabrigiæ in Angliâ, & Edinburgi ac Abredoniæ in Scotiâ, ubi ſunt Academiæ, abundè teſtari poſſunt.

XIV. Præterea, hinc novimus, quod participes facti ſumus diſpenſationis novi fœderis, & verè Chriſti diſcipuli, & quod cum eo ſortiti ſumus ſpiritualem illum cultum, qui in Spiritu & veritate eſt, quia, ſicut ille erat, ſic ſumus in hoc mundo. Veteris enim fœderis cultus habebat externam gloriam, templum & ceremonias, & plenus erat externo ſplendore, & majeſtate, habens externum tabernaculum, & altare auro, argento & gemmis exornatum, ac ſacrificia particulari externo loco erant annexa, *nempè* externo Zionis monti, atque orantes oportebat verſus illud externum templum orare, ideoque hæc omnia externo brachio defendi neceſſe fuit, neque pacificè iis fungi poterant Judæi, niſi quando ſecuri erant à violentiâ externorum hoſtium; quando autem in illos aliquando prævalebant adverſarii, gloria eorum obnubilabatur, ſacrificia im-

impediebantur, & cultus interpellabatur; hinc lugent, dolent, & conqueruntur templi ſui deſtructionem, quaſi damnum irreparabile. Sed Jeſus Chriſtus, novi fœderis cultûs author & inſtitutor, teſtatur, Deum nec hic nec illic coli, ſed in Spiritu & veritate; &, quia regnum ejus ex hoc mundo non eſt, neque in eo conſiſtit cultus ejus, vel opus habet ſapientiâ, gloriâ, divitiis & ſplendore hujus mundi, ut iis adornetur, neque externâ hac poteſtate aut carnali brachio ad defendendum, protegendum aut ſtabiliendum illum; ſed ab iis, qui ſpirituales ſunt, & præſtatur & præſtari poteſt, non obſtante hominum violentiâ & malitia; quia, cùm ſit purè ſpiritualis, naturales homines eum attingere aut interrumpere non poſſunt; & ſicut Jeſus Chriſtus, ejus author, poſſidebat & fruebatur ſpirituali ſuo regno, dum ab hominibus oppreſſus & rejectus eſſet, & ſicuti, non obſtante diaboli malitiâ, principatus ſpoliavit, in illos triumphans, &, per mortem, illum, qui mortis poteſtatem habebat, *id eſt* diabolum, deſtruxit; ſic etiam ſequutores ejus illum & colunt & colere poſſunt, non ſolùm ſine brachio carnis ad protegendos eos, ſed etiam quando opprimuntur. Cultus enim eorum, cùm ſpiritualis ſit, virtute Spiritûs defenditur & munitur: ſed cultus, qui carnales ſunt & in carnalibus & externis ceremoniis & obſervationibus conſiſtunt, opus habent carnali & externo brachio ad defendendos eos, alioquin ſtare & ſubſiſtere non poſſunt. Undè apparet, adverſariorum noſtrorum & Proteſtantium & Pontificiorum cultus hujus generis eſſe, & non verum ſpiritualem Chriſti & novi fœderis cultum; quia, ut ſuprà obſervatum eſt, ſtare non poſſunt, niſi externo magiſtratu protegantur, neque præſtari poſſunt, ubi vel minima fit oppoſitio: non enim ſunt in patientiâ Jeſu, ut illi ſerviant & eum colant expoſiti ignominiis & calumniis; & hinc exorta ſunt omnia illa bella & prælia, ſanguiniſque effuſio, quæ inter Chriſtianos fuit, dum unuſquiſque carnali brachio ſuum cultum & profeſſionem defendere conatus eſt; & hinc etiam portentoſum illud perſecutionis dogma, de quo fuſiùs poſtea dicemus.

XV. Sed quartò. Natura hujus cultûs, qui fit ſilente homine naturali & operante Spiritu, patet ex iſtis Chriſti verbis, Johan. 4: 23, 24. *Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri cultores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate, nam & Pater tales quærit, qui adorent illum. Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare.* Teſtimonium hoc eò magis obſervandum eſt, quia & primum & præcipuum & ampliſſimum teſtimonium eſt, quod dat nobis Chriſtus, Chri-

Christiani sui cultûs, quò differt & contradistinguitur à cultu sub Lege. Primò enim ostendit, nunc tempus esse, quo oportet adorationem esse *in Spiritu & veritate*, nam *tales quærit Pater, qui adorent illum*: tunc non amplius est cultus in externis observationibus consistens, ab homine in suâ voluntate & propriâ vi præstandis, certis & statis temporibus & constitutionibus, alioquin non materialiter, sed solùmmodo secundum aliquas substantias differret à cultu sub Lege. Præterea, quod ad cultûs hujus rationem attinet, non opus est aliam dare, & certè nemo præstantiorem reddere potest, quàm illam, quam dat ipse Christus, quæ omni Christiano sufficere debet, viz, *Deus est Spiritus, & qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare.* Sicut hoc recipi debet, quia verba Christi sunt, ita tam evidenti rationis demonstrationi innititur, ut veritatem suam satis abundè testetur. Optimè enim hîc arguit Christus ab analogiâ, quæ debet esse inter objectum & cultum ei tributum. *Deus est Spiritus. Ergo in Spiritu adorandus est.* Hoc ita clarum est, ut contradictionem non patiatur; & hæc analogia necessariò animadvertenda est; sub Lege, quando instituit Deus ceremonialem illum cultum Judæis, quia externus erat ille cultus, necessarium habuit Deus, ut analogia esset, speciali modo condescendere, & inter Cherubinos intra tabernaculum habitare, & postea templum Hierosolymitanum quodam modo domicilium suum facere, & aliquid externæ gloriæ & majestatis manifestare, ignem de cœlo emittendo ad sacrificia consumenda, & templum nube implendo; per quæ media, externo oculo visibilia, se manifestavit proportionaliter externo illi cultui, quem eos præstare præceperat. Sic etiam nunc sub novo fœdere, cùm secundum cœlestem suam sapientiam visum illi sit, filios suos ducere in via magis spirituali, cœlesti, faciliore & magis familiari, carnales quoque & externas expectationes frustrari volens, ut sui internam gloriam & regnum potius quàm externum affectent, nobis, in hujus rei exemplum, dilectum suum Filium dedit Dominum nostrum Jesum Christum, qui (cùm Moyses Israëlitas ex externâ captivitate, externo brachio & vi, liberâsset, externos eorum hostes excidendo) suos liberavit & liberat patiendo, & hostium suorum manibus moriendo, adeòque in diabolum & suos eorumque hostes internos triumphando, & eos ab istis liberando: sic etiam instituit internum & spiritualem cultum, ita ut nunc populum suum non limitet templo Hierosolymitano, neque externis ceremoniis & observationibus, sed cor cujuslibet Christiani sibi in templum assumit, ibique immediatè apparet, & instruit, quomodo vult coli in externis aliquibus actionibus

nibus

nibus. Cùm enim, ſicut arguit Chriſtus, *Deus ſit Spiritus*, nunc in Spiritu vult coli, ubi ſemet revelat, & cum contritis corde habitat: cùm igitur nunc cor hominis factum ſit Dei templum, in quo vult adorari, & non ampliùs in peculiaribus externis templis (ut dicit beatus Stephanus ad Judæos olim, *Excelſus in manufactis non habitat*) ſicut, antequam deſcendit gloria Dei ad externum templum implendum, oportebat purificari, & ab omni pollutione mundari, & ubi ſtabat tabernaculum, auro operiebatur, quod eſt metallorum pretioſiſſimum & nitidiſſimum; ſic etiam, antequam colatur Deus in interno cordis templo, oportet purgari, & à pollutionibus ſuis permundari, nec non ab imaginationibus & cogitationibus ſuis, ut aptum ſit Dei Spiritum recipere, eoque agi, & hoc nos ad internum illud ſilentium ducit, de quo loquuti ſumus, idque diſertè denotat. Et præterea, oportet, *ſit in veritate*; quo ſignificatur, ſpiritualem hunc cultum hoc modo præſtitum ſolummodo eſſe verè & propriè cultum verum, cùm is ſit, quem (ut argumenta antè producta oſtendunt) nec adverſarius ſimulare, nec hypocrita præſtare poteſt.

XVI. Et licet hic cultus multùm differat à variis commentitiis inter Chriſtianos cultibus, ideoque multis mirus videri poſſit, de eo tamen teſtati ſunt, eumque commendârunt, & aliquantulum præſtare conati ſunt, ex omnibus piiſſimi, etiam omni ſeculo, ut quamplurimis teſtimoniis probari poſſet, ita ut ex hujus profeſſione & praxi nomen *Myſticorum* exortum ſit, quaſi particularis ſectæ ab omnibus commendatæ, quorum ſcripta hujus cultûs explanatione & commendatione ſcatent, ubi abundè affirmant hanc internam introverſionem & abſtractionem animæ ab omnibus (ut vocant) imaginibus & cogitationibus, quod *orationem voluntatis* nuncupant; hoc enim Chriſtianæ perfectionis ſummum volunt, ita ut ex iis quidam, licet profitentes ſe Pontificios & eccleſiæ Romanæ devotos ac morigeros filios, non dubitant affirmare, quod, qui hanc orandi methodum aſſequuti ſunt, vel ad eam aſpirant, *nec neceſſe habent, nec debent ſemet vexare aut occupare frequentibus & parùm neceſſariis confeſſionibus, corporales labores & auſteritates exercendo, vocalium orationum uſu, numeroſas miſſas audiendo, vel præſcriptis devotionibus aut exercitiis ad ſanctos, vel precibus pro vivis & mortuis, vel ſolicitis & anxiis curis ad lucrandas indulgentias, particularia templa viſitando, aut confraternitatibus ſe jungendo, vel ſemet votis & promiſſionibus vexando, quia*

Auguſtini Bakert, Benedicti ordinis, congregationis Angliæ, monachi Duaci, ſancta Sophia, *vel directiones ad orationem contemplativam, linguâ Anglicana editâ, exuſſa anno* 1657. *Tract.* 1. *Sect.* 2. *cap.* 5.

quia hujuſmodi impediunt animam ab obſervatione divini Spiritûs, qui in illâ eſt, & à libertate ſequendi Spiritum, quo duceret illam. Et tamen quis neſcit, quòd in his obſervationibus Pontificiæ religionis ſubſtantia conſiſtit? Hinc tamen apparet & multis aliis locis, quæ ex *Myſticis* eorum ſcriptoribus adduci poſſent, quomodo hunc cultum omnibus aliis præcellere opinabantur, & quòd, qui hunc adepti eſſent, aliis non opus habuerunt; imò qui cœleſtem hunc cultum præſtabant, fatebantur alias ceremonias & cultûs formas iis inutiles fuiſſe, neque ut neceſſarias agebant eas, ſed tantummodo ordinis gratiâ; & licet plurimi eorum ita communibus profeſſionis ſuæ tenebris obſcurati fuerint, affirmabant tamen ſpiritualem hunc cultum ſemper retinendum eſſe & quærendum, licet indè neceſſarium foret externas ſuas ceremonias omittere. Hinc *Bernardus*, ut in multis aliis locis, ſic in epiſtolâ ad *Gulielmum* ejuſdem ordinis abbatem, ait, *attendite ad regulam Dei, regnum Dei in vobis eſt*: & poſtea, agnoſcens debere patris eorum *Benedicti* regulas & ordines obſervari, addit, *ſed aliquin ſi ita accidat, quod ex iſtis alterutrum omitti oporteat, hoc caſu, externa multò magis omittenda ſunt, quàm interna; quo enim Spiritus corpore excellentior eſt & nobilior, eò ſpiritualia exercitia utiliora ſunt corporalibus.* An non igitur ille cultus, quem hominum præſtantiſſimi & optimi cujuſcunque ſectæ & ætatis commendârunt, & doctrinæ Chriſti maximè conſentaneus eſt, præſtandus & agendus eſt? Et eò magis, quoniam ſuſcitavit Deus populum, ut pro eo teſtarentur, &, ad inenarrabile eorum gaudium, utantur eo in ipſo mundi conſpectu, non obſtante multâ oppoſitione, & non ut *Myſtici* ii volunt, ut ſit myſterium quibuſdam tantummodo, qui cellarum mœniis incluſi ſunt, præſtandum, vel, ut illi decepti judicabant, poſt longas & tædioſas externas obſervationes quaſi earum fructus obtinendum. Sed ii, inquam, teſtes hodierni, cùm ſentiant Deum (qui non eſt perſonarum acceptor, ſed qui ſemetipſum revelavit non ſecus Cornelio centurioni Romano, ac Simeoni & Annæ; & qui gloriam ſuam manifeſtavit Mariæ ancillæ, & pauperibus paſtoribus potius quàm ſacerdotibus & devotis Judæorum proſelytis) ſecundum liberum ejus amorem revelantem & ſtabilientem hunc cultum, & quamplurimos mechanicos, imò pueros & puellas teſtes ejus ſuſcitantem, rogant & exorant omnes, ut, depoſitis ſuis voluntariis cultibus, & actionibus ſuâ voluntate & naturali vi factis, à propriis imaginationibus ſe non abſtrahendo, neque purum Dei Spiritum ſentiendo in ipſis covere, ad hunc acceptabilem cultum peragendum veniant, qui in Spiritu & veritate eſt. Sed contra hunc cultum *obiciunt*.

Vide in ſancta Sophia, Tract 3 ſect. 1. cap. 7. Balthazaris Alvaris vitam & Apologiam pro hoc cultu, ad quem, relictis ordinis ſui obſervationibus & regulis, interni & divini luminis motu ductus, ſe convertit.

XVII Primò, inutilem videri laborem, aliquem nihil nec agere, nec cogitare, & multò meliùs occupari de bonis quibusdam meditando, vel Deum orando aut laudando. *Respondeo*, illud minimè inutile est, quod est absolutè necessarium, antequam ullum aliud officium acceptabiliter præstatur, sicuti ostendimus hanc attentionem esse. Præterea, carnalem solummodo & obscuram Dei apprehensionem habent, qui putant homines Deo placere propriis operationibus & actionibus, quum jam ostensum sit, primum hominis progressum ad Deo placendum, consistere in cessatione à propriis suis imaginationibus, ut Dei Spiritum in illo operari patiatur: à malo cessare priùs oportet, quàm bonum agere; & hoc modo in rebus divinis naturali suâ vi agere, est ex pernicioſissimis & gravissimis malis, hominibus incidentibus, cùm illud ipsum sit, quo primi parentes lapsi sunt, *viz.* propensitas desiderii ad cognitionem & actionem absque & contra Dei præceptum.

Secundò *objiciunt*, si cultus noster consistat merè in introvertendo ad Dominum, & Spiritum ejus in nobis operari sentiendo, tuncque externos actus agendo, quando eo ducimur, quid opus habetis publicis conventibus, præscriptis & certis temporibus & locis, quum unusquisque hoc domi possidere possit, vel debetne unusquisque domi manere, donec particulariter moveatur ad hunc vel illum locum adire, cùm certis temporibus & locis convenire videatur esse externa observatio & ceremonia contraria iis, quæ alibi affirmantur? *Respondeo* primò. Certis temporibus & locis convenire non est religiosus aliquis actus, aut pars cultûs, sed tantummodo externa convenientia necessaria ad nos invicem invisendos, dum externo hoc tabernaculo vestimur, ideoque non illud est pars cultûs nostri, sed solùm præparatoria accommodatio exterioris hominis in ordine ad publicum visibilem cultum, cùm minimè nos, quamprimum convenimus, ad visibiles cultûs actus applicemus, donec Dei Spiritu ad eos vocemur. Secundò, placuit Deo, quousque filii sui in hoc mundo sunt, non modo externis sensibus uti, quasi, ad spiritualem vitam communicandum, mediis, ut loquendo, orando, laudando &c. quæ fieri non possunt ad mutuam ædificationem, nisi quando nos invicem audimus & videmus, sed etiam ad præservandum externum visibile testimonium pro nomine suo in mundo: internam suam vitam (quæ externis sensibus non communicatur) magis in suos effundit, & abundare facit, quando simul conveniant ad illum attendendum; ita, sicuti ferrum ferro acuitur, aliorum invicem visio, quando ambo introvertuntur ad vitam, dat occasionem

vitæ

vitæ ſecretè exurgere, & de vaſe in vas tranſire; & ſicut plures candelæ uno loco accenſæ lumen magnoperè augent, magiſque eluceſcere efficiunt; ita, cùm plurimi in eadem vita congregati ſunt, gloria Dei & virtus ejus magis apparet ad ſingulorum refectionem, quoniam unuſquiſque participat non ſolùm luminis & vitæ, quæ in ſe eſt, ſed quæ in cæteris omnibus eſt; ideoque Chriſtus diſertè benedictionem pollicitus eſt iis, qui in nomine ejus conveniunt, dicens, quòd futurus ſit *in medio eorum*, Matth. 18:20. & author ad Hebræos præciſè prohibet hujus officii neglectum, quaſi periculoſiſſimum & pernicioſiſſimum, his verbis ad Heb. 10:24. *& conſideremus invicem in provocationem charitatis & bonorum operum, non deſerentes congregationes noſtras, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam: ---voluntariè enim peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia*; ideoque demonſtravit Dominus particulariter reſpicere ſe eos, qui hoc modo conveniunt, quia ſic externum teſtimonium pro eo in terrâ ſtabilitur, & nomen ejus glorificatur; ideoque qui recti ſunt Spiritûs, naturaliter ducuntur adire Dei populi conventiones, neque unquam deerit iis ad illos ducendos influentiâ. Si quis autem in merâ conſuetudine agat, procul dubio condemnationem propterea ſentiet. Non indè tamen locorum & temporum certorum ad conveniendum conſtitutio dici poteſt ceremonia & obſervatio hominis voluntate in cultu divino facta, cùm non ſit actus cultûs, ſed ſolummodo præſentatio noſtrûm in ordine ad cultum. Quod autem à primitivâ eccleſia & ſanctis agebatur & obſervabatur, adverſarii non negabunt.

Denique, *Objiciunt* quidam, ſilentem hunc colendi modum in Scripturis non inveniri. *Reſpondeo*, non conſtituimus ſilentium quaſi ſolam cultûs noſtri ſubſtantiam, quum, ut ſuprà dictum eſt, paucæ ſint congregationes, quæ omninò ſilent, ſed frequenter unus vel alius ad prædicandum vel orandum movetur, ideoque conventiones noſtræ ſimiles ſunt primitivæ eccleſiæ, cùm fateantur adverſarii, quod illi prædicabant & orabant per Spiritum. Et cùm ita ſit, quid abſurdi ſequeretur, ſi ſupponeremus Spiritum aliquando eos ad externos iſtos actus non moviſſe, & tunc ſiluiſſe, cùm benè concludere poſſimus, eos non locutos eſſe, niſi quando movebantur, ideoque procul dubio aliquando ſilentium habuiſſe, Act. 2:1. Antequam Spiritus ſupervenit illis, *dicuntur omnes uno loco fuiſſe*, & tunc additur, *repente Spiritum adveniſſe*: ſed de aliquo tunc temporis loquente nulla fit mentio, & velim cognoſcere, quid abſurdi poſſint inferre adverſarii, ſi concluderemus fuiſſe eos ante hunc adventum Spiritus pro tempore

quodam silentes. Sed si *urgeatur*, conventionem totaliter silentem in Scripturâ ostendi non posse. *Respondeo*, quod, si tale scriptis non mandatum est, non indè sequereretur legitimum non esse, si naturaliter ab obedientiâ aliorum Scripturæ præceptorum consequitur, uti hoc fieri ostendimus, cùm nos convenire præcipiat Scriptura, & congregatos nos prohibeat orare vel prædicare, nisi ut movet Spiritus; si congregati Spiritu non moveantur, necessariò sequitur debere eos silere. Sed præterea, tales silentes congregationes potuissent esse inter antiquos, licet earum non meminerit Scriptura, & tamen habemus in Scripturâ, quod sufficit, ad ostendendum tales aliquando fuisse. Dicitur enim de Jobo & amicis suis, quòd septem dies & noctes simul tacitè considebant, hæc erat longa silens conventio. Vide etiam Ezram cap. 9: 4. & Ezechiel 14: 1. & 20 1. Demonstratâ igitur hoc modo hujus cultûs excellentiâ, & à Scripturâ & rectâ ratione probata, & adversantium objectionibus obviatis, licet hæc sufficerent ad thesis nostræ explanationem & probationem, quædam tamen breviter addam magis particulariter de prædicando, orando, & cantando, & tunc ad sequentem propositionem procedam.

XVIII. *Prædicatio*, sicut eâ utuntur & Pontificii & Protestantes, sic fit; unus aliquis locum quendam vel versum Scripturæ assumit, & in eum per horam vel diutius loquitur ea, quæ antea in musæolo studuerit & præmeditatus sit, & congesserit vel à propriâ inventione, vel ab aliorum scriptis & observationibus, & tunc memoriæ, sicut puerulus lectionem, mandat sermonem suum, & coram populo recitat: & quo fertilior & copiosior alicujus inventio est, vel ille enixior in tales observationes colligendo, easque effari potest sermonis excellentiâ & humanâ eloquentiâ, eo excellentior & præstantior prædicator existimatur.

Huic autem opponimus, quod, quando sancti conveniunt & unusquisque ad donum & gratiam Dei in semetipso introvertitur, is, qui ministrat, eâ gratiâ in seipso actus loqui debet, quod dat & suppeditat illi Spiritus, non sapientiam & verborum eloquentiam affectans, sed demonstrationem & virtutem Spiritûs, idque vel in interpretando aliquem Scripturæ locum, si ad illud Spiritus bonus commemorator ducat eum, vel aliter exhortando, coarguendo, vel instruendo, vel sensum spiritualis alicujus experientiæ eloquendo, quæ omnia Scripturæ consentanea futura sunt, licet forsan particulari alicui capiti vel versui, quasi textui, non relativa. Examinemus igitur & consideremus, utrum horum magis consentaneum sit præceptis & praxi Christi, Apostolorum & primitivæ ecclesiæ, sicut testatur de iis Scri-

Scriptura. Primò autem, quod ad eorum in textum certum prædicationem attinet, si non esset ex merâ consuetudine factum, sed è divini Spiritûs cultu & motu, non ideo contenderemus cum iis; sed, ut illi utuntur, nec præceptum nec exemplum, quod unquam observavi, in toto novo Testamento invenitur, quasi pars aliqua instituti ejus cultus. Sed *aiunt*, accepisse Christum librum Prophetæ Isaiæ, ex illo legisse, & exindè loquutum fuisse; atque prædicasse Petrum à sententiâ Joëlis. *Respondeo.* Quod neque Christus neque Petrus hoc fecerint, nisi acti & immediatè Spiritu Dei moti, idque absque præmeditatione, non abnegabunt adversarii; quo casu libenter approbamus: sed quid hoc ad præmeditatas communes eorum conciones sine attendendo vel expectando Spiritûs motiones. Præterea, quòd neque Christus, neque Petrus hæc fecerint; quasi forma constituta & præscripta à ministris ecclesiæ semper facienda, apparet, quia in plerisque prædicationibus Christi & Apostolorum, quarum meminit Scriptura, hâc methodo non usi sint, ut patet è Christi in monte sermone, Matth. 5: 1. &c. Marc. 4: 1. &c. & Pauli ad Athenienses & Judæos, &c. Cùm igitur hæc prædicandi methodus nullum habeat in Scripturâ exemplum nec fundamentum, ita etiam contraria est naturæ Christianæ prædicationis sub novo fœdere, sicut Scriptura de eo testatur: cùm enim emiserit discipulos suos ad prædicandum Christus, dixit eis, quòd ex seipsis non loquuturi essent, ideoque non deberent præmeditari antè, quid dicturi erant, *sed in ipsa hora, inquit, docebit vos Spiritus, quid dicetis*, sicut particulariter ejus fit mentio in tribus Evangelistis, Matth. 10: 20. Marc. 13: 11. Luc. 12: 12. Si autem hoc mandatum dedit Christus discipulis, antequam ab iis discederet, multò magis ita facere deberent post ejus discessum, quando Spiritûs majorem mensuram acceperant, eumque datum sibi habebant, ut eos in omnibus duceret: & si ita facere eos oporteret, dum coram Magistratibus & Principibus terræ adducerentur, multò magis in cultu divino, quando coram Deo stant, quoniam cultus ejus, ut suprà ostensum, in Spiritu peragendus est, ideoque post Spiritus sancti effusionem, Act. 2: 4. dicuntur loquuti fuisse, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, non quod studebant, ex libris collegerant, & antea in musæolis præcogitarant. Contra hoc humanum & excogitatum prædicandi genus optimè disserit, & talium prædicatorum hypocrisin ostendit Franciscus Lambertus, suprà citatus, Tract. 5. de Prophetâ, cap. 3. *Ubi jam sunt, qui gloriantur inventis suis, qui dicunt pulchrum inventum, pulchrum inventum! inventum autem vocant id, quod à seipsis confinxerunt, sed quid fidelibus & hujusmodi figmentis,*

mentis, non figmenta, non inventa, sed solida, invicta, æterna cælestiaque volumus, quæ non homines adinvenerunt, sed quæ Deus revelavit; si enim Scripturæ credimus, nostris adinventionibus nihil proficimus, nisi ad Deum in nostram perniciem irritandum. Et postea, *Vide autem, ne unquam definias, quod præcisè loqueris, quæ priùs meditatus sis, quodcunque illud sit, tametsi de textu, quem expositurus es, definire licet, de interpretatione verò ejus minimè; ne, si id facis, auferas Spiritui sancto, quod suum est, nempè dirigere sermonem tuum, ut nudus omni eruditione, meditatione, & experientia, & quasi nihil prorsus studuisses, accedas ad prophetandum in nomine Dei; illius Spiritui committes cor, linguam & teipsum totum, priori studio aut meditationi nihil penitus fidens, sed dicens apud te, in magna divinæ professionis fiducia, Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multâ. Summè autem devita, ne sequaris morem hypocritarum, qui ferme de verbo ad verbum, quicquid dicturi sunt, scripserunt, & quasi recitaturi aliquot versus in theatro cum tragœdis totam concionem discerunt, & postea, cùm sunt in prophetandi loco, orant Dominum, ut linguam eorum dirigat: sed interim, claudentes viam Spiritui sancto, definiunt se nihil dicturos præter id, quod scripserunt. O infælix Prophetarum genus, immo veri maledictum, quod à suis scriptis aut meditatione, non à Dei Spiritu pendet! Quid pseudopropheta oras Dominum, ut Spiritum det, quo loquaris utilia, & interim Spiritum repellis, cur præfers tuam meditationem aut studium Spiritui Dei, alioqui cur ipsi Spiritui non te committis?*

XIX. Secundò, hic modus prædicandi, sicut eo utuntur hodierni prædicatores, cùm etiam affirment, quòd & possit præstari, & sæpè ab impiis gratiâ vacuis præstetur, ecclesiam non solùm non ædificare potest, vel veram fidem generare aut nutrire, ut ipsi certè destructivus sit, cùm directè contrarius sit naturæ Christiani & Apostolici ministerii, de quo Scriptura mentionem facit: *Prædicabant enim Evangelium Apostoli non in verborum sapientiâ, ne evacuaretur crux Christi*, 1 Cor. 1:17. Sed hæc prædicatio, cum non fit motu & actu Spiritus, sed hominis inventione & eloquentiâ in voluntate suâ, & per naturales vires, & acquisitam eruditionem, est in sapientiâ verborum, ideoque crucem Christi vacuam facit. Apostoli sermo & prædicatio non erat *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & virtutis, ne fides auditorum esset in sapientiâ hominum, sed in virtute Dei*, 1 Cor. 2:3, 4. 5. Sanè hæc prædicatio, cùm nihil habeat Spiritus & virtutis Dei, quia & prædicatores & auditores fatentur, quod tale nec expectant nec sentiunt, oportet stet in persuasibilibus

huma-

humanæ ſapientiæ verbis, cùm merâ hominis ſapientiâ quæratur & merâ humanæ eloquentiæ vi producatur, ideoque non mirum eſt, ſi fides eorum, qui audiunt & è talibus prædicatoribus & prædicationibus pendent, ſit in ſapientiâ hominum, & non in virtute Dei. Declarabant Apoſtoli, *quod non loquerentur in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in iis, quæ Spiritus ſanctus docet*, 1 Cor. 2: 13. Sed hi prædicatores fatentur ſe Spiritui ſancto ejusque motionibus & operationibus peregrinos eſſe, neque ad ſentiendum illum attendere, ideoque loqui in verbis, quæ ſuppeditat iis naturalis eorum ſapientia & eruditio, eis immiſcentes & addentes, quæ è Scriptura & aliis libris furantur; & ideo non loquuntur, quæ docet ſanctus Spiritus.

Tertiò, contrarium hoc eſt ordini & methodo primitivæ eccleſiæ, ſicut exprimit Apoſtolus, 1 Cor. 14: 30. &c. *ubi in prædicando unusquisque ſuam revelationem attendere præcipitur, & ſic ſibi invicem locum dare, prout revelationes adſunt.* Sed hic nemo revelationem expectat, ſed oportet unum loqui, non autem illud, quod revelatum eſt, ſed quod antea præparavit & præmeditatus eſt.

Denique, hôc prædicationis genere Spiritus ſanctus, qui debet præcipuus & principalis ductor & inſtructor eſſe populi Dei, & cujus influentia illud eſt, quo duntaxat omnis prædicatio efficax & beneficialis redditur ad ædificationem animarum, excluditur, & naturalis hominis ſapientia & eruditio exaltatur, quæ (procul dubio) inter alia præcipua & magna cauſa eſt, quare prædicatio inter pleroſque Chriſtianos adeò infructifera & ſterilis eſt; imò ſecundum hanc doctrinam diabolus prædicare poſſit, & audiri debet, cùm & veritatis notionem nôrit, & eruditione ac eloquentiâ nulli eorum prædicatorum cedat. Sed quid prodeſt notio veritatis, ejuſque cum maximâ elocutionis excellentiâ declaratio, ſi *demonſtratio & virtus Spiritûs* deſit, quæ conſcientiam penetrat? Videmus, quando veritatem confeſſus eſt diabolus, rejeciſſe Chriſtum teſtimonium ejus. Et ſicut luculenta illa Scripturæ teſtimonia probant, hanc prædicandi methodum Chriſti doctrinæ contrariam eſſe, ita etiam probant hanc noſtram antè ſignificatam iis conformem eſſe.

XX Sed ſi quis *objiciat*, hunc prædicandi modum multis utilem fuiſſe, & pleroſque miniſterio eorum, qui prædicationes præmeditati ſunt, converſos & ædificatos fuiſſe, imò & Spiritum Dei ſæpiùs concurriſſe divinâ influentiâ prædicationibus hoc modo præcogitatis, ita ut potenter in auditorum corda penetraverint ad eorum utilitatem. *Reſpondeo*, licet hoc con-

concedatur, quod minimè abnegabo, indè tamen non sequetur, praxin istam fuisse in se bonam, non magis, quàm, quia Paulus Damascum ad persequendos sanctos iter faciens Christum obvium habuit ad animę suæ conversionem, ideo benè egisse illud iter suscipiendo; neque particulares actiones nec integræ congregationes (ut suprà observatum est) secundum actus divinæ condescensionis ponderandæ sunt, qui temporibus ignorantiæ connixit Præterea, sæpè accidit, quòd Deus, simplicitatem & integritatem vel prædicatoris vel auditorum respiciens, virtute suâ prædicatoris cor tetigerit, eumque duxerit ad loquendum, quę in præmeditato suo sermone non erant, & quæ forsan antea in mentem non venissent; & ejaculationes illæ transitoriæ, & non præmeditatæ, sed vivæ exhortationes, utiliores & efficaciores & prædicatori & auditoribus sæpius factæ sunt, quàm omnes ejus præmeditatæ conciones. Sed hoc nullo modo indulget iis, in istis prædicationibus continuare, quæ in se approbatæ non sunt, sed Apostolorum praxi contrariæ, quando Deus suscitavit populum servaturum ei secundum primitivam puritatem & spiritualitatem; imò ii actus divinæ condescensionis, tenebrarum & ignorantiæ temporibus, nunc potius omnes provocare debent illum sequi, prout revelat perfectionem suam & dispensationem magis spiritualem.

XXI. Hactenus de prædicatione, nunc de *Oratione* dicendum est, de quâ similis oritur controversia. Adversarii, quorum integra religio plerumque externa est, & cujus actus sunt merè naturalis voluntatis & viribus producti, nam ut prædicare, ita & orare possunt, quando volunt; ideoque certas suas & præscriptas orationes habent. Non hîc me immiscco iis, quas inter se de hoc habent, controversiis, cùm quidam pro liturgiâ sint, quidam pro orationibus extempore conceptis; sufficit mihi, quòd in hoc conveniant, motiones & inspirationes Dei Spiritûs nec necessarias, nec prævias iis esse debere; ideoque certa & præscripta tempora habent, *viz.* ante & post prædicationem, in privatâ devotione manè & vesperè, & ante & post cibi degustationem, quibus præcisè ad orationes suas se applicant, verba Deo loquendo, sive sentiant motus aut influxum divini Spiritûs sive non; ita ut nonnulli confessi sint, se frequenter orasse hoc modo absque motu & influentia Spiritus, quod peccatum esse agnôrunt, & tamen eodem tempore affirmarunt, velle se certis istis temporibus sine interruptione precari, etiamsi abiit Spiritus, licet sic faciendo adhuc peccarent. Nos libenter fatemur, orationem esse & perutilem & necessariam, officium nempè à Deo mandatum, & ab omnibus Christianis crebrò peragendum;

agendum; ſed ſicuti nihil abſque Chriſto agere, ita nec orare ſine Spiritûs adjumento & auxilio poſſumus. Ut autem ſtatus controverſiæ meliùs intelligatur, conſideretur, orationem duplicem eſſe, externam & internam. Interna oratio eſt ſecreta illa animæ introverſio, quâ ſecretè factâ, & lumine Chriſti in conſcientiâ experrecta, & ſic ſenſu iniquitatum & indignitatis humiliata ad Deum aſpirat, & cum ſecretis illis divini ſeminis ſpirationibus jungens ad illum ſuſpirat, & conſtanter ſecreta ſua deſideria & aſpirationes ad eum emittit. Hoc ſenſu adeò frequenter in Scripturâ jubemur *indeſinenter orare*, ut Luc. 18: 1. 1 Theſſ. 5: 17. Eph. 6: 18. Luc. 21: 36. quæ de externa oratione intelligi non poſſunt, quia impoſſibile eſſet hominibus ſemper externè orare, & hoc modo ab aliorum officiorum, quæ etiam non minùs præcepta ſunt, praxi impedirentur. Externa autem oratio eſt, quando anima (in hoc exercitio introverſionis ſiſtens, & divini Spiritûs inſpirationem ſentiens) potenter influentem vim & libertatem, Spiritûs ſuperadditâ motione & influentia, accipit, vel ſibi in corde, licet non audibili voce diſtinctas, ejaculationes emittendi, vel eas verbis effandi, aut ſuſpiriis, idque vel in publicis conventibus, vel privatim, vel ſub deguſtationem. Sicut igitur omni tempore interna oratio neceſſaria eſt, ita nemo durante viſitationis die caret influentiâ plùs minùs ad ejus praxin. Non enim citius introvertitur anima, & ſe in Dei præſentiâ conſiderat, quàm hanc orationem aliquâ ex parte agit. Externa orationis exercitatio cùm majore & ſuperadditâ influentiâ & motu Spiritus egeat, & ſicut perpetuò agi non poſſit, ita nec tàm ſubito efficaciter præſtari poteſt, donec animus aliquantulum internam expertus ſit; qui igitur diligentes & vigilantes ſunt, & ſæpè introverſi & in uſu internæ orationis magis idonei ſunt, externo frequentius uti poſſunt, quia ſancta hæc influentia conſtantiùs eos concomitatur, &, cùm meliùs nôrint & percipiant motus divini Spiritûs, eos facilè diſcernere poſſunt: & ſicut ii, qui diligentiores ſunt, ad Deum propinquiorem aditum habent, ita maximè delectatur eos Spiritu ſuo trahere, ut ad eum appropinquent, eumque invocent. Ita ubi multi ſimul congregati ſunt in hoc vigilante animo, frequenter inter eos effundit Deus Spiritum orationis, eosque ad eandem excitat, ad mutuam eorum in amore ædificationem. Quia igitur externa hæc oratio ex internâ pendet, eumque ſequitur, nec præſtari poteſt ſine ſuperadditâ influentiâ & motione Spiritûs, ideo certa tempora præſcribere non poſſumus ad externam orationem, adeò ut neceſſitatem nobismet imponamus talibus præfixis temporibus verba orationis pronunciare, ſive ſentiamus Spiritûs influentiam,

sivè non; hoc enim, ut judicamus, erit Deum tentare, & ad eum sine debitâ præparatione appropinquare. Necessarium igitur existimamus, primò, nos coram illo præsentare hac animi introversione, & tunc procedere, sicut nos juvabit & trahet Spiritus, & hoc acceptare Deum sentimus; & aliquando si videatur illi nos in silenti hoc loco exercere ad patientiæ nostræ experimentum, non permittendo nos loqui, ut nos doceat non externis actionibus inniti & nobismet satisfacere, ut plerique faciunt, dicendo orationes, &, ut dependentia nostra in illum firmior & constantior sit, attendendo sceptri sui exhibitionem & libertatem ab eo, ad appropinquandum ei cum majore animorum libertate & propensitate; non tamen negamus, quin Deus aliquando quàm subitò, imò ad primam animi introversionem, det virtutem & libertatem verba orationis producendi, ita ut vix discernere præviam aliquam motionem anima possit, sed & influentia & orationis emanatio simul & semel erit; verissimum enim est illud Bernardi, *Tepida est omnis oratio, quam non prævenit inspiratio.* Licet affirmemus, debere neminem orare sine hoc motu, non tamen negamus, quin graviter peccent, qui orare negligunt; peccatum autem eorum in illo prius jacet, quod ad illum locum non se convertant, ubi illud sentire possent, quo ad orationem ducantur; ideoque non dubitamus, quin plerique internæ hujus introversionis & vigilantiæ neglectu multis pretiosis orandi opportunitatibus careant; ideoque rei sunt in conspectu Dei, peccarent tamen, si agerent, antequam influentiam sentiant. Sicut enim justè Dominum offendit, qui lecto jacet & dormit, dum Domini negotia peragere debeat, si tamen talis subitò exurgeret, & sine vestibus & necessariis illis instrumentis, absque quibus nullo modo laborare possit, ad agendum furiosè curreret, non ita priorem culpam expiaret, sed potiùs in recentem noxam illaberetur; & sicut contingere potest, quod, qui non intentus sit, sed aliter occupatus, aliquem, etiam illum propè alloquentem, non audiat, imò nec observet horologii sonantem campanam; ita fit, quod plerique negligentia Deum, sæpè eos vocantem, & ad orationem invitantem, non audiant, non indè etiam sequetur, quod sine Spiritus ejus motu aut ductu in voluntatibus suis se ad orandum applicare debeant.

Et denique, licet hæc sit sola, vera & propria orandi methodus, & ea, quæ Deo solùm grata est, non tamen negabimus, quin sæpè Deus indulserit, & quorundam preces & supplicationes exaudierit, præsertim tenebrarum temporibus, qui in hoc magnoperè errârunt, ita ut quidam, qui in orationibus formalibus se prostraverint, forsan in materia non secus quàm

quàm methodo vitiosis, illum tamen indè occasionem arripere senserint, animas suas molles reddere & mirè reficere; tamen, ut de prædicatione & alibi antea observatum est, hoc neminem in tali praxi justificabit, vel impedire eos debet, ne ad puram spiritualem & acceptam orationem se applicent, quam Deus nunc restauraturus est, educens populum suum ab omni superstitione & nudâ formalitate. Statu controversiæ & sensu nostro hoc modo explanato, & multis objectionibus præoccupatis, cæteris responsio brevior & facilior erit: hanc spiritualem orationem primò probabo brevibus quibusdam è Scripturâ considerationibus, & tunc adversariorum objectionibus respondebo, quo etiam eorum orandi methodus & forma refutabitur.

XXII. Primò autem, quòd necessaria sit hæc animi introversio orationi prævia, ut Spiritus ducere sentiatur, apparet, quoniam plerisque iis locis, quibus oratio præcipitur, vigilantia præfigitur uti præcedere necessaria, ut Matth. 24:42. Marc. 13:33. 14:38. Luc. 21:36. ex quibus luculentum est, vigilantiam hanc orationem præire. Quo autem fine est hæc vigilantia, vel quid est, nisi animi attentio ad Dei Spiritum, ut eum ad orationem ducere sentiat, quo utiliter præstetur: cùm enim in Spiritu orare semper debeamus, & sine illo è nobismet ipsis orare non possimus, hæc vigilantia hoc fine nobis commendatur, ut attendamus & vigilemus, opportunum tempus ad orandum observare, videlicet, quando movet Spiritus. Secundò, hæc necessitas motuum & adjumenti Spiritus abundè appareat ex illo Pauli Apostoli ad Rom. 8:26, 27. *Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit, quid desideret; quia secundum Deum postulat pro Sanctis.* Quo exhibetur hominis incapacitas ex se ad orandum, vel Deum invocandum in voluntate suâ, imò etiam eorum, qui fidem Christi receperant & secundum aliquam mensuram sanctificati sunt, sicut erat ecclesia Romana, cui tunc scribebat Apostolus. Porrò, hic locus illud denotat, quo solummodo juvari homines ad orandum possint, videlicet Spiritum, sine quo nec acceptabiliter Deo, nec sibi utiliter orare possunt. Deindè, modum & methodum Spiritûs intercessionis, gemitibus inenarrabilibus. Postremò, quòd Deus gratiosè accipiat orationes eorum, quæ illi à Spiritu hoc modo offeruntur, & quæ secundum voluntatem ejus sunt. Nunc autem certè putandum est, hunc orandi ordinem, ab Apostolo hoc loco affirmatum, non inconsistere esse cum iis aliis Scripturæ testimoniis, quibus orationis usus & officium nobis præcipitur & mandatur; è quibus sic argumentor.

mentor. Si homo neſcit, quomodo oret, neque orare poteſt absque adjumento Spiritûs, tunc ille ſine utilitate absque illo orat: Sed prius eſt verum: Ergo & poſterius. Tertiò, hæc Spiritus neceſſitas ad veram orationem patet, Eph. 6. 18. & Jud. ver 20. ubi Apoſtolus jubet, *orare omni tempore in Spiritu, vigilantes in illo*; quod æquè eſt, ac ſi diciſſet, quòd nullo tempore orandum ſit abſque Spiritu, nec ſine vigilantia in illo. Et Judas demonſtrat, quod orationes in Spiritu ſancto eæ ſunt, quibus in ſanctiſſimâ fide ædificamur. Quartò, Paulus Apoſtolus diſertè ait, 1 Cor. 12. *neminem poſſe dicere Dominum Ieſum, niſi Spiritu ſancto.* Si igitur Jeſus nec nominari poſſit niſi Spiritu, multò minus acceptabiliter invocari poteſt abſque illo. Hinc idem Apoſtolus teſtatur, 1 Cor. 14. *quod Spiritu oraſt*, in evidens teſtimonium, quòd absque illo orare non ſolebat. Quintò, *omnis oratio absque Spiritu eſt abominationi*, tales ſunt orationes impiorum, Prov. 28: 9. & fiducia, quam habent ſancti ad eum, illa eſt, quia, *quodcunque petierint ſecundum voluntatem ejus, audit eos*, 1 Joh. 5: 14. Si autem petunt non ſecundum voluntatem ejus, non habent cauſam fiduciæ, quod audiat eos. Fatebuntur autem adverſarii, preces ſine Spiritu non eſſe ſecundum voluntatem Dei; qui igitur ſine illo orant, non habent cauſam reſponſionem expectandi: jubere enim aliquem orare absque Spiritu, idem eſt, ac jubere aliquem videre ſine oculis, operari ſine manibus, vel ambulare absque pedibus. Et qui urget aliquem ad orandum incipere, priusquàm Spiritus ſecundum aliquam menſuram plus minus moveat illum, eſt quaſi urgeret aliquem videre, antequam oculos aperiat, vel ambulare, antequam ſurgat, vel manibus operari, priusquam eas moverit.

XXIII. Sed denique, à falſâ hac opinione orandi absque Spiritu, & motus ejus parùm neceſſarios judicandi, provenit tota illa ſuperſtitio & idololatria, quæ inter eos, qui Chriſtiani dicuntur, invenitur, nec non omnes illæ abominationes, quibus vexatur Dei Spiritus; ita ut multi ſe hodiè decipiant, ſicut olim Judæi, exiſtimantes ſufficere, ſi quotidiana ſolverent ſacrificia, & uſitatas ſuas & traditionales obligationes offerrent. Hinc ſemet beant, falſamque ſibi pacem creant, ſicut in Proverbiis Meretrix, quia matutinas & veſpertinas orationes obtulerunt; & abundè manifeſtum eſt, illum uſum minimè converſationes eorum & vitas emendare, cùm plerumque nihilominus non meliores, ſed pejores potius indies evadant. Imò nonne eſt frequentiſſimum, & inter Pontificios & Proteſtantes, è profanâ & levi converſatione certis ſuis & ſtatis horis in orationem, & ſolitas devotiones quaſi ſaltare, quas vix peractas, verbaque ad Deum

vix

vix ex ore emissa, prior profana sermocinatio sequitur, ita ut pateat, eodem profano hujus mundi Spiritu in utroque eos agi. Si igitur aliquid nunc sit, quod vana oblatio dici potest, quam nolit Dominus, sicut testatur Scriptura, Isa 66: 3. Jer. 14: 12. certè eas orationes, quæ in hominis voluntate & naturalibus viribus sine Dei Spiritu actæ sunt, ex illarum numero esse oportet.

XXIV. Ad probationem hæc sufficient; nunc ad objectiones eorum respondendas procedam, si primò quædam breviter de nos jungendo cum aliis in oratione dixerim: qui simul & communi consensu orant, illi non solum animis, sed etiam corporis gestu concurrere solent, quod etiam nos libenter approbamus; decet enim eos, qui coram Deo ad orandum accedunt, & flexis genibus & aperto capite illud agere, quæ nostrorum praxis est. Sed hinc *oritur* controversia, num liceat cum aliis, pro formâ & more orantibus, & Spiritûs motum nec attendentibus, nec necessarium judicantibus, quamvis non mente, tamen externis istis reverentiæ signis concurrere. *Respondemus*, Nequaquam: & propter nostrum hac in re testimonium nonnihil passi sumus, cùm enim vel casu, vel ad testificandum contra eorum cultum, accidat, nos præsentes esse durante eorum cultu, nec licuit cum iis ad cultum eorum flectere, nos sæpissimè non convitiis solùm, sed etiam verberibus, & crudelibus plagis persequuti sunt; hac causâ nos superbiæ, profanitatis & insaniæ insimulare solent, quasi nullum divino cultui respectum aut contuitum haberemus, ac si neminem præter nos ipsos posse orare, vel à Deo audiri arbitraremur. Quibus omnibus multisque aliis hujus generis convitiis breviter & modestè *respondemus*, sufficere nobis, quòd neque superbiâ, neque insaniâ, nec profanitate acti hoc agamus, sed merè ne conscientiam lædamus: ratio autem facti plana & evidens est, quia cùm sententia nostra & doctrina nos inducat credere orationes eorum, quæ fatentibus ipsis sine Spiritu aguntur, abominationes esse, quomodo salvâ conscientiâ cum iis concurrere possumus? Si *urgeant*, hoc summum incharitatis esse & arrogantiæ, quo *sciz.* judicamus nostros semper motu Spiritûs orare, eos autem nunquam, quasi vero nos nunquam decepti essemus absque Spiritûs motu orando, ii autem nunquam Spiritu suffulcirentur; cùm, licet non judicent motionem Spiritûs semper necessariam, fatentur tamen perutilem & consolabundam, iisque sæpè afflantem sentiunt, & hoc aliquando fieri, nos non posse negare. Quibus omnibus distinctè *respondeo*, si nota eorum & manifesta doctrina esset, non orare sine Spiritûs motu, &, eam seriò tenentes se non præcisè certis quibusdam

buſdam temporibus orare non limitarent (quibus determinant orare licet abſque Spiritu) tunc quidem incharitatis & ſuperbiæ accuſandi eſſemus, ſi nunquam cum iis nos jungeremus; & ſi ita docerent & agerent, non dubito, quin liceret nobis ita agere, niſi evidens aliqua & omnibus manifeſta hypocriſis & deluſio appareret; ſed cùm profiteantur, ſe orare ſine Spiritu, & cùm nobis certè perſuaſerit Deus, tales orationes abominabiles eſſe, quomodo cum abominationibus nos jungere, ſalvâ conſcientiâ, poſſumus? Quòd Deus iis aliquando indulgeat, minimè negamus (licet hodiè, cùm ſpiritualis hic cultus apertè proclametur, omneſque ad illum invitentur, res aliter ſe habeat, quàm veteribus illis apoſtaſiæ & tenebrarum temporibus) ideoque licet Spiritûs motum quiſpiam nobis præſentibus non expectans orare cœperit, & apertè manifeſtum fieret, indulgentiâ Deum cum tali concurrere Spiritûs ſui virtute, tunc, cum Dei voluntate concurrentes, etiam nos jungere externis iſtis ſignis non recuſaremus; ſed hoc rarò fit, ne in falſâ eorum ſententiâ inde confirmarentur: & licet hoc in profeſſione noſtrâ durum videatur, ita tamen & Scripturarum & rectæ rationis authoritate confirmatur, ut plerique convicti hanc partem ante alias veritates, quæ faciliores, & ut quibuſdam videretur, clariores erant, amplexi ſint, quorum inter alios multos ante paucos annos memorandus eſt *Alexander Skeinæus*, Aberdonenſis urbis magiſtratus, vir admodum modeſtus, ab aliorum ſcandalo maximè abhorrens, qui tamen, vi veritatis hac in re victus, hâc de cauſâ à publicis conventionibus & orationibus ſeparare, nobiſque ſe adjungere neceſſe habuit, qui converſionis ſui rationem & quidem totam hanc de cultu controverſiam quibuſdam quæſtionibus, quas publicis civitatis concionatoribus obtulit, breviter ſed nervoſè comprehendit, quas hoc loco ſubjungere libet.

1. *Num debet ullus actus divini cultûs fieri abſque ſancti Spiritûs motu aut ductu?*

2. *Si motus Spiritûs ad unumquodque officium neceſſarii ſint, oportetne ad illum attendere, ut & omnia noſtra facta & verba fiant, prout ille influentiâ ſuâ dat loqui & agere?*

3. *Num unuſquiſque, qui dicitur Chriſtianus, vel profitetur ſe eſſe Proteſtantem, talem continuatam & conſtantem Spiritus menſuram habet, ut quolibet tempore, ſine attendendo, ſtatim ad cultum ſe applicare poſſit?*

4. *Si animus aliquando fiat indiſpoſitus & ineptus ad ea officia præſtanda, ſaltem quoad ſpiritualem & vivacem præſtationem, num in hoc caſu & hoc tempore præſtari debeat cultus?*

5. *Si*

5. *Si aliquod officium peragatur ſub prætextu obedientiæ externo præcepto alſque ſpirituali vitâ & motu neceſſario, num in fide expectari poſſit officium, hoc modo peractum, Deo acceptum fore, & nonne potius habendum eſt quaſi peregrini ignis coram Domino oblatio, cùm (ad præſtantiſſimum) naturalibus & acquiſitis viribus præſtetur, & non virtute & aſſiſtentiâ divini Spiritûs, quem figuravit ignis de cœlo deſcendens, quo ſolo, & non alio oportebat ſacrificia conſumi?*

6. *Num ea officia, quæ præſtantur meris viribus naturalibus & acquiſitis naturali induſtriâ, minus realiter ſint imago humanæ inventionis, quàm cultus Pontificius (licet non adeò craſſus quoad externam apparitionem) ideoque nonne ejuſdem ſuperſtitionis eſt, cultum ullum hujus naturæ frequentare, vel ei annuere, quàm cultui Pontificio, licet quoad gradum ſit differentia?*

7. *Num cauſa offenſæ aut juſti ſcandali eſt, eorum cultum frequentare & adire, quorum manifeſtum eſt dogma, nec ad ædificationem loqui nec orare, niſi ut à Spiritu ſancto plùs minùs adjuvantur ſecundum aliquam menſuram, cujus adjumentum cùm non ſentiant, potius ſilebunt, quàm abſque ejus influentiâ loquentur?*

His illi, ſed frigidè admodùm & tepidè, reſponderunt, quas reſponſiones ille etiam jam diu abundè refutavit. Cùm autem nos vocaverit Deus ad ſpiritualem cultum, & ad teſtificandum contra humanos & voluntarios apoſtaſiæ cultus, ſi nos hoc modo ad veritatem revelatam immobiliter non ſtaremus, ſed cum iis nos jungeremus, teſtimonium noſtrum pro Deo debilitaretur & amitteretur, & cultum hunc in mundo ſtabiliter propagare impoſſibile eſſet, cujus progreſſum tardare vel impedire aliquo noſtro actu, licet ejus cauſâ non ſolùm honores, ſed etiam vitam, perderemus, nobis minimè licet. Et certè Proteſtantes plerique, hac in re vacillantes, & Pontificiis abominationibus, politicis de cauſis, præſentia ſua blandientes, & profeſſioni ſuæ ſcandalum & reformationi nonnihil detrimenti attulerunt, ut patet in exemplo Electoris *Saxoniæ*, qui in conventu *Auſburgi*, anno 1530. juſſus ab Imperatore *Carolo* quinto *Miſſæ* intereſſe, ut ante eum, ſecundum locum occupans, gladium gereret, cum merito dubitavit hoc agere, prædicatores ejus, magis honori Principis quàm conſcientiæ conſulentes, licitum eſſe contra propriam conſcientiam perſuaſerunt; quod & peſſimum exemplum & reformationi ſcandalum fuiſſe, necnon pleriſque multùm diſplicuiſſe, author hiſt. concil. *Trident.* lib. 1. rectè obſervat. Sed nunc ad objectiones adverſariorum contra hanc noſtram in orando methodum propero.

Primò

XXV. Primò. *Objiciunt*, quòd, si particulares illi motus necessarii sint ad externos cultûs divini actus, tunc etiam necessarii erunt ad internos, veluti attendere, expectare, amare Deum: Sed hoc absurdum: Ergo & illud. *Respondeo*, quod in statu controversiæ dictum est, hoc solvit, quoniam ad generalia illa officia nunquam deest motus seu influentia durante die alicujus visitationis, quo tempore Deus semper adest, imò disceptans cum homine Spiritu suo, ut convertat se ad illum, ita ut, si solùm sistat, & à malis suis cogitationibus abstrahatur, propinquus est Dominus, ut juvet illum. Quod autem ad externos actus attinet, hi majore & magis particulari influentiâ egent, ut suprà demonstratum est.

Secundò. *Objiciunt*, hinc etiam argui posse, non oportere homines moralia officia præstare, videlicet filios parentes honorare, unumquemque erga proximum se justè gerere, nisi Spiritus moveret eos. *Respondeo*, multum differre inter officia generalia, quæ inter hominem & hominem sunt, & particulares expressos actus cultus erga Deum. Hæc merè spiritualia sunt, & à Deo suo Spiritu præstari jussa; illa fini quodammodo respondent quoad eos, quos immediatè spectant, licet à mero naturali sui amoris principio peracta, sicut bruta se invicem naturali instinctu amant, ideoque hoc modo præstari possunt; quanquam non negabo etiam ea opera Deo non grata esse, nec animæ utilia, nisi ut in timore Domini aguntur, & in benedictione ejus, in qua filii ejus omnia faciunt, ideoque accepti sunt & benedicti in quocunque agunt.

Tertiò. *Objiciunt*, quod si impius orare non debeat sine Spiritus motu, quia oratio ejus sine Spiritu peccatum est, ita nec arare sine Spiritus motu eâdem ratione debet, quia impii arando non minùs quàm orando peccant. *Respondeo*. Hæc objectio ejusdem est naturæ cum priore, eodemque modo respondetur, cùm longè differant actus naturales, sicut edere, bibere, dormire, & pro exteriore homine sustentationem quærere, quæ omnia homo cum belluis communia habet, ab actibus spiritualibus; non sequitur, quia actus spirituales sine Spiritu peragi non debeant, ideo actus naturales sine eo agi non debere. Analogia meliùs hoc modo fit ad affirmationis nostræ probationem; quod, sicut ad naturales actus agendos opus est homini spiritu naturali, ita ad agendos actus spirituales, opus est ei Spiritu Dei. Quod actus naturales impiorum & irregeneratorum peccaminosi sint, non negatur, non in semetipsis, sed quia homo in statu illo in omnibus, quæ agit, reprobatus est.

Quartò. *Objiciunt*, quòd secundum hanc doctrinam possint impii per annos

annos integros orationem negligere, cauſantes motûs & influentiæ defectum. *Reſpondeo*, falſi impiorum prætextus hujus doctrinæ veritatem nullo modo enervant aut invalidant, alioquin nulla eſt Chriſti doctrina, quam hoc modo enervare impii non poſſent. Quod ſine Spiritu orare non debeant, affirmatur, ſed debent ad illum locum vel ſtatum venire, ubi Spiritum ipſos ducentem ſentiant; in non orando quidem peccant, ſed hujus peccati cauſa eſt, quòd non vigilent; eorum igitur neglectus non ab hâc doctrinâ provenit, ſed ab eorum ad hanc doctrinam inobedientiâ; ſi ſine Spiritu orarent, duplex committerent peccatum, & non illius præcepti, quo jubentur orare, implementum eſſet, neque iis utiles forent orationes eorum abſque Spiritu; & hoc in re aliâ coguntur fateri adverſarii; officium enim Chriſtianis incumbens affirmant eſſe ſacramentum (quod ſic vocant) cœnæ Dominicæ ſumere. Dicunt tamen neminem indignè illud ſumere debere, imò volunt, qui ſe imparatos ſentiunt, abſtineant, ideoque communiter tales à menſâ excommunicant. Licet igitur ſecundum eos neceſſe ſit, hujus ſacramenti participare, neceſſarium etiam eſt, ut ſemet probent, ne ſibi judicium manducent & bibant. Et quamvis peccatum putent abſtinere, majus peccatum eſſe abſque hac examinatione participare fatebuntur.

Quintò *objiciunt* Act. 8 : 22. ubi *Petrus præcipit Simoni Mago impio illi divinatori, ut oraret. Reſpondeo*, in hujus loci citatione, ut ſæpè obſervavi, adverſarii frequenter primam & præcipuam verſûs partem omittunt, quæ ſic ſe habet, Act. 8 : 22. *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitiâ tuâ, & roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis.* Hic autem primò jubet illum reſipiſcere, minima autem veræ pœnitentiæ menſura eſſe non poteſt abſque aliquâ introverſione illâ animi, de qua loquimur, & quidem ubi primò fit vera pœnitentia, non dubitamus, quin aderit Spiritus, qui concurret tales ad orandum juvare.

Denique *objiciunt*, quod orationes multæ, ſine Spiritu incœptæ, efficaces factæ ſunt, itidem & impiorum orationes exauditæ & acceptabiles fuerunt, ſicut Achabi *&c. Reſpondeo.* Hæc antea ſolvebatur objectio: nam divinæ indulgentiæ actus, quibuſdam temporibus & quibuſdam perſonis ad ſingulares quaſdam occaſiones, non eſt regula actionum noſtrarum. Si enim hoc obedientiæ noſtræ menſuram faceremus, magna pericula ſequerentur, ut omnibus obvium & confeſſum eſt. Deinde, non negamus impios frequenter motionum & influentiæ Spiritûs ſenſibiles eſſe, priuſquam expiret dies ipſorum, à quibus aliquando acceptè orare poſſunt,

non penitus impii manentes, ſed pietatis initium hoc modo ingredientes, à quo poſtea decidant.

XXVI. Quod attinet ad *Pſalmorum cantationem*, longo ſermone non opus erit, quia eodem modo, ſicut in duobus præcedentibus, res ſe habet. Partem divini cultûs fatemur eſſe, & quidèm dulcem & jucundam, quando à vero divini amoris in corde ſenſu provenit, & oritur à divinâ influentiâ Spiritûs, qua ducuntur homines ad dulcem harmoniam & verba præſenti conditioni conſentanea ſpiranda & emittenda, ſive ea verba, quibus antea ſancti uſi ſunt, ut Davidis pſalmis, vel aliis; tales erant hymni & cantationes Zachariæ, Simeonis, & beatiſſimæ virginis Mariæ. Quod autem ad communem formalem cantandi modum, in Scripturâ nullum veſtigium habet: & præterea, quòd habet eoſdem abuſus cum eorum prædicatione & oratione, hunc magis peculiariter habet, quòd indè frequenter horrenda & abominanda mendacia in conſpectu Dei confidenter dicantur, dum omne genus profanorum & impiorum perſonare beati Davidis conditionem & experientias non dubitant, quæ, quoad eos, falſa ſunt, neque quoad eos ſolùm, ſed & quoad alios magis ſobrios & mundos in exteriore homine, ſicuti quando cantant, Pſal. 22: 15. *ſicut aqua effundor, & diſparant ſe omnia oſſa mea: eſt cor meum ſim l cera, liq eſcit in viſceribus meis.* & Pſal 6: 7. *Defatigor in gemitu meo, faciam natet totam noctem lectus meus, lachrymis meis ſpondam meam liquefacio*, & innumera alia, quæ loquentes, quoad ſe, falſa eſſe cognoſcunt. Et aliquando immediatè poſt pſalmum fatebuntur in orationibus ſe eorum vitiorum reos eſſe, pro redemptione à quibus cum Davide jamjam laudabant Deum. Quis judicet Deum talem hypocriſin acceptare, & quidem cantationes illæ magis hominum carnalibus quàm Dei puris auribus placent, qui hypocriſin omnem & mendacium abominatur? Talis igitur illi laus placet, quæ à *PVRO* (nempè *à verbo vitæ*) in corde procedit, quò rectè nos ducente ſpirituales pſalmi & hymni Deo redduntur, ſecundum Col. 3: 16.

Quod autem ad *muſicam* eorûm *artificialem*, ſive organis, aliiſve inſtrumentis, ſive voce editam, nullum nec præceptum nec exemplum invenitur in novo fœdere.

XXVII. Denique hæc magna hujus veri cultûs, quem nos profitemur & præſtamus, excellentia eſt, quòd in hominis ſapientiâ & artibus non conſiſtat, & gloriâ, pompâ, divitiis & ſplendore hujus ſeculi ad ornandum

nandum eum non egeat, cùm sit cœlestis & spiritualis naturæ, ideoque nimis simplex & contemptibilis naturali spiritui & voluntati hominis, ita ut in eo persistere non delectetur, quia ibi inventioni suæ & imaginationi locum & spatium non invenit, ibique opportunitatem gratificandi externis suis & carnalibus sensibus non habet; igitur hæc forma, si in simplicitate præservetur & non vitiata sit, sine virtute subsistere vix potest, quia in illâ nihil invenitur, quo in ea persistere eique adhærere homo invitetur, nisi quâ cum virtute jungitur: è contrà autem, cùm adversariorum cultus propriis voluntatibus peragantur, & plerumque aliquid externæ & carnalis gloriæ & splendoris, carnalibus & mundanis sensibus delectabilis, habeant, in iis persistere & sibimet satisfacere possunt, licet absque Spiritu & virtute Dei, quam minimè essentialem ad cultum suum præstandum constituunt, ideoque ad eam non attendunt, neque eam expectant.

XXVIII. *Et ut finem faciam, cultus ille, prædicatio, oratio & cantatio, quam nos defendimus, tuemur & volumus, talis est, quæ a Dei Spiritu provenit, & semper ejus influentiam habet comitem; cùm & motu ejus incipiatur, & vi & virtute ejus continuetur & præstetur, ideoque cultus sit pure spiritualis*, qualem postulat Scriptura Joh. 4: 23, 24. 1 Cor. 14: 15. Eph. 6: 18. *&c.*

Sed *cultus, prædicatio, oratio & cantatio, quam defendunt & volunt adversarii, quamque nos abnegamus, talis est, quæ & incipitur & continuatur & præstatur in hominis naturali voluntate & vi, sine Spiritûs motu aut influentiâ, quem nec attendere nec expectare necesse habent, ideoque cultus eorum verè præstatur, & secundum materiam & formam, ab impiis*, talis erat cultus & vanæ oblationes, quas semper rejecit Dominus, ut patet ex Isa. 66: 3. Jer. 14: 12 *&c.* Isa. 1: 13. Prov. 15: 29. Joh. 9: 31.

Thesis Duodecima.

Sicut unus est Deus, & una fides ita & unum Baptisma, non quo carnis sordes abjiciuntur, sed stipulatio bonæ conscientiæ apud Deum per resurrectionem Jesu Christi, & hoc Baptisma est quid sanctum & Spirituale, scilicet Baptisma Spiritûs & ignis, per quod consepulti sumus Christo, ut, à peccatis abluti & purgati, novam vitam

ambulemus: cujus Baptisma Johannis erat figura, quod pro tempore fuit, & non ad perpetuum mandatum. Quoad Baptisma infantum, mera traditio humana est, cujus nec exemplum nec præceptum in universa Scriptura invenire est.

I. IN superioris theseos explanatione & probatione satis demonstratum est, quantum Professores Christianitatis, tam Pontificii quam Protestantes, degenerarunt quoad cultum, & quàm peregrini & alieni sint à vero illo & accepto cultu, qui in Spiritu & veritate præstatur, propter naturalem illam hominis propensionem ad inventiones suas in statu degenerato exaltandas, & opus & productum suum divino cultui immiscendum; & ab hac malâ radice in homine provenerunt omnes illi cultus, idololatriæ, numerosæque superstitiones & inventiones gentilium; exempli gratia, Deus, indulgendo dilecto suo populo Judaico, præscripsit eis, ministerio Moyseos, plurimas ceremonias & observationes, uti typos & umbras substantiæ suo tempore revelandæ, quæ ceremoniæ ut plurimùm constiterunt in ablutionibus externis, purificationibus & mundationibus, & continuandæ erant usque ad tempus reformationis, & usque dum cultus Spiritualis stabiliretur, quando Deus, ampliore Spiritûs sui effusione & ejus unctionis ductu, ducere deberet filios suos in omnem veritatem, & eos instrueret adorare ipsum modo magis spirituali, eique accepto, licet carnalibus & externis sensibus minùs grato: Non obstante tamen hac Dei erga Judæos indulgentiâ, videmus partem illam in homine, quæ delectatur suas inventiones sequi, omnes istas observationes nec retinere nec satisfacere posse, sed quod identidem vel ad superstitiones gentium declinabant, vel novas aliquas observationes & ceremonias addebant, quibus ita dediti erant, ut eas semper Dei præceptis anteponere proni essent, idque sub prætextu Zeli & pietatis. Hoc abundè patet in exemplo Pharisæorum, quæ inter Judæas secta strictissima erat, quos adeò sæpè redarguit Christus, *quod irrita fecerint mandata Dei per traditiones.* De multis, hodiè se Christianos dicentibus, hoc modo conqueri meritò possumus, qui hujus generis multa, quædam à Judæis, quædam à gentilibus mutuata, introduxerunt, quibus improbè adhærent, pro iis acriùs contendentes, quàm pro gravioribus Christianitatis dogmatibus, quia *ipsemet* (parce verbo) adhuc vivens & regnans in illis, magis proprias inventiones,

Matth. 15:6,9

nes, quàm divina præcepta diligit, &, ſi quolibet modo Scripturæ exemplum aliquod, aut conditionale præceptum, ſivè promiſſionem quorundam imbecillitati aptatam, vel pro tempore particulari cuidam diſpenſationi appropriatam, torquere poſſunt ad aliquas ſuas inventiones colorandas, tunc adeò tenaciter eis adhærent, & violentè contendunt, ut fortiſſima Chriſtiana argumenta in contrarium audiri non patiantur. Qui Zelus, ſi ſeriò examinaretur, inveniretur magis eſſe educationis præjudicium, & ſui ipſius amor, quàm vel Dei vel puri ejus cultus. Hoc verificatur in iis, quæ *Sacramenta* dicuntur; & in controverſiis religioſis perignari ſunt, qui neſciunt, quot contentiones, diſputationes, & altercationes indè ortæ ſuere inter eos, qui Chriſtiani dicuntur; adeò ut tutò dicere poſſim de hac re, nempè de eorum numero, naturâ, virtute, efficaciâ, adminiſtratione, cæterisque id genus, majorem controverſiam fuiſſe, quàm de ullâ aliâ Chriſtianâ doctrinâ, ſivè inter Pontificios & Proteſtantes, ſive inter ipſos Proteſtantes; & quantum hæ controverſiæ Chriſtianis mali attulerunt, ſatis latè patet, & abundè obvium eſt, dum interim illa, pro quibus fit contentio, plerumque ſint meræ umbræ reſque omninò externæ, quod, ut ſpero, poſtea patienti & æquo lectori manifeſtum faciam.

II. Quod primò ſit obvium, eſt nomen *Sacramenti*, cui mirum eſt præſertim Proteſtantes adeò inhærere, cùm *terminus* ſit in Scripturâ nullibi inveniendus, ſed à militantibus ethnicorum juramentis deductus, undè Chriſtiani, poſtquam declinare cœperint, pleroſque ſuperſtitioſos terminos & obſervationes traxerunt, ut ſic ſe magis iis gratos redderent, & ad religionem ſuam attraherent; quod, licet bono inſtituto fecerint, cùm tamen ſecundum humanam ſapientiam & non divinum mandatum factum ſit, pernicioſas adduxit conſequentias. Non, inquam, video, cur Proteſtantes, neque etiam quare Pontificii nos redarguunt, quia hunc terminum negamus, quem apparet Spiritum Dei noluiſſe inſpirare ſacrarum literarum ſcriptoribus, ut nobis relinquerent. Sed ſi *dicetur*, quod non de nomine, ſed de re contendatur. *Reſpondeo*, Deponatur igitur illud nomen, quod in Scripturâ non ſit, & videbimus quantum boni in ipſo limine redundabit, hunc traditionalem terminum deponendo, & noſmet ad planam Scripturæ elocutionem convertendo; ſtatim enim magna illa contentio de numero Sacramentorum evaneſcet, cùm nullus inveniatur in Scripturâ terminus, quo uti poſſumus, ſive ea inſtituta mandata, præcepta, leges, ſtatuta &c. nominemus, qui tali controverſiæ portam aperiat, cùm nec dicant Pontificii, quòd ſint ſolùm *ſeptem*, vel Pro-

teſtantes, quòd ſint tantùm *duo* eorum, quæ ſuprà nominata ſunt. Si *dicetur*, oriri hanc controverſiam à rei definitione non minùs quàm à nomine. *Reſpondeò*, aliter invenietur; nam quoquo modo definitionem *Sacramenti* accipiamus, ſive velut externum ſignum, quo interna gratia vel conferatur, vel ſolummodo ſignificetur, hæc definitio pluribus aliis rebus conveniet, quas nec Pontificii nec Proteſtantes *Sacramenta* agnoſcunt; ſi ſub nomine *ordinationum conſignantium* exprimantur (ut nonnulli loquuntur) nunquam mihi conſtabat, quomodo vel ſecundum rationem, aut Scripturam hic illis approprietur titulus, magis quàm alicui alii officio Chriſtiano: illud enim propriè *ordinatio conſignans* dicendum eſt, quo quis recipiens id, infallibiliter certus eſt promiſſionis vel rei conſignatæ. Si *dicetur*, ſic fore fidelibus. *Reſpondeo*, ſic etiam ſunt oratio, prædicatio & uniuſcujuſque boni operis præſtatio; & quid hæc ſacramenta peculiare tunc habent, cùm nec horum participatio vel præſtatio alicui certiorem ad cœlos titulum det, & quibuſdam reſpectibus non tantum, quàm illorum.

Nihil aliud *hæreditatis noſtræ ſignaturam & arrhabonem* nominat Scriptura præter *Spiritum Dei*, hôc dicimur ſignari, quod & dicitur hæreditatis noſtræ pignus, & non externâ ablutione, vel manducando, aut bibendo, quod ut iniquiſſimi facere poſſunt, ſic nemini dubium eſt, quin plerique ita agentes in perditionem abeant; non enim externa lotione aut baptiſmo aquæ mundatur cor, quo homines ad cœlum præparantur; & ſicut, quod in os intrat, hominem non polluit, quia rurſus egreditur, & in ſterquilinium abit, ita neque purificatur homo illo, quod manducat, quoniam eodem modo abit. Quod hoc loco generaliter dictum eſt, non modò ad hanc theſin, ſed etiam ad ſequentem *de cœnâ*, introductionis loco erit. Horum *Sacramentorum* baptiſmus ſemper primo loco numeratur, qui & præſentis theſis thema eſt, & in ejus explanatione ſententiam noſtram primò demonſtrabo, & probabo, & tunc aliorum objectionibus reſpondebo, eorumque opiniones refutabo. Quod ad primam partem attinet, hæ ſequentes *propoſitiones*, ipſâ theſi comprehenſæ, proponendæ & probandæ primo loco veniunt.

Eph. 1. 14. 4:30. 2 *Cor.* 1 22.

III. Primò, *quòd ſolummodo unus ſit baptiſmus*, ſicut unus Dominus, una fides *&c.*

Secundò, *quòd unus hic baptiſmus, qui & Chriſti baptiſmus eſt, non ſit lotio, vel ablutio aquæ, ſed baptiſma Spiritûs.*

Tertiò, *quod baptiſma Iohannis hujus figura fuerit, & ceu figura cedat ſubſtantiæ; licet hoc permaneat, illud tamen ceſſat.* Quod

Quod ad primam, ſcilicet, *unum tantum eſſe baptiſmum*, non opus eſt aliâ probatione, quàm ipſis textûs verbis, Eph. 4: 5. *unus Dominus, una fides, unus baptiſmus*; ubi diſertè & planè affirmat Apoſtolus, quòd eodem modo, quo datur unum corpus, unus ſpiritus, una fides, unus Deus, ſic etiam datur unus baptiſmus. Scio quidem quòd communiter *explanant* hunc textum, *ſciz.* baptiſmum aquæ & baptiſmum Spiritûs unum baptiſmum facere virtute unionis ſacramentalis. Sed *reſpondeo*, hæc explanatio ideo jamdiu locum habuit, non quòd Scripturæ teſtimonio innitatur, ſed quia detorqueat Scripturam ad eorum opinioni favendum, qui baptiſmum aquæ volunt, cui non alio opus eſt reſponſo quàm negatione, cùm planis textûs verbis repugnet, qui non ait duos baptiſmos, aquæ *ſciz.* & Spiritûs, unum baptiſmum perficere, ſed diſertè quòd unus ſit baptiſmus, ſicut una eſt fides, & unus Deus &c. Non autem dantur duo Dii, duæ fides, duo Spiritus, duo corpora, quorum unum externum eſt & elementarium, aliud autem ſpirituale & purum ad perficiendum unum Deum, unam fidem, unum corpus, & unum ſpiritum; neque dicendum eſt, duos eſſe baptiſmos ad conſtituendum unum baptiſmum. Sed ſecundò, ſi *dicetur* unum tantum baptiſmum eſſe, cujus aqua eſt pars una, *viz.* ſignum, & Spiritus altera pars, *viz.* res ſignificata. *Reſp.* Hoc adhuc magis noſtram ſententiam confirmat; ſi enim aqua ſolummodo ſit ſignum, non eſt unius baptiſmi materia, ut poſtea patebit definitione ejus; & unus baptiſmus ſumendus eſt pro materiâ, non pro figurâ, typo, aut ſigno; illud anteibat, ſicuti ubi Chriſtus dicitur in Scripturâ *una oblatio*, licet figurarent illum multa illa ſacrificia & oblationes ſub Lege: per unam autem oblationem ſolummodo intelligimus ſuiipſius in cruce oblationem, cujus licet omnia illa ſacrificia eſſent ſigna, non ideò dicimus ea ſimul cum illâ oblatione Chriſti unam eam oblationem conſtituere; ideoque licet baptiſmus aquæ ſignum eſſet Chriſti baptiſmi, non indè ſequetur, eum nunc Chriſti baptiſmi partem eſſe. Cœterùm ſi quis ita abſurdus foret, ut dicat unum baptiſmum hoc loco dictum eſſe aquæ baptiſmum, & non Spiritûs: hoc eſſet contradicere conſtanti & manifeſto Scripturæ teſtimonio, ut ex dicendis poſtea fuſiùs patebit.

Secundò, *quòd unus hic baptiſmus, qui Chriſti baptiſmus eſt, non ſit aquæ ablutio*, conſtat, *primò*, teſtimonio Johannis, qui baptiſmatis aquæ proprius & peculiaris miniſter fuit. Matth 3: 11. *Ego quidem baptizo vos aquâ in pœnitentiam, qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cujus non ſum dignus calceamenta portare, ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto & igne.*

Hic

Hìc de duobus baptizandi modis mentionem facit Johannes, & de duobus differentibus baptiſmis, uno aquæ, altero Spiritûs, uno cujus ipſe miniſter erat, altero cujus Chriſtus adminiſtrator erat; qui priore baptizati erant, non ideo etiam poſteriore baptizabantur, *Ego quidem baptizo vos, ---- ipſe vos baptizabit* &c. Licet tempore præſenti baptizati eſſent baptiſmo aquæ, adhuc non erant, ſed ſolummodo baptizandi erant baptiſmo Chriſti, ex quibus omnibus ſic argumentor: Si qui baptizati erant baptiſmo aquæ, non ideo baptizati erant baptiſmo Chriſti, tunc baptiſmus aquæ non eſt baptiſmus Chriſti; Sed prius eſt verum: Ergo. Et rurſus; Si qui verè & realiter adminiſtrabant baptiſmum aquæ, nihilominus declarabant, quòd nec baptizabant, nec baptizare poterant baptiſmo Chriſti, tunc baptiſmus aquæ minimè eſt baptiſmus Chriſti: Atqui, &c. Ergo. Et reverà, ſi non hoc modo intelligantur verba Johannis, boni ſenſûs inania forent; ſi enim iidem fuiſſent baptiſmi eorum, cur adeò præciſè eos contradiſtinxiſſet, & quare dixiſſet, eos, quos jam baptizaverat, adhuc baptizandos fuiſſe alio baptiſmo? Si *urgeatur*, baptiſmum aquæ unam partem fuiſſe, Spiritûs autem baptiſmum alteram partem, ſive prioris effectum. *Reſp.* Hæc expoſitio planis textûs verbis contradicit, non enim ait, Ego baptizo vos aquâ, & qui venturus eſt poſt me, producet in vobis hujus baptiſmi fructum aut effectum, vel perficiet hunc baptiſmum in vobis, ſed *baptizabit vos*. Si igitur verbum *baptizo* verè & propriè intelligendum ſit, quando ait, *ego vos baptizo*, *ſciz*, quod ibi verè & realiter ſignificat illum eos aquâ baptizâſſe, oportet nos, niſi vim verbis afferamus, alteram ſententiæ partem eodem modo intelligere, cùm ſtatim addat, *ſed ille baptizabit vos*, *ſciz*, quod realiter & verè baptizandi erant alio baptismo, quo eos ipſe Johannes non baptizavit. Igitur minimè bono ſenſui fuiſſet hæc contradiſtinctio conſentanea. *Secundo.* Hoc adhuc magis confirmatur ipſius Chriſti dicto, Act. 1: 4, 5. *Sed expectate promiſſionem Patris, quam audiſtis per os meum, quia Iohannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies.* Vix duo Scripturæ teſtimonia magis adæquatè & ſimiliter ſonant, quam hoc cum priori, ideoque eodem modo concludunt. Amplè enim hìc concedit Chriſtus perfeciſſe Johannem baptiſmum ſuum, quoad ejus ſubſtantiam & materiam: *Iohannes quidem bapizavit aqua*, quod æque eſt, ac ſi dixiſſet, Iohannes verè & amplè baptismum aquæ adminiſtravit, *Sed vos baptizabimini.* Hoc demonſtrat eos baptizandos eſſe alio quodam baptismo, quàm baptismo aquæ: & licet antea baptizati eſſent baptiſmo aquæ, nondum tamen illo, quo baptizandi

ptizandi erant. *Tertiò*, eandem diſtinctionem obſervat Petrus, Act. 11. ver. 16. *Recordatus ſum autem verbi Domini, ſicut dicebat, Iohannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto.* Hoc applicat Apoſtolus, cùm in eos ſupervenerit Spiritus ſanctus. Undè infert, quòd tunc baptizabantur baptiſmo Spiritûs. Quod autem urgent, poſtea illum aquam advocâſſe, ſuo loco de hoc dicetur. Ex quibus omnibus tribus ſententiis ejuſdem ſignificationis, *primo* Johannis, *ſecundo* Chriſti, *tertiò* Petri, abundè patet, quòd, qui verè & realiter baptizati erant baptiſmo aquæ, non ideo baptizati erant baptiſmo Spiritûs, qui Chriſti baptiſmus eſt, & quod, qui verè & realiter adminiſtrabant baptiſmum aquæ, non ideo adminiſtrabant baptiſmum Chriſti; ita ut, ſi nunc ſolummodo ſit unicum baptiſma, ut hactenus jam probatum eſt, tutò concludere poſſimus, unicum illum baptiſmum eſſe baptiſmum Spiritûs, & non aquæ; alioquin ſequeretur, unicum baptiſmum, qui nunc remanet, eſſe baptiſmum aquæ, *id eſt*, Johannis, & non baptiſmum Spiritûs, *id eſt*, Chriſti, quod abſurdum eſſet. Si adhuc *dicetur*, licet baptiſmus Johannis, antequam adminiſtrabatur baptiſmus Chriſti, differret ab illo, quia figura ſolùm erat, nunc tamen illum, quaſi figuram, & Spiritûs baptiſmum, quaſi ſubſtantiam, neceſſarium eſſe ad unum illum baptiſmum perficiendum. *Reſp.* Hoc nihil inurget, niſi concederetur, utrumque ad eſſentiam baptiſmi pertinere, adeò ut baptiſmus non exiſtimetur verè adminiſtratus, ubi ambo non adſunt, & ut nemo habeatur baptizatus, niſi qui utrumque habeat: ſed hoc nulli adverſariorum noſtrorum fatebuntur; ſed è contrà, non modò eos omnes volunt eſſe verè baptizatos baptiſmo Chriſti, qui aquâ baptizati ſunt, tametſi minimè conſtet eos baptizatos eſſe Spiritu, ſed etiam eos Chriſti baptiſmo baptizatos dicunt, quia aquâ aſperſi ſunt, quos abundè liquet & certiſſimum eſt Spiritu non eſſe baptizatos, cùm apertè puro illi Spiritui hoſtes malis operibus ſe eſſe oſtendant. Hic igitur, fatentibus adverſariis, baptiſmus aquæ eſt abſque Spiritu, ideoque nos multò tutiùs concludere poſſumus, baptiſmum Chriſti aliquando eſſe abſque aqua, ut apparet illo Act. 11. ubi teſtatur Petrus, viros illos baptizatos fuiſſe Spiritu, licet nondum aqua; & revera hac in re, ſicut in pleriſque aliis, inter nos & adverſarios ſtat differentia, quod frequenter nedum formam & umbram ſubſtantiæ & virtuti præponunt, ſed umbram ſæpè oppoſitè ad ſubſtantiam ſtabiliunt, denominantes eos quaſi rei poſſeſſores, quia formam habent, licet reverà ſubſtantiâ & virtute careant, & nolentes eos ita denominari, qui virtutem & ſubſtantiam habeant, ſi modò formâ &

umbra careant. Hoc luculenter patet, quòd eos verè baptizatos uno Christi baptismo æstiment, qui Spiritu non baptizati sunt (qui in Scripturâ disertè dicitur Christi baptismus) si modò solum aquâ baptizati sint, quem aquæ baptismum tamen ipsi fatentur esse figuram tantùm. Et præterea eos, qui revera baptizati sunt baptismo Spiritûs, baptizatos non æstimant, nec ita eos denominari volunt, nisi etiam aquâ aspersi aut immersi sint. Nos autem è contrà semper virtutem formæ, substantiam umbræ præponimus, &, ubi adest virtus & substantia, non dubitamus eos, qui iis imbuti sunt, baptizatos nominare, licet absit forma; ideoque primo loco semper quærimus & sequimur substantiam & virtutem, cognoscentes hæc omninò necessaria esse, licet possit aliquando forma abesse, & figura & typus cessare, quando substantia & antitypus possidetur, sicuti hac in re fit, ut postea ostendetur.

IV. Quartò, quòd unicus Christi baptismus non sit aquæ lavatio, constat ex 1 Petr. 3 : 21. *cujus antitypus nunc nos salvat baptisma, non corporis ablutio à sordibus, sed conscientiæ bonæ responsio in Deum per resurrectionem Jesu Christi.* Vix alia baptismi definitio in Scripturâ adeò expressa reperitur, quæ, cùm ita plana sit, benè præfertur confictis Scholasticorum distinctionibus. Primò, nos monet Apostolus negativè, quid non sit, *viz*, *non corporis ablutio à sordibus*, tunc certè non est aquæ aspersio, cùm id sit corporis ablutio. Secundò, affirmativè instruit, quid sit, *viz*, *responsio bonæ conscientiæ in Deum per resurrectionem Jesu Christi*: ubi affirmativè definit eum esse bonæ conscientiæ responsionem, vel *confessionem*, ut Syriaca versio habet: hæc autem responsio aut confessio esse nequit, nisi ubi purificavit animam Dei Spiritus, & ignis judiciorum ejus corruptam naturam consumpsit; ideoque, in quibus hoc opus peractum est, ii verè Christi baptismo baptizati habendi sunt, *id est*, baptismo Spiritûs & ignis. Quocunque modo hanc Apostoli definitionem de Christi baptismo sumamus, sivè primam vel negativam partem, *viz*, quòd non sit corporis à sordibus ablutio, tunc sequetur hunc baptismum non esse illum aquæ, qui est corporis ablutio à sordibus. Si autem secundam & affirmativam partem sumamus, *viz*, bonæ conscientiæ responsionem aut confessionem, tunc etiam non est aquæ baptismus; cùm, ut fatentur adversarii, hoc baptismum aquę non semper sequatur, neque ejus necessaria est consequentia. Deindè videtur hoc loco Apostolus præcipuè cavere, ne quis existimaret aquæ baptismum esse verum Christi baptismum; quia (ne propter inductam ab illo comparationem, in versu præcedente, inter eos, qui in arcâ salvati

vati erant, & nos, qui nunc ſalvamur per baptiſmum, hinc citiùs, quàm par fuit, quis inadvertenter concluſiſſet, quòd, quia priores illi ſalvi facti ſunt aquâ, hoc loco de baptiſmi aquâ etiam intelligendum eſſet) ad talem errorem tollendum diſertè affirmat, non eſſe illum baptiſmum, quo corporis ſordes abluuntur, ſed quid aliud, *ſcil.* bonæ conſcientiæ confeſſionem *&c.* Non ait, quòd ſit aquæ ablutio, ſicut eam comitatur bonæ conſcientiæ confeſſio, cujus una pars, *viz.* aqua, eſt elementum ſacramentale à miniſtro adminiſtratum, & pars altera, gratia, ſeu res ſignificata, à Chriſto collata. Sed planè ait, non eſſe illum baptiſmum, de quo hîc loquitur, ablutionem, quo nihil luculentius viris non præjudicatis & verè ſagacibus eſſe poteſt. Præterea, illud, quod ſalvat, Petrus hoc loco *antitypum* vocat, quod propriè rem figuratam ſignificat, & non figuram, ſicut frequentius interpretes hoc loco perperàm poſuerunt, quaſi ſimili figura nunc ſalvi facti eſſemus, illud inſinuantes, quòd, ſicut ii olim ſalvabantur in arcâ per aquam, ſic nos nunc per baptiſmum aquæ. Sed, quòd hæc perverſa interpretatio ſit, indè patet, quia Apoſtoli ſenſui, ſequentibus verbis, contrarium eſt, ut ſuprà obſervatum eſt; quidni & adverſariorum omnium opinioni contradiceret. Proteſtantes enim negant aquæ baptiſmum ad ſalutem omninò neceſſarium eſſe. Et licet neminem abſque eo ſervari Pontificii dicant, admittunt tamen exceptionem, *nempè* martyrium *&c.* neque dicent omnes, qui eum habent, indè ſalvari, quod tamen oportet illos dicere, ſi volunt intelligere per *baptiſmum*, quo ait Apoſtolus nos ſalvos fieri, baptiſmum aquæ: cùm enim hoc baptiſmo ſalvi facti ſimus eodem modo, quo illi ſalvi facti erant, qui in arcâ fuere, cùm omnes ii, qui in arca fuere, ſalvarentur aquâ, ſic etiam ſequeretur omnes eos, qui hunc baptiſmum habent, illo ſalvos fore. Hæc autem conſequentia falſa erit, ſi de baptiſmo aquæ intelligeretur; quia multi, ſecundum omnium ſententiam, qui aquâ baptizati ſunt, non ſalvantur: ſed hæc conſequentia optimè tenet, ſi intelligatur, ut nos intelligimus, de baptiſmo Spiritûs, cùm nulli hanc bonæ conſcientiæ reſponſionem aut confeſſionem habere poſſint, qui, ut in illâ permanent, non indè ſalvantur.

Quintò, *quod unicus Chriſti baptiſmus non ſit aquæ ablutio*, ſicut hactenus probatum eſt unius baptiſmi definitione, etiam manifeſtum fit neceſſariis ejus fructibus & effectibus, quos ter exprimit Paulus Apoſtolus. Rom. 6:3, 4. ubi ait, quòd *quotquot baptizati fuerunt in Chriſto Ieſu, in morte ejus baptizati fuerunt, conſepulti cum illo per baptiſmum in mortem, ut in novitate vitæ ambularent.* Secundò, ad Gal. 3:27. diſertè ait, *Quicunque*

cunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. & Tertiò, ad Col. 2 : 12. dicit *consepultos eos fuisse Christo in baptismo, in quo & resurrexerant per fidem operationis Dei.* Observandum est, his locis Apostolum generaliter loqui sine ullo termino exclusivo, sed omnes comprehendere: non ait quoldam è vobis, qui in Christo baptizati fuistis, induistis Christum, sed quotquot, quicunque baptizati fuerant; quod idem est, ac si dixisset, unusquisque vestrum, qui baptizatus fuit in Christo, induit Christum. Quo apparet, hoc non de aquæ baptismo intelligi, sed de baptismo Spiritûs; nam alioquin sequeretur, quòd, quicunque baptizatus fuerit baptismo aquæ, Christum induisset, & cum Christo resurrexisset in novitate vitæ, quod omnes fatebuntur absurdissimum fuisse. Fac autem, omnia visibilia membra (ut dicuntur) ecclesiarum, quæ tunc Romæ, Colossis, Galatiæ fuerant, externè aquâ baptizatos fuisse (cave putes me affirmare eos ita fuisse) quod non solùm concedent adversarii, sed etiam contendent: fac ita fuisse, non dicent tamen, eos omnes Christum induisse, cùm pleraque in iis ad illos epistolis contrarium ostendant, ita ut hoc loco minimè intelligere possit Apostolus aquæ baptismum; & tamen, quod intelligat Christi baptismum, *id est*, Spiritûs, negari nequaquam potest: vel quòd hic baptismus, quo eos baptizatos fuisse hoc loco testatur Apostolus, fuerit ille unus baptismus, nemini dubium fore puto. Fac autem (ut contendunt adversarii) plerosque in illis ecclesiis, qui aquâ baptizati fuerint, Christum non induisse, apertè sequetur, non obstante illo aquæ baptismo, nondum baptizatos eos fuisse in Christo, vel baptismo Christi, cùm quotquot eorum, & quicunque eorum baptizati fuerunt in Christo, vel baptismo Christi, Christum induissent: ex quibus omnibus sic argumentor: Si baptismus aquæ erat unus ille baptismus, *id est*, baptismus Christi, tunc, quotquot baptizati erant baptismo aquæ, Christum induerunt; Sed falsum posterius; Ergo & prius. Et rursus: Cùm quotquot baptizati fuerant in Christo, *id est*, unico baptismo, qui & Christi baptismus est, Christum induant, tunc baptismus aquæ non est unicus baptismus, *viz* baptismus Christi: Sed prius est verum: Ergo & posterius.

V. Tertiò, *cum Iohannis baptismus figura fuerit, & cùm figura cedat substantiæ, licet res figurata maneat, viz unicus baptismus Christi, alter tamen cessat.* Quod Johannis baptismus fuerit Christi baptismatis figura, neminem dubitaturum reor. Si quis contrà affirmaret, facilè probabitur ex naturâ ejus; baptismus Johannis aquæ baptismus erat, Christi autem Spiritûs. Si autem aquæ baptismus sit Spiritûs baptismi figura, tunc Johannis

liannis baptismus Christi figura erat. Deinde, quòd baptismus aquæ erat Johannis baptismus, non negabitur: quòd aquæ baptismus non sit Christi baptismus, hactenus probatum est. Undè propositionis nostræ probatio oritur, hoc modo; Nullus continuandus est baptismus nunc, nisi unicus baptismus, Christi *scil.*: Ergo aquæ baptismus non est continuandus; quia non est Christi baptismus. Quòd Johannis baptismus cessaverit, adversariorum nonnulli fatentur: sed si quis aliter contenderet, probari facilè potest ipsis Johannis verbis, non modò iis suprà citatis, ubi suum à Christi baptismo contradistinguit, sed adhuc magis disertè, ubi ait, Joh. 3: 30. *Oportet Christum crescere, se autem minui*; undè clarè constat, quòd Christi baptismi incrementum est Johannis baptismi diminutio & abolitio; ita ut, si baptismus aquæ specialiter erat pars Johannis ministerii, & nulla pars est baptismi Christi, ut jam probavimus, necessariò sequitur non esse permanentem. Secundò, si aquæ baptismus fuisset continuandus, quasi statutum perpetuum Christi in ecclesiâ suâ, vel ipse eo usus fuisset, quosdam baptizando, vel præcepisset Apostolis suis ita agere. Quòd autem ipse eo non usus fuerit, disertè affirmat Scriptura, Joh. 4: 2. Quòd præceperat discipulis aquâ aliquos baptizare, nunquam legere potui. Quod autem contendant, Matth. 28, ubi præcipit Apostolis baptizare, de *aquâ* intelligi, est precaria petitio principii, & de hoc loco fusiùs postea; Ergo baptizare aquâ non est perpetuum Christi ad ecclesiam suam statutum. Hoc magis apud me valet, quòd nullum permanens statutum, sive mandatum Christi, necessarium Christianis, inveniam, pro quo Christi vel exemplum, vel præceptum non habeamus, uti omnibus præceptis obtemperare, quibus officium erga Deum & proximum comprehenditur, & ubi Evangelium plùs, quàm Lex, requirit, quod fusè significatur in 5 & 6 capitibus Matthæi & alibi. Præterea, quoad cultûs officia, hortatur nos ad convocationes, promittens præsentiam suam; præcepit orare, prædicare, vigilare; dat item præceptum pro rebus quibusdam temporaneis, veluti pro ablutione invicem pedum, pro fractione panis postea discutiendâ, hoc unum solùm, *viz.* aquæ baptismum, Christi præcepto faciendum non invenimus.

VI. Porrò, qui baptismum aquæ necessariam Christianæ religionis institutionem faciunt, quæ pura & spiritualis est, & minimè ceremonialis, novi fœderis dispensationi derogant, & rursus pro parte legales ritus & ceremonias constituunt, quarum hic baptismus, seu aquæ lavatio una erat, ut patet ex epist. ad Heb. 9: 10. ubi author, de cultu illo vetere loquens,

ait, quòd ſteterit *in cibis & potibus, & variis baptiſmatibus, & carnalibus inſtitutis, ad tempus reformationis impoſitis.* Si autem nunc advenerit reformationis tempus, ſeu Evangelii diſpenſatio, quæ talibus umbris finem imponit, tunc non ampliùs imponenda ſunt talia baptiſmata & carnalia inſtituta. Quomodo enim aquæ baptiſmus nunc fit inſtitutum ſpirituale magis quàm legis tempore, non patet, cùm adhuc aqua ſolùm ſit, & exterioris hominis ablutio; & ſicut antea, qui ſic abluebantur, non indè perfecti fiebant quoad conſcientiam, ita nec adhuc, ut ipſi fatentur adverſarii, & abundè demonſtrat experientia. Cùm igitur & materia ejus, quæ eſt aquæ ablutio, & effectus ejus, qui eſt externa mundatio, ſemper eadem ſint (ſi enim *dicatur*, aliquando internam gratiam in eos, qui nunc aquâ baptizantur, à Deo conferri. *Reſp.* ſic procul dubio fiebat quibuſdam, baptiſmatibus iſtis Judaïcis utentibus) undè igitur aquæ baptiſmus nunc fit minus ſtatutum carnale quàm antea? Si *dicetur*, quia nunc ſub Evangelio à Chriſto præcipitur. *Reſp.* Hoc eſt quæſtionem petere. Sed præterea, nunquam obſervavi, quod, ubi inſtitutionum eadem eſt materia, author idem, finis idem, illæ magis vel minus ſpirituales exiſtimantur propter diverſa tempora. Nonne autem Deus erat earum purificationum & baptiſmatum ſub Lege author? Nonne aqua materia, quæ & nunc eſt? Nunquid finis eorum, ſignificare internam purificationem externâ ablutione? Et nonne hic etiam hodie finis aſſignatur? Suntne autem neceſſariè conſequentiæ, & effectus meliores nunc quàm antea, cùm non hodiè aquæ baptiſmo homines neceſſariò quaſi ejus naturali effectu magis abluantur ab iniquitatibus, quàm ante? Et ſi quidam divina gratiâ, qui aquâ baptizati ſunt, intùs purificantur, ſic etiam purificabantur quidam ſub Lege, quod nec hujus nec illius baptiſmi neceſſaria conſequentia eſt, ita ut planè repugnet non minùs rectæ rationi, quàm Scripturæ teſtimonio, affirmare illud nunc Spirituale ſtatutum eſſe, quod antea carnale fuit. Si prorſus idem ſit quoad authorem, materiam, & finem, utcunque variationem faciant in quibusdam minoribus circumſtantiis novi fœderis & cultus ejus, ſpiritualitas non ſtat in ſuperficialibus talibus circumſtantiarum alterationibus, ſed longè aliter; oſtendant, ſi poſſint, adverſarii (ſine precaria petitione quæſtionis, vel ſuis ipſorum dogmatibus, à nobis denegatis, non innitendo) ubi unquam ordinavit inſtitutum, vel mandatum ſub novo fœdere Chriſtus, quaſi ad illud pertinens, vel quaſi talis neceſſaria pars ejus, ut continenter remanſura ſit, quod, licet idem ſit, & quoad ſubſtantiam, & quoad effectus (de neceſſariis, non accidentalibus, effectibus loquor)

propter

propter parvas quasdam formæ circumſtantias, licet antea carnale fuerit, nihilominùs, quia à Deo ſub Lege præceptum, nunc ſpirituale fit, quia à Chriſto præceptum ſub Evangelio. Quòd ſi hoc facere nequeant, ideo, ſi aquæ baptiſmus erat inſtitutio carnalis ſub Lege (ut diſerte affirmat Apoſtolus) adhuc remanet eſſe inſtitutio carnalis, & ſi inſtitutio carnalis, tunc nulla pars Evangelii, ſeu novi fœderis diſpenſatio eſt, itaque neque agenda aut neceſſariò præſtanda ab iis, qui ſub hac diſpenſatione vivunt & ambulant. Sed in hoc, ſicut in plerisque aliis, Judaïzant adverſarii, &, glorioſa nec non ſpiritualia novi fœderis privilegia abnegantes, veteris rudimentis, cùm in doctrinâ tùm in cultu, adhærent & ſectantur, cùm illud magis gratum & adæquatum ſit carnalibus eorum apprehenſionibus & naturalibus ſenſibus. Nos autem è contrâ ſuper omnia laboramus, ut lumen glorioſi Evangelii nobis revelati apprehendamus; & illius, quam profitemur, veritatis harmonia indè apparere poteſt, breviter obſervando, quomodo per omnia ſequamur ſpirituale Chriſti Evangelium, ut à carnalitate legalis diſpenſationis contradiſtinguitur, dum adverſarii, hoc Evangelium rejiciendo, ſemper ſub illo onere laborantes eunt, quod nec ii, nec patres eorum ſuſtinere potuerunt.

Lex enim & regula Judæorum ſub veteri fœdere externa erat, lapideis tabulis & ſcriptis membranulis inſita, externis ſcriptis. Sic etiam eſt adverſariorum Lex & regula. *Sed lex novi fœderis eſt interna, cordi inſita & inſcripta*; ſic eſt noſtra.

Judæorum cultus externus erat & carnalis, certis temporibus, locis & perſonis limitatus, & ſecundum certas præſcriptas formas & obſervationes peractus; talis eſt adverſariorum cultus. *Sed cultus novi fœderis nec temporibus certis, nec locis nec perſonis limitatur, ſed in Spiritu & virtute peragitur, non ſecundum præſcriptas formas, ſed ſicut Spiritus dat agere & loqui motibus & ductu ejus, ſive orare, ſive prædicare, ſivè cantare*; & talis etiam eſt cultus noſter.

Sic etiam baptiſmus inter Judæos ſub Lege erat externa ablutio aquâ externâ ſolum ad figurandam vel ſignificandam internam purificationem animæ, quam non neceſſariò aſſequebantur, qui ita baptizati erant; talis etiam eſt adverſariorum baptiſmus. *Sed unicus Chriſti baptiſmus ſub Evangelio eſt baptiſmus Spiritûs & ignis, non ablutio ſordium carnis, ſed bona conſcientiæ confeſſio erga Deum*; talis eſt Baptiſmus, quo baptizari avemus, & pro quo contendimus.

VII. Præterea, ſi baptismus aquæ fuiſſet Evangelii inſtitutio, tunc ad eum

eum administrandum missus fuisset Paulus Apostolus, sed ipse disertè affirmat, 1 Cor. 1: 17. *quòd Christus non miserit eum baptizatum, sed evangelizatum.* Consequentiæ ratio negari nequaquam potest, quia non minor, quàm cæterorum, fuit Pauli commissio; &, cùm speciali modo fuerit Gentilium Apostolus, si baptismus aquæ, ut contendunt adversarii, esset Christianitatis signum, tunc magis ei opus fuisset, ad baptizandum aquâ mitti, ut gentiles conversos illo signo signaret. Sed quidem vera ratio multò magis tenet; nam cùm Paulus Gentium Apostolus fuerit, & in ministerio suo, ut per omnes suas epistolas patet, laboraret eos à Judaïcis ceremoniis & observationibus abducere, licet ita faciendo aliquando displicuerit aliis ipsius fratribus, qui eas ceremonias deponere nolebant, ideo certè ministerium ejus, quanquam, quoad prædicationem Evangelii, & novi fœderis administrationem, non minus aut arctius fuerit quam cæterorum Apostolorum, non tamen postulabat ab illo, ut proselytos suos in Judaïcas tales observationes & baptismos duceret, utcunque talia permittebantur & peragebantur à cæteris Apostolis inter Judaïcos proselytos; ideoque Deo gratias agit, quòd tàm paucos baptizaverat, significans illud, quod fecerat, non feciſſe virtute missionis Apostolicæ, sed potius eorum imbecillitati indulgendo, sicut & alio tempore circumcidebat Timotheum. Adversarii, ut hujus testimonii vim eludant, communiter allegant, hoc solummodo intelligendum esse, quòd non principaliter missus fuerit baptizatum, non quòd omninò non missus fuerit. Sed, cùm hæc expositio planis textûs verbis contradicat, nec melius fundamentum habeat, quàm meram affirmantium asseverationem, eam quasi spuriam meritò rejicimus, usque dum aliam probationem adferant. Non ait, non ad baptizandum principaliter missus fui, sed ad baptizandum non missus fui. Quòd autem hanc expositionem urgent ab aliis Scripturæ locis, ubi vox, *non*, ita sumitur, quippe ubi dicitur, *Delector benignitate, non autem sacrificio*, quòd intelligi potest, Deum principaliter delectari benignitate, non autem sacrificia excludendo; sed hic locus sequentibus verbis satis explanatur, quæ sunt, *& cognitione magis quàm holocaustis*, ubi latè & aperte patet, holocausta, quæ & eadem sunt cum sacrificiis, non excludi. Sed ne verbum hujusmodi additur in isto Pauli, ideoque paritas non est æqua, neque sufficit tale exemplum, nisi probare possint hunc locum etiam ita intelligi debere, alioquin câdem regulâ alia Scripturæ loca eodem modo interpretari possimus, *nempe*, 2 Cor. 2: 5. *ut fides vestra non sit in sapientiâ hominum, sed in virtute Dei*, dici possit, quòd non principaliter sit in sapientia hominum *&c.* Quomodo

modo perverti possit Evangelium hac interpretationis libertate. Si *dicetur*, hujus baptismi inter Corinthios abusus (quia se dividebant secundum eos, à quibus baptizabantur) Apostolo occasionem ita loquendi præbuisse, sed quod rei alicujus abusus non tollat eam. *Resp.* Verum est, abusus non tollit rem licitam & necessariam, & procul dubio ab abusu cœpit Apostolus occasionem ita scribendi. Sed hinc consideretur, quomodo Apostolus excludat baptismum aquæ, non autem prædicationem, quamvis abusus ille proveniret non minùs ab hac quàm illo: denominabant enim se isti Corinthii ab iis, quorum prædicatione, non secùs quàm quia ab eis baptizati erant, conversi fuerant, ut, 4, 5, 6, 7, & 8 versibus, cap. 3. apparet. Ad hunc tamen abusum tollendum non ait Apostolus, quòd ad prædicandum missus non erat, neque gaudet, quòd paucis prædicaverit; quia, cùm prædicatio sit permanens institutio in ecclesiâ, non propter ullum abusum hominum, diaboli suggestionibus eâ abutentium, est removenda, vel ab iis abjicienda, qui ad illam præstandam divino Spiritu vocantur, ideoque, quoad hanc, Apostolus cap. 3: vers. 8, 9. instruit eos, quomodo hic abusus removeatur. Quod autem ad aquæ baptismum, cùm non fuerit permanens institutio Christi, sed per indulgentiam solùm Judæis concessus, & à quibusdam Apostolis quibusdam gentilibus administratus, Apostolus, quamprimùm observavit ejus abusum, mandavit Corinthiis, quàm parvi momenti fuerit, significando eis, gaudere se, quòd tàm paucis ceremoniam istam administrâsset, & planè iis annunciando, quòd missionis ejus pars nulla esset. Quidam *interrogant*, quomodo novimus *baptizare* hoc loco de *aquâ* intelligi, & non de Spiritu: quod si de Spiritu intelligendum sit, tunc baptismum Spiritûs non minùs quàm aquæ inde excludi? *Resp.* Qui hoc interrogant, non ideo, ut opinor, agunt, quòd ipsi dubitent, num de baptismo aquæ hoc loco agatur, quod certè abundè patet, cùm enim Paulus Apostolus missus fuerit, ut gentes à tenebris ad lucem & Deum converteret; qui autem hoc modo verè conversi sunt, ita ut bonæ conscientiæ confessionem habeant & Christum induant, & cum illo surgant in novitate vitæ, baptizati sunt baptismo Spiritûs. Sed quis dicat solùm paucos eos, qui ibi dicuntur à Paulo baptizati fuisse, ad statum hunc pervenisse? Vel eratne (etiam positâ adversariorum interpretatione) minùs principalis pars, quàm ulla alia ministerii Pauli, ut ad hunc homines adduceret; & cùm adversarii hoc loco baptismum aquæ intelligant (sicut & reverà debent) ita jure eum contra illos urgere possumus. Quare verbum *baptismus* & *baptizo* ab Apostolo usurpatur,

cùm aquæ baptiſmus ſolummodo intelligatur, poſtea dicetur. Nunc ad eorum argumenta procedo, qui pro aquæ baptiſmo contendunt, quæ & objectiones ſunt contra ejus abrogationem.

Sic Nic. Arnold. in hanc Theſin Exerc. Theolog. Sect. 46.

VIII. Primò quidem *objiciunt*, Chriſtum, qui Spiritum ſupra menſuram habebat, aquâ baptizatum eſſe. *Reſp.* itidem & circumciſus eſt, non inde ſequetur continuandam eſſe circumciſionem: oportebat enim Chriſtum omnem juſtitiam implere; non ſolùm Johannis miniſterium, ſed & legem Moſaïcam; ideoque feſta Judaïca & ritus obſervavit, & Paſcham ſervavit; non inde tamen ſequetur oportere Chriſtianos hodie ita agere: & ipſe hanc rationem dat, quare à Johanne baptizabatur, Matth. 3: 15. *Sinè modò, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam*, ſignificans, quòd non inde voluit perpetuare baptiſmum iſtum, quaſi inſtitutionem inter diſcipulos ſuos.

Secundò *objiciunt*, Matth 28: 19. *euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti.* Hæc eſt præcipua objectio ſuper quam totas vires ædificant.

Prima & generalis & tamen ſana *reſponſio* eſt, concedendo totum, eoſque remittendo ad probandum, quòd hoc loco ſignificetur, ut baptizent aquâ, cùm de eâ ſileat textus; & licet hoc ſufficiat, donec illi probaverint, quaſdam tamen rationes producam, quare nos aquam non includimus, & tunc eorum rationes, quibus volunt includi, conſiderabo. *Primò*, eſt illud axioma ab omnibus conceſſum, proprietatem verborum Scripturæ relinquendam non eſſe, nec ad figuram fugiendum, niſi urgente neceſſitate: Sed nulla nos hoc loco urget neceſſitas: Ergo verbis adhærendum eſt. *Secundò*, ille baptiſmus, quem præcepit Chriſtus Apoſtolis, erat unus baptiſmus, *id eſt*, ſuus baptiſmus: Sed unus baptiſmus, qui eſt Chriſti baptiſmus, non eſt aquæ baptiſmus, ut hactenus probatum eſt: Ideoque baptiſmus hic, à Chriſto Apoſtolis mandatus, non eſt aquæ baptiſmus. *Tertiò*, ille baptiſmus, quem præcepit Chriſtus Apoſtolis, talis erat, quo, quotquot baptizati erant, Chriſtum induebant: Sed hoc non eſt verum de aquæ baptiſmo: Ergo. *Quartò*, Baptiſmus, quem præcepit Chriſtus Apoſtolis, non erat Johannis baptiſmus: Sed baptiſmus aquæ eſt Johannis baptiſmus: Ergo. Sed primò *affirmant*, Chriſti baptiſmum, licet aquæ baptiſmus fuerit, à Johannis differre, quia Johannes ſolummodo baptizabat aquâ ad pœnitentiam; mandavit autem Chriſtus diſcipulis ſuis, ut in nomine Patris, Filii & Spiritûs baptizarent, æſtimantes, propter diverſam hanc formam, diſcrepantiam magnam inter Johannis & Chriſti

Chriſti baptiſmum. *Reſp.* quod baptiſmus Johannis fuerit ad pœnitentiam, non ibi ineſt diſcrimen; quia talis eſt etiam Chriſti: non enim negabunt adverſarii, adultos, ſi baptizentur, debere, priuſquam admittantur, pœnitentiam agere, & peccata confiteri, imò quòd & infantes, cum reſpectu ad baptiſmum ſuum, debeant & pœnitentiam agere & peccata confiteri. In hoc igitur nihil eſt diſcriminis, cùm pœnitentia & peccatorum confeſſio non minùs Chriſti, quàm Johannis baptiſmo quadret: neque in hoc conſentiunt adverſarii. *Calvinus* enim Johannis & Chriſti baptiſmum eundem eſſe contendit, *Inſt. lib.* 4. *cap.* 15. *Sect.* 7, 8. Ideoque oportet diſcrimen in hoc ſit, quòd unum fit aquâ, alterum Spiritu. Secundò, quod Chriſtus eis mandet baptizare in nomine Patris, Filii & Spiritûs ſancti, in illo fateor jacere diſcrimen, & quidem magnum, ſed quod ſit ſolummodo in adminiſtrando aquæ baptiſmum in diverſa hac forma, mera eorum verborum repetitione, ut hoc non affirmat textus, ita neque video quomodo inde deducatur; præcepit enim eos baptizare *εις τὸ ὄνομα*, id eſt, *in nomen*, non in nomine. *Nomen* autem *Domini* frequenter in Scripturâ aliter accipitur, quàm pro mero verborum ſono, vel expreſſione literali, *nempe* pro *vi & virtute*, ut patet ex Pſal. 54: 3. Cant 1: 3. Prov. 18: 10. & multis aliis locis. Quod autem debebant Apoſtoli nationes baptizare in hoc nomen & virtutem, & quòd ita fecerunt, patet ex illis Pauli teſtimoniis antè citatis, ubi ait, *quotquot è vobis baptizati fuiſtis, induiſtis Chriſtum.* Hoc factum eſſe oportuit baptizandis illis in nomen, *id eſt*, vim & virtutem, & non merâ formali verborum expreſſione cum aquæ baptiſmo conjunctâ; quia, ut ſupra obſervavi, illud non ſequitur quaſi naturalis aut neceſſaria talis baptiſmi conſequentia. Velim eos, qui cupiunt fidem ſuam non alii fundamento inniti, quàm revelationi divini Spiritûs & Scripturæ teſtimonio, ſeriò conſiderare, ſi quid pro tali interpretatione urgere poſſint, præter educationis præjudicium & traditionis influentiam; fortaſſe offendet incauto & inconſiderato lectori, quaſi ipſe Chriſtianitatis character abſciſſus fuerit, cùm moneam illum, hunc locum Scripturæ de aquæ baptiſmo minimè intelligere, & quòd hæc forma baptizandi aquâ in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti, Matth. 28: 19. nullum mandatum habeat; ſed quòd hoc verum ſit, utut mirum, & à communi hominum traditionali ſententiâ alienum, præter rationem ſumptam à ſignificatione nominis, quòd *ſciz.* ſit *vis & virtus*, & non merum *nomen literale*, conſideretur, quòd, ſi hæc fuiſſet forma à Chriſto diſcipulis ſuis mandata, veriſimillimum eſt uſos fuiſſe eos hac formâ in adminiſtrando

ſtrando iis baptiſmum aquæ, quibus eum adminiſtrabant. Sed, licet particularis fiat mentio in pleriſque actorum Apoſtol. locis, & quos & quomodo baptizabant, & licet particulariter exprimatur, quòd aquâ quoſdam baptizabant, Act. 2:41. 8:12. 13:38. 9:18. 10:48. 16:15. 18:8. de hac formâ ne quidem vocula eſt; duobus autem locis, *ſciz*, Act. 8:16. & 19:5 de quibuſdam dicitur, quòd *in nomine Domini Ieſu baptizati erant.* Unde adhuc magis apparet, quòd vel author hujus hiſtoriæ negligens admodum fuerit, qui, cùm adeò frequenter de baptizando mentionem faciat, tàm ſubſtantialem ejus partem omiſerit, & hoc erit ſanctum Spiritum accuſare, cujus ductu Lucam eam ſcripſiſſe conſtat; vel quòd minimè intellexerint Apoſtoli, Chriſtum per illud Matth. 28. injunxiſſe eis talem aquâ baptizandi formam, quoniam eâ forma non uſi ſunt; ideoque tutius eſt concludere, quòd, quid fecerint in adminiſtrando aquæ baptiſmum, non fecerint virtute illius commiſſionis, alioquin eâ forma etiam uſi fuiſſent. Non enim dubito, quin adverſarii magnam hæreſin judicarent, baptiſmum adminiſtrare ſine illâ forma, vel ſolùm in nomine Jeſu, non faciendo mentionem Patris aut Filii, ſicut de iis exprimitur in duobus locis ſuprà citatis. Secundò *ajunt*, ſi hoc non intelligeretur de aquæ baptiſmo, foret tautologia, idem quippe cum docendo. *Reſp.* Nequaquam: baptizare enim Spiritu eſt quid aliud, quàm docere, vel intellectum inſtruere; importat enim corda mollificare & attingere, quo illa convertuntur non minùs, quàm capita perſuadentur: ſed ſæpiùs in Scripturâ reperimus *docere* & *inſtruere* ſimul poſita, ſine abſurditate aut tautologiâ, quæ tamen majorem & proximiorem affinitatem habent, quàm docere & Spiritu baptizare. Tertiò *aiunt*, baptiſmum hoc loco per aquam intelligendum eſſe, quia eſt actio Apoſtolorum baptizantium eos *&c.* ideoque non eſſe baptiſmum Spiritûs, quod opus Chriſti & gratiæ ejus eſt, & non hominis. *Reſp.* Licet baptiſmus Spiritûs non fiat ſine Chriſto & gratiâ ejus, inſtrumentaliter tamen ab hominibus confertur, quos Deus ad illud opus ſuppeditavit, ideoque nihil abſurdi ſequitur, licet baptiſmus Spiritûs exprimatur, quaſi actio Apoſtolorum; licet enim Chriſtus ſit, qui gratiâ ſua dat *dona ſpiritualia*, loquitur tamen Apoſtolus ad Rom. 1:11. de *impertiendo iis dona ſpiritualia*, & Corinthios monet, quòd *eos per Evangelium genuerat*: generare autem homines ad fidem eſt opus Chriſti & gratiæ ejus; cor convertere eſt propriè Chriſti opus, & tamen hoc Scriptura non rarò hominibus, cùm inſtrumenta ſint, attribuit. Et cùm Pauli commiſſio fuerit, ut homines *à tenebris ad lucem converteret*, licet illud non agatur niſi co-

1 Cor. 4. 15.

operante

operante Christo per gratiam suam, sic etiam baptismus Spiritûs exprimi potest, quasi per homines, ut instrumenta, agendus, licet opus gratiæ Christi necessarium sit illic concurrere, ita ut nihil absurdi sit, dicere Apostolum administrâsse baptismum Spiritûs. Denique *aiunt*, quod hoc loco dicat Christus se esse *cum* suis *ad consummationem seculi*, ideoque baptismum aquę eousque permanere. *Respondeo.* Si hoc loco loquutus fuisset de baptismo aquæ, tunc id urgere poterant, sed cùm hoc negetur, imò & falsum esse probatum sit, indè nihil colligi potest; de baptismo Spiritûs loquitur, quem ad consummationem seculi, imó quousque præsentia Christi cum suis est, remanere lubenti animo concedimus.

IX. Tertiò, *objiciunt* constantem Apostolorum praxin in primitivâ ecclesia, quos *aiunt* semper administrasse aquæ baptismum eis, quos ad fidem convertebant; & hinc etiam adhuc urgent illud Matth. 28. de baptismo aquæ intelligi, alioquin, *dicunt*, sequeretur, Apostolos non rectè intellexisse illum locum, quoniam in baptizando usi sunt aquâ, vel saltem absque commissione aut mandato hoc egere. *Resp.* quòd fuerit constans Apostolorum praxis, negatur; imo & contrarium ab exemplo Pauli ostendimus, cùm absurdissimum esset existimare, convertisse eum solùm paucos eos, vel de ecclesiâ Corinthi, quos eo loco ait se solummodo baptizâsse; & non minus absurdum erit credere, constantem illam fuisse Apostolorum praxin, quâ ille tàm parùm usus est, qui *præcipuis Apostolis non inferior* erat, & de seipso testatur, quod plùs quàm omnes laboraverit. Sed deindè, illa conclusio ex Apostolorum praxi deducta (quia scilicet illi baptizabant aquâ, ideo intellexerunt illud Matth. 28. de aquæ baptismo dictum) non tenet; licet illi baptizarent aquâ, non ideò necessariò sequitur, quòd vel virtute illius commissionis id fecerint, vel quòd locum illum non rectè intellexerint, neque adduci possit ullum medium, quo talis conclusio inferatur. Quod attinet ad aliud illud, quod clamitant, absurdum fecisse illos tunc absque mandato, planè nullum est; potuerunt enim fecisse permissione ad tempus, cum in ejus usu fuerint ante Christi mortem, & quia populus, in externis ceremoniis educatus, eisque usitatus, ab iis non tàm citò totaliter amoveri posset; sic etiam aliis usi sunt, *viz.*, circumcisione & legalibus purificationibus, ad quæ addenda nullum à Christo habebant mandatum, sed de his etiam fusiùs in sequente, *de Cenâ*, thesi dicetur. Sed si propter identitatem verbi, cum præceperit eis Christus baptizare, & ii postea in usu aquæ dicuntur baptizare, probabile videatur, quod, mandato Christi, Matth. 28. intellexerint se juberi aquâ baptizare; ideoque

aquæ baptismo usos esse. *Resp.* Licet concederetur, quòd pro tempore mandati istius substantiam & spiritualem interpretationem ita non attigerint, ut aquam ad baptismum ibi nominatum pertinere senserint (necessitatem autem hoc concedendi nullam sentio) non tamen video, quòd multum absurdi indè sequeretur; patet enim, Apostolos ad tempus mandatum illud, Matth. 28. non rectè intellexisse, imò quoad præcipuam ejus partem, ut ubi jussi sunt *docere omnes gentes*, illi aliquandiu pòst illicitum judicabant, gentiles docere; imò ipse Petrus scrupulum fecit, donec visione ad illud quasi coactus fuerit: propter quod etiam fratres ejus, usque dum rectiùs instruebantur, condemnabant illum. Si autem Apostolorum educatio, dum Judæi existerent, eorumque propensitas Judaïcæ religioni adhærendi, ita cæmentaverit eos, etiam post Christi resurrectionem & Spiritûs effusionem, ut gentium admissionem & receptionem ferre vix possent, licet Christus disertè eis mandâsset, ut gentes docerent, quare magis absurdum foret, si judicaremus, quòd eodem errore ducti, cùm præcipui eorum fuerint Johannis discipuli, & baptismus ejus inter Judæos tantoperè æstimaretur, Christi baptismum, ab ipso de Spiritu intellectum, illi de aquâ dictum senserint, quod Baptisma Johannis erat, ideoque pro tempore aquâ usi sint. Sufficit nobis, quòd si in tali errore fuerint (cave, putes me affirmare, quòd fuerint) non semper in eodem manserint; alioquin Petrus non dixisset, baptismum, *quo nunc salvi facti sumus, non* esse *ablutionem sordium carnis*, quod certè aquæ baptismus non est. Sed præterea, in hoc multum urgent, quòd Petrus Cornelium baptizaverit, in quo duo urgent, primò, quòd utitur baptismo aquæ etiam iis, qui Spiritum receperant. Secundò, quòd disertè dicatur, quod jusserit eos baptizari, Act. 10: 47, 48. sed neutrum horum necessariò probat, aquæ baptismum ad novi fœderis dispensationẽ pertinere, neque perpetuum & permanens institutum esse in ecclesiâ Christi. Primò enim hoc nihil amplius evincet, quàm quòd Petrus pro illo tempore viros illos baptizaverit; sed, quod fecerit id *virtute mandati*, Matth. 28. adhuc probandum restat, & quomodo usus hujus aquæ baptismi, post receptum Spiritum sanctum, perpetuitatem ejus baptismi probet, plùs quàm usus circumcisionis, aliorumque legalium rituum, quos patet illum etiam postea observasse, adhuc non video: non mirum est, si Petrus, cui adeò durum videbatur, quod gentes participes fierent Evangelii, & qui magna difficultate, & non sine impulsu quàm extraordinario, induci potuit, ut eos adiret & cum iis ederet, aptus fuit hanc illis ceremoniam imponere, quæ, cùm fuerit particularis dispensatio Johannis, Christi præcursoris, cum Evangelio plus affinitatis habere

habere videbatur, quàm cæteræ illæ Judaïcæ ceremoniæ, quibus tunc utebatur eccleſia; hoc tamen nullo modo infert adverſariorum concluſionem. Secundò, quod ad illa verba, *& juſſit eos baptizari*, factum ſolum, non jus declarat, neque amplius quid evincit, quàm quòd Petrus illo tempore *pro hic & nunc*, præceperit eos baptizari aquâ, quod non negatur; nihil autem innuit, quod Petrus præceperit aquæ baptiſmum eſſe perpetuam & permanentem in eccleſiâ inſtitutionem; neque poſſit vir aliquis ſanæ rationis affirmare (ſi, quod affirmat, advertit) præceptum *de facto* particularibus perſonis inferre univerſale præceptum omnes obligans, niſi poſitivo cuidam univerſali præcepto abundè innitatur; cur Petri præceptum, jubentis Cornelium & familiam ejus hoc tempore baptizari, inferat aquæ baptiſmum magis permanentem eſſe, quam ejusdem cogentis (quod magis eſt quam præcipientis) mandatum gentes circumcidi & legem obſervare; eo tempore, quando præcepit Petrus Cornelium baptizari, nondum determinatum fuit, num gentes circumciderentur necne; imò communior ſententia fuit debere eos circumcidi. Quid mirum igitur, ſi illo tempore exiſtimarunt aquæ baptiſmum iis neceſſarium, cùm & magis Evangelio affinis fuit, & onus minùs grave.

X. Quartò, *Objiciunt* ſignificationem verbi *Baptizo*, quod ſignificat *immergere* vel *abluere* aquâ, indè urgentes, ipſum verbum aquæ baptiſmum innuere. *Reſpondeo.* Hæc flaccida objectio eſt. Baptiſmus enim aquæ erat inter Judæos ritus, ſicut *Paulus Riccius* refert, imò ante Johannis adventum; ideoque ceremonia illa nomen illud obtinuit à naturâ rei, ſicut eâ utebantur & Judæi & Johannes. Chriſtus & Apoſtoli ejus ſæpiuſculè utuntur iſtis terminis ad ſignificationem magis ſpiritualem; circumciſionem ſolummodo intellexerunt & utebantur Judæi in carne. Sed nos admonet Apoſtolus de *circumciſione cordis & Spiritus ſine manibus facta.* Licet baptismo uterentur Judæi, ſolùm aqua abluendo, tamen & Johannes & Chriſtus & Apoſtolus loquuntur de *baptismo Spiritus & ignis*, quem peculiarem Chriſti baptiſmum conſtituunt, & à Johannis baptismo aquæ contradiſtinctum, ut ſuprà oſtenſum eſt; ita ut, licet inter Judæos per baptismum, ſolùm aquæ baptiſmum, intellexerint, Chriſtiani tamen benè eum de ſpiritûs baptismo ſine aquâ intelligunt, cùm hoc ſenſu & Chriſti & Apoſtoli verbo utantur, & frequentiſſimum ſit ſub novo fœdere res ſpiritualiter intelligere ſub termmis eorum, quæ antea umbræ fuerint. Sic *Chriſtus, de corpore ſuo loquens*, (licet non intellexerunt eum Judæi) *dicebat, deſtructurum ſe templum, & triduo rurſus readificaturum.* Alia

multa

multa allegari possint; sed si verbi etymologiæ adeò tenaciter adhærendum erit, contra plerosque adversariorum non minùs, quàm contra nos militabit, cùm Græcum βαπτίζειν significet *immergere*, esseque ille proprius aquæ baptismi usus, & inter Judæos, & à Johanne, & inter primitivos Christianos; cùm plerumque adversarii solum aspergant paululum aquæ in frontem, quod nullo modo respondet verbo βαπτίζω. Imò qui olim inter Christianos hoc aquæ baptismo utebantur, hanc immersionem adeò necessariam judicabant, ut & hoc modo infantes immerserint. Et quoniam talis baptismus quibusdam, corpore infirmis, noxius judicabatur, ad hoc periculum evadendum introducta est aspersio; tunc tamen etiam statutum est, quod, qui solùm hoc modo aspersi fuerant, & non immersi, non admitterentur ad functionem aliquam ecclesiasticam, ut qui non satis baptizati essent. Si autem adversarii aliquid indè contra nos urgere volunt, oportet methodum aspergendi mutent.

Quintò *Objiciunt*, Joh. 3: 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, &c. indè necessitatem aquæ baptismi, non minùs quàm spiritus colligentes. *Respondeo.* Si aliquid designet, probat aquæ baptismum omninò necessarium; ideoque Protestantes rectè affirmant, cùm hoc à Pontificiis urgeatur ad absolutam baptismi aquæ necessitatem evincendam, quòd, per *aquam* hoc loco, materialis externa aqua non est intelligenda; sed quòd mysticè hoc loco loquitur Christus de internâ purificatione & ablutione, ut, ubi loquitur de baptismo ignis, non de externo materiali igni intelligendum est, sed de purificatione per *metonymiam*; quia purificare est proprius effectus ignis, sicut abluere & mundare est aquæ; ideoque Scriptura ad aquam alludit, ubi de eâ intelligi non potest, nempè ubi dicimur salvi fieri per *lavacrum regenerationis*: imò Petrus disertè ait in loco sæpè antè citato, ut etiam benè observat Calvinus, *baptismum, qui salvat, non esse ablutionem sordium corporis.* Quia igitur aqua hoc loco de externâ aqua intelligi non potest, hoc nihili ad baptismum aquæ probandum valet. Si dicatur, aquam hoc loco inferre *necessitatem præcepti*, licet non *medii*: hoc est primùm pro concesso sumere aquam hìc pro externâ aquâ poni, cujus contrarium hactenus probatum est. Deindè, aqua & Spiritus hoc in loco juxtà ponuntur, *nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu*, ubi unius necessitas non minùs, quàm alterius urgetur. Si autem Spiritus omninò necessarius sit, tunc etiam erit aqua, ita ut vel oporteat dicere, *renasci ex Spiritu*, non esse absolutè necessarium, quod omnes fatentur esse falsum; vel aquam esse simpliciter necessariam, quod ut Protestantes

Tit. 3: 5 *Instit. lib.* 4. *cap.* 15

teſtantes ſic nos quoque & affirmavimus & probavimus eſſe falſum: vel confiteri oporteat, aquam hoc loco non de externa aquâ intelligi. Si quis enim obſtinatè dicat, ubi aqua & Spiritus juxtà ſimul ponuntur eodemque modo, licet nulla differentia nec cauſa diſtinctionis in textu appareat, neceſſitatem aquæ hoc loco eſſe *præcepti*, ſed non *medii*, Spiritûs verò neceſſitatem eſſe & *medii* & *præcepti*, hoc erit equidem confidenter affirmare, ſed non probare.

Sextò, *Objiciunt*, baptiſmum aquæ eſſe *viſibile ſignum* ad diſtinguendos Chriſtianos ab infidelibus, ſicut erat *circumciſio* Judæis. *Reſp.* Hoc nihil dicit, niſi probetur, quòd ſit præceptum, aut pars novi fœderis diſpenſationis; non enim licet nobis imponere externas ceremonias & ritus, & tunc dicere, quòd nos ab infidelibus diſtinguant. *Circumciſio* ſpecialiter præſcripta fuit, & *primi fœderis ſignum* dicta, ſed, ut jam probatum eſt, non invenitur tale *pro baptiſmo* præſcriptum, neque vel verbum in toto novo teſtamento reperitur, quo nominatur *Chriſtianitatis ſignum* vel *novi fœderis arrhabo*; ideoque concludere ita eſſe ſine meliore probatione, quàm quia circumciſio talis erat, eſt miſerrimè quæſtionem petere. *Profeſſio fidei in Chriſtum, & vita ſancta ei reſpondens, præſtantius eſt Chriſtianitatis ſignum, quàm externa ablutio*, quæ circumciſioni minimè reſpondet, illa enim carni characterem affixit, quod hoc non facit; Chriſtianus igitur non cognoſcitur eſſe Chriſtianus per baptiſmum, niſi dicat aliis, quòd baptizatus fuerit; & nonne profeſſio fidei in Chriſtum, & ſancta vita Chriſtianitatem abundè teſtatur? Non dubito, quin ex iis, qui *Patres* dicuntur, multa de aquæ baptiſmo loquantur, nominantes illum *characterem Chriſtianitatis*, ſed ſic etiam loquuti ſunt de *ſigno crucis*, & pleriſque aliis, quæ meritò rejecerunt Proteſtantes. Myſterium enim iniquitatis jam inceperat operari ipſis Apoſtolorum diebus, & ſimplicitatem & puritatem religionis Chriſtianæ citò infecit, ita ut non ſolùm plerique ritus Judaïci, ſed & multæ ethnicæ ceremoniæ ac ſuperſtitiones in religionem Chriſtianam introductæ ſint, imò & ethnici *termini*, quorum hic *Sacramentorum* unus erat, ita ut vanum ſit, præſertim Proteſtantibus, hoc à traditione deducere vel tueri; nam nec Pontificii nec Proteſtantes iis utuntur ritibus, ut Patres illi, qui, certiſſimam divini Spiritûs regulam derelinquentes, & externis ceremoniis nimis adhærentes, incerti fuerunt; primitivis enim temporibus plerumque, quos baptizabant, *totaliter in aquam immerſerunt*, imò differebant ſæpè baptiſmum *ad ſenectutem* uſque, & ex iis quidam ſuo tempore hæreticos judicabant, qui quædam cum Proteſtantibus com-

munia de baptismo sentiebant; quippè *Augustinus* condemnabat *Pelagianos*, quòd dicerent *morientes sine baptismo salvari posse*; & *Iulianum Pelagianum*, quòd *exorcismum* & *inflationem* admittere nollet. Et *Manichæi* condemnabantur, quòd negarent *gratiam universaliter per baptismum conferri*. Quæ omnia etiam Protestantes negant. Malè igitur admodum nobis objiciunt Protestantes, quòd ex antiquis nullos ostendere possumus, qui *baptismatis aquæ usum* negabant, cùm nec illi ullos ostendere possint, quos non fatebuntur hæreticos, vel saltem errâsse in ejus usu, vel qui eo utentes non etiam usi sunt *signo crucis*, & aliis, quæ ipsi negant. Fuere tamen etiam temporibus Papatûs obscurioribus, qui contra aquę baptismi usum aut necessitatem testati sunt. Refert enim *Alanus*, pag. 103, 104, 107. de quibusdam loquens, *quòd dicerent baptismum nullam habere efficaciam vel in parvulis, vel in adultis; ideoque ad baptismi susceptionem homines omninò non teneri*. Hac de causâ decem è canonicis, dictis sanctæ crucis, Aureliæ exusti sunt jussu *Roberti* Gallorum Regis. Refert *P. Pithœus* in fragmentis historiæ Aquitanicæ, idque ampliùs confirmat, qui eo tempore claruit, *Iohannes Floracensis* monachus in epistolâ ad *Olivam*, *Ansonensis* ecclesiæ Abbatem. *Volo*, inquit, *vos interea scire de hæresi, quæ die sanctorum Innocentium in Aurelianensi civitate, nam verum fuit, si aliquid audistis, fecit Rex Robertus vivos ardere de melioribus clericis, sive de nobilioribus Laicis, prope quatuordecim ejusdem civitatis, qui, Deo odibiles, perosique cœlo & terræ, abnegando abnegabant sacri baptismi gratiam, Dominici quoque corporis & sanguinis consecrationem.* Tempus rei gestæ hisce verbis consignatum extat Papir. Masson. loco citato, *actum Aureliæ publicè anno incarnationis Domini 1022, regni Roberti Regis 28. indictione 5. quando Stephanus hæresiarcha & complices ejus damnati sunt & exusti Aureliæ.*

Papir. Masson. Annal. Francorum lib. 3. in Hugone & Roberto.

Quod autem authores isti Pontificii vocant eos *hæreticos* & *Manichæos*, illud non magis invalidabit testimonium eorum pro hac veritate contra *usum baptismatis aquæ*, vel præbebit ansam vocandi nos *Manichæos*, quàm, quia quidam, sic ab illis nominati, consentiunt cum Protestantibus in plerisque, ideo Protestantes *& Manichæi & hæretici* habendi sunt, quod Protestantes nullo modo evitare possunt. Quæstio enim est, utrum illi, utcunque ab adversariis nominati sint, secundum veritatem, in Scripturis sacris declaratam, testati sint nec ne; & hoc modo controversia rursus per Scripturas discutienda venit, secundum quas affirmativam sententiam satis suprà probatam esse opinor. Quod attinet ad ultimam thesis partem, *baptismi*

ptiſmi infantum uſui refragantem, neceſſariò è ſuprà dictis ſequitur. Si enim non detur aquæ baptiſmus, certè baptiſmus infantum penitus tollitur. Cæterùm adverſariis hac in re nos oppugnantibus, poſtquam omnia, quæ poterant, ad probandum aquæ baptiſmum produxerunt, nunc incumbit, ut demonſtrent, debere infantes aquâ baptizari: contrà, qui probat ceſſâſſe aquæ baptiſmum, exindè probat non dari infantum baptiſmum; ſed qui probavit aquæ baptiſmum adhuc durare, minimè exindè probavit infantum baptiſmum neceſſarium eſſe, ſiquidem ad hoc probandum aliquid amplius requiritur; ideoque miſerum erat *Nic. Arnoldi* ſubterfugium, contra hanc theſis partem ſimpliciter affirmare, quòd *negatio pædobaptiſmi ad gangræanam Anabaptiſticam pertineat*, non additâ ullâ ampliore probatione.

Theſis Decimatertia.

De Communicatione & Participatione corporis & ſanguinis Chriſti.

Communio corporis & ſanguinis Chriſti eſt *quid ſpirituale* & *internum*, hoc eſt, participatio carnis & ſanguinis Chriſti, quô *homo interior* quotidiè nutritur in cordibus eorum, quibus Chriſtus inhabitat, cujus rei *fractio panis* per Chriſtum cum diſcipulis erat *figura*, quâ aliquando in eccleſiâ etiam utebantur illi, qui rem figuratam receperunt, imbecillium cauſâ: ſicut *abſtinere à rebus ſtrangulatis*, & *à ſanguine*; *lavare invicem pedes*, *infirmos oleo ungere*, quæ omnia juſſa ſunt non minore authoritate & ſolennitate, quàm priora illa duo; ſed cùm tantùm fuerint *umbræ* meliorum, illis ceſſant, qui *ſubſtantiam* aſſequuti ſunt.

I. *Communio* corporis & ſanguinis Chriſti *myſterium* eſt abſconditum ab hominibus naturalibus in ſtatu ſuo lapſo & degenerato, quod nec intelligere nec apprehendere poſſunt, dum illic permaneant, nec, ut illic ſunt, participes ejus fieri poſſunt, aut *corpus Domini diſcernere*: & quia orbis Chriſtiani profeſſores utplurimùm laboraverint, operati ſint, conceperint & imagi-

nati ſint in naturalibus ſuis & irregeneratis intellectibus de Deo & religione, ideo ab iis hoc myſterium multùm abſconditum eſt & quaſi ſignatum, dum contenderint de merâ umbrâ & parte exteriore, peregrini equidem ſubſtantiæ, vitæ & virtuti.

II. *Corpus* igitur Chriſti, cujus participes fiunt fideles, *ſpirituale* eſt, & non carnale, & *ſanguis* ejus, de quo bibunt, *purus* eſt & *cæleſtis*, non autem *mortalis* aut *elementaris*, ut *Auguſtinus* etiam affirmat de corpore Chriſti, quod manducatur, in tract. Pſal. 98. *Niſi quis manducaverit carnem meam, non habebit in ſe vitam æternam, & ait, verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus eſt & vita, ſpiritualiter intelligite, quæ locutus ſum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent. —— Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi; dixit ſe panem, qui de cælo deſcendit, hortans ut credamus in eum, &c.*

Si *quæratur*, quid ſit illud *corpus*, quid ille *ſanguis*? *Reſpondeo.* Cæleſte illud ſemen, divina illa & ſpiritualis ſubſtantia, de quâ ante loquutus ſum theſi 5 & 6. hoc eſt *vehiculum* illud, ſeu *ſpirituale Chriſti corpus*, quo hominibus vitam & ſalutem communicat, omnibus ſcilicet in illum credentibus & recipientibus illum, quo etiam homo ſocietatem & communionem cum Deo obtinet. Hoc probatur, Joh. 6. à verſu 32. usque ad finem, ubi fuſiùs hanc rem tractat Chriſtus, quàm ullo alio loco; & revera Evangeliſta hic & delectus diſcipulus, qui in ſinu Domini recumbebat, ampliorem nobis narrationem tradit ſpiritalium Chriſti dictorum, quàm ullus alius; & notatu dignum eſt, quod, licet nihil loquatur de ceremoniâ illâ, quâ uſus eſt Chriſtus frangendi panem cum diſcipulis, nec in Evangelicâ narratione actorum Chriſti, nec in epiſtolis ſuis, tamen fuſiùs tractat hanc participationem corporis, carnis & ſanguinis Chriſti, quàm ullus aliorum. Chriſtus enim hoc capite obſervans Judæos eum ſequi propter panes, monet eos, verſu 27. ne operentur pro cibo, qui perit, ſed qui permanet in æternum; ſed illi, carnales in judiciis ſuis, neque intelligentes ſpiritualem Chriſti doctrinam & elocutionem, putabant manna, quod dederat patribus ſuis Moyſes, præſtantiſſimum cibum eſſe, quia de cælo deſcenderat, ad inſtruendos eos Chriſtus affirmat, primò, *non Moyſen, ſed Patrem ipſius dare eis de cælo panem*, ver. 32. & 48. Secundò, *Seipſum hunc panem vocat*, ver. 53. *Ego ſum panis vitæ.* Et ver. 51. *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi.* Tertiò, declarat hunc panem eſſe carnem ſuam, ver. 52. *& panis, quem ego dabo, caro mea eſt*, & ver. 56. *Caro enim mea*

verè

verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Quartò, neceſſitatem hujus participandi annunciat, ver. 54. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et denique, beatos & præclaros fructus & effectus communionis hujus corporis & ſanguinis Chriſti, ver. 33. *Hic panis dat vitam mundo.* ver. 50. *Si quis ex eo manducaverit, non morietur*, ver. 57. *qui manducat hanc carnem, & bibit hunc ſanguinem, manet in Chriſto, & Chriſtus in illo.* Ex ampla hac deſcriptione originis, naturæ, & effectuum hujus corporis, carnis & ſanguinis Chriſti, patet ſpirituale eſſe, & de corpore ſpirituali intelligi, & non de corpore illo ſeu templo Jeſu Chriſti, quod ex Mariâ virgine natum fuit, & in quo ambulavit, vixit & paſſus eſt in terrâ Judææ; quia de hoc corpore, de quo participare nos oportet, dictum eſt, quòd è cælo deſcendit, imò quòd ille eſt, qui è cælo deſcendit. Chriſtiani autem communiter concedunt, externum illud Chriſti corpus nec à cælo deſcendiſſe, nec illam eſſe Chriſti partem, quæ è cælo deſcendit, & rem extra controverſiam ponit ipſe Chriſtus, qui, cùm carnales Judæi ita exiſtimare cæperunt, diſertè, ver. 64. affirmat, *Spiritum vivificare, carnem non quicquam prodeſſe.* Hoc etiam ſanæ & ſolidiſſimæ rationi nititur, quia anima, non corpus, hac carne & ſanguine nutrienda eſt. Externa autem caro animam nutrire haudquaquam poteſt, nihil inter eas analogiæ eſt, neque eſt ſanctorum cum Deo communio conjunctione, ſeu mutua participatione carnis, ſed Spiritûs; qui junctus eſt Domino, unus Spiritus eſt, non una caro. Caro enim (externam carnem intelligo, imò talem, qualis erat illa Chriſti, in qua vixit & ambulavit in terris, & non carnem, cùm per metaphoram ſpiritualiter intelligatur) de carne tantummodo participare poteſt, ſicut & ſpiritus de Spiritu. Sicut corpus ſpiritu nutriri non poteſt, ita nec ſpiritus carne: & quòd caro hoc loco ſpiritualiter intelligatur, adhuc patet, quia quod ea nutritur, nunquam morietur; ſed oportet omnium hominum corpora ſemel mori, imò neceſſe fuit, ipſum Chriſti corpus mori. Corpus igitur hoc, & caro ac ſanguis Chriſti intelligendus eſt de *divino* & *cæleſti ſemine* antè dicto; patet hoc à natura & fructibus ejus: nam dicitur illud eſſe, quod *de cælo deſcendit*, & *mundo dat vitam*: hoc autem reſpondet *lumini illi & ſemini*, de quo teſtatur Johannes cap. 1. *quod ſit Lux hominum & vita mundi.* Hoc enim *ſpirituale Lumen* & *ſemen*, ſicut aditum in hominum cordibus, & locum exurgendi accipit, eſt quaſi panis eſurienti & deficienti animæ, quæ quaſi mortua & ſepulta eſt in cupiditatibus & libidinibus mundi, quæ rurſum vivificatur, & reviviſcit,

ſicut participat, & guſtat cæleſtem hunc panem, & qui hujus participes ſiunt, ad Chriſtum pervenire dicuntur; neque potiri hoc pane quispiam poteſt, niſi ad Chriſtum veniendo, & credendo in manifeſtationem *Luminis* ejus in corde ſuo, quod recipiendo, inque illud credendo, communio corporis & panis cognoſcitur. Appareat etiam, quòd hoc loco idem intelligit, per corpus, carnem & ſanguinem ſuum, quod intelligitur, Joh. 1. *per lumen unumquemque illuminans, & vitam, &c. quia Lumen & vita*, Joh. 1. dicitur *Chriſtus*; *& Lux illa vera, & panis ac caro hoc loco*, Joh. 6. dicitur etiam *Chriſtus*; *ego ſum panis ille vivus*, inquit ipſe. Rurſus, *qui lucem & vitam illam*, Joh. 1: 12. *recipiebant, poteſtatem obtinebant, filios Dei fieri, credendo in nomen ejus*: ſic etiam hic, Joh. 6: 35. *qui ad hunc panem veniunt, non eſuriunt; & qui credunt in illum, qui eſt hic panis, non ſitient unquam.* Sicut igitur Chriſtus habebat externum & viſibile corpus, aut templum, quod originem traxit à Mariâ virgine, ita etiam ſpirituale corpus Chriſtus habebat, per quod ille, qui erat *verbum* in principio cum Deo, & erat & eſt Deus, revelavit ſemetipſum filiis hominum omni ætate, & per quod omni ætate participes facti ſunt vitæ æternæ, & communionem cum Deo & Chriſto habebant. De quo Chriſti corpore, carne & ſanguine, ſi & Adam, & Seth, & Enoch, & Noah, & Abraham, & Moyſes, & David cum omnibus Prophetis & viris ſanctis non manducaſſent, vitam in ipſis habere non potuerunt, nec homo interior nutriri potuit. Et ſicut corpus aut templum externum Chriſtus vocabatur; ita non minùs propriè, longè antequam externum illud corpus fuit, ſpirituale hoc corpus vocabatur Chriſtus: hinc ait Apoſtolus, 1 Cor. 10: 3, 4. *Quoniam patres omnes eundem potum ſpiritualem biberunt, bibebant autem de ſpirituali conſequente eos Petrâ, Petra autem erat Chriſtus.* Hoc non aliter niſi de ſpirituali Chriſti corpore intelligi poteſt: quod ſpirituale Chriſti corpus, licet juſtorum cibus ſalutaris eſſet, & ante Legem & ſub Lege, tamen ſub Lege velatum erat & obumbratum variis typis, ceremoniis & obſervationibus, imò & velatum & abſconditum quodammodo erat ſub externo templo & corpore Chriſti, ita ut Judæi Chriſtum, de illo enarrantem, intelligere minimè potuerint; & non Judæi ſolùm, ſed è diſcipulis ſuis multi durum ſermonem putarint, quocirca diſceſſerunt ab illo, neque ampliùs ſequebantur illum. Non dubito, quin hodiè complures exiſtant, profitentes ſe eſſe Chriſti diſcipulos, qui non magis intelligunt hoc myſterium, quàm iſti, & apti ſunt hic offendere, dum externum corpus ſequuntur, illudque adſpiciunt, & non illud, quo ſancti quotidiè nutriuntur. Sicut enim

enim Jeſus Chriſtus in obedientia ad Patris voluntatem per Spiritum æternum corpus illud obtulit, propitiationem pro remiſſione peccatorum, & teſtimonium illinc perfecit in terra, in perfectiſſimo patientiæ, reſignationis, & ſanctitatis exemplo, ut omnes homines fiant illius ſacrificii participes, ita etiam in omnium corda diffundit menſuram hujus divini Luminis & ſeminis, quo ipſe induitur, ut ita ad omnium conſcientias penetrans eos è tenebris & morte erigat vitâ ſuâ & lumine, quò participes fiant corporis ſui, & cum Patre & Filio communionem habeant.

III. Si *quæratur*, Quomodo homo fiat hujus particeps & eo nutriatur? *Reſponſio* plana eſt in ipſis diſertis Chriſti verbis. *Ego ſum panis vitæ* (inquit ille) *qui ad me venit, nunquam eſuriet, qui in me credit, nunquam ſitiet*: & rurſus, *quia caro mea cibus eſt, & ſanguis meus potus eſt*. Quiſquis igitur es, qui hanc quæſtionem interrogas, vel hoc ſcriptum legis, ſive teipſum fidelem reputes, ſive certâ & triſti experientiâ ſentias, quòd adhuc in infidelitate jaces; & quod externum corpus & caro Chriſti procul à te, abeſt, neque eam attingere potes: &, licet ſæpius abſorpſeris, quod *Pontificii* perſuaſerunt tibi eſſe realem Chriſti carnem & ſanguinem, & ita eſſe credideris, quanquam omnes ſenſus contrarium declarent; & quamvis illum panem ſumpſeris in eum ſenſum, ſub quo *Lutherani* affirmârunt carnem & ſanguinem Chriſti eſſe; & licet illius particeps factus ſis, quem *Calviniſtæ* figuram ſolummodo corporis appellant, fide tamen per illum Chriſti corpus recipi affirmant, quamvis, quomodo ſumatur, dicere nequeant, nihilominus animam tuam ſterilem, jejunam & deficientem ſentis, quia eo, quod expetit, caret. Noſce igitur *lumen* illud, iniquitates tuas manifeſtans, ſterilitatem tuam, nuditatem tuam, inanitatem tuam tibi aperiens, corpus illud eſſe, cujus oportet te participare, & quô expedit tibi nutriri. Sed ſi ad illud te non convertas, & advenias, & recipias, derelinquendo iniquitatem, eſurire eum panem poſſis, ſatiari illo nequaquam poſſis, nullam enim cum tenebris communicationem habet, *non enim potes calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum, non potes menſæ Domini particeps eſſe, & menſæ dæmoniorum*, 1 Cor. 10: 21. Sed, prout parvum illud juſtitiæ ſemen in te exurgere, & ad partum uſque formari ſinis, novus ille ſubſtantialis partus, qui in animâ tua naſcitur, naturaliter paſcitur & nutritur ſpirituali hoc corpore: imò ſicut partus externus non vivit, niſi quâ recipit & ſpirat per externum elementarium aëra, ita & hic partus internus non vivit in animâ, niſi ut recipit & ſpirat per ſpiritualem aërem, vel vehiculum. Et quemadmodum partus externus non ſubſiſtit ſine externo

quo-

quodam corpore, quo nutritur, *sciz.* externâ quadam carne, & externo quodam sanguine; ita nec partus internus, nisi nutriatur interno hoc corpore, i.e. internâ hac carne & sanguine Christi, qui illi respondet eodem modo per analogiam: & hoc quàm consentaneum est doctrinæ Christi de hac re; nam ut sine cibo externo externum corpus vitam non habet, ita ait Christus, *nisi edatis carnem Filii hominis, & bibatis sanguinem ejus, vitam in vobis non habetis*; & sicut corpus externum, edendo cibum externum, eo vivit, sic ait Christus, quòd, *qui edet eum, vivet per eum.* Ita interna participatio est interioris hominis de hoc interno & spirituali corpore Christi, quo anima Deo vivit, & quo homo Deo unitur, & cum eo societatem & communionem habet. *Qui carnem meam edit, & sanguinem meum bibit*, inquit Christus, *habitat in me & ego in illo.* De externâ esca externi panis intelligi hoc minimè potest; & sicut hoc modo anima attingit cum Deo communionem, sic in eo, quod omnes sancti participes sunt unius hujus corporis, & unici panis, mutuam communionem adipiscuntur. Hinc Apostolus, 1 Cor. 10: 17. ait, quòd *multi existentes, unus panis, & unum corpus erant*: & sapientibus inter Corinthios dixit, *panis, quem frangimus, est participatio corporis Domini.* Hæc est vera & spiritualis Domini cœna, cujus participes fiunt homines, Christi vocem audiendo, & ei cordium januas aperiendo, eumque intrare non impediendo, secundum plana Spiritûs verba, Apoc. 3: 20. *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Cœna* igitur *Domini* vel cœnatio (ut ita loquar) cum Domino, & participatio carnis & sanguinis ejus nullo modo limitatur ad ceremoniam frangendi panis, & bibendi vini statutis temporibus, sed realiter & verè possidetur, quandocunque anima introvertitur ad lumen Domini, & sentit & participat de cœlesti vitâ, quâ homo interior nutritur, quod sæpè cognoscitur, & fruuntur fideles omni tempore, licet magis specialiter cùm simul congregentur ad Deum attendendum.

IV. Sed in quot, quantasque confusiones professores Christianitatis inciderint circa hanc rem, abundè manifestum est, dum, (sicut in plerisque aliis) spiritualis intelligentiæ defectu, laborârint hanc cœnam Domini annectere illi ceremoniæ, quâ usus est Christus ante mortem, frangendi panem, & bibendi vinum cum discipulis: & licet in hoc generali ut plurimùm concordent, quomodo tamen ad invicem contendunt, & altercantur, & quàm mirè constringuntur, & ad quantas angustias reducuntur, dum spirituale hoc mysterium illi ceremoniæ assuere nituntur, & quàm

porcen-

portentosas & horrendas opiniones & sententias confinxerunt, ut includerent vel affigerent corpus Christi huic pani & vino: pro quibus sententiis non solùm maximæ, atrocissimæ & pernicioſissimæ contentiones fuerunt & inter Professores Christianitatis in generali, & ad invicem inter Protestantes, sed etiam tam absurdæ & rationi pugnantes consequentiæ sequutæ sunt, ut indè religio Christiana fiat odiosa Judæis, Turcis & Ethnicis. Professores Christianitatis in hoc præcipuè se dividunt in tres sententias. *Prima* est eorum, qui dicunt substantiam panis *transubstantiari* in substantiam ipsius corporis & sanguinis Christi, quod ex *Mariâ* virgine natum erat, & à Judæis crucifixum, ita ut post *consecrationis verba* (uti ea vocant) non sit diutius panis, sed corpus Christi. *Secunda* est eorum, qui dicunt substantiam panis remanere, sed corpus etiam Christi ibi adesse in, cum, & sub pane, ita ut adsit & substantia panis, & etiam corpus, caro & sanguis Christi. *Tertia* est eorum, qui, denegantes ambo priora, affirmant corpus Christi ibi non esse corporaliter seu substantialiter, sed tamen realiter & sacramentaliter recipi à fidelibus in usu panis & vini; sed quomodo fiat, prorsus ignorant, neque dicere possunt, & tamen oportet illos credere ibi esse, licet propriè solummodo sit in cœlis. Minimè mihi consilium est, singularum earum opinionum refutationem aggredi; singularum enim authores & affirmatores abundè satis se invicem refellerunt, & sunt singuli non minùs fortes, & à Scripturâ & recta ratione, in se invicem refutando, quàm imbecilles & frigidi sunt in propriam suam sententiam stabiliendo; seriò enim & sæpiùs respectiva eorum scripta legens observavi (& hæc fortè aliorum etiam fuit observatio) quòd non magis feliciter aliorum invicem opiniones refutent, quàm miserrimè premantur, cùm ad propriam tuendam veniant, ita ut sæpius concludere coactus sim, ex iis nullos mysterii substantiam attigisse. Cùm satis abundè *Calvinus* priores duas sententias refutaverit, videamus, num felicior sit in illâ stabiliendâ, quàm veritatem esse contendit, qui, prioribus refutatis, planè nescire se fatetur, quid earum loco affirmare oporteat, nam postquam diu locutus est, & tandem concluſit corpus Christi ibi esse, & oportere sanctos necessariò ex illo participare, tandem his verbis finit, *si interrogabor, quomodo, minimè me pudebit confiteri nimis arcanum esse, quo spiritu meo comprehendam illud, vel verbis explanem.* Hic admodum ingenuè agit, ecquis tamen existimaret talem virum ad has angustias redactum iri in sententiam suam confirmando, cùm paulò antè, eodem capite, *sect.* 15. accuset scholasticos Pontificios (idque meritò) *quod neque intelligebant, nec*

Inst. *lib.* 4. *cap.* 17.

aliis explanare poterant, quomodo Chriſtus ſit in euchariſtiâ, quod paulò poſt fatetur, nec ſeipſum facere poſſe. Si igitur Pontificii ſcholaſtici doctrinam hac in re nec intelligant, nec aliis explanare poſſint, neque ſpiritu ſuo eam comprehendere poſſit ipſe *Calvinus*, neque verbis explanare, quod planè idem eſt, nihil ab utriſque certitudinis expectandum eſt. Multis uſi ſunt plerique conatibus ad reconciliationem hac in re inveniendam, tam inter Pontificios & Lutheranos, quàm inter Lutheranos & Calviniſtas, ſed truſtrà: & multæ formulæ & exprimendi varii modi exhibiti ſunt, quibus omnes concedere poſſint, quod in ſummâ vanum commentum eſt; unuſquiſque enim eos intellexit & interpretatus eſt ſecundum ſententiam propriam, & ſic æquivocantes ſibi invicem illudebant, aliique alios decipiebant. Hujus autem omnis contentionis ratio eſt, quia clarâ & diſtincta hujus myſterii intelligentia carebant, & circa umbras & res externas delirabant. Nam & fundamentum & materia altercationum earum ſtat in rebus exoticis à ſubſtantiâ & in ſe parùm neceſſariis; & hoc fuit ſæpè ſatanæ ſtratagema, ſolicitos & occupatos homines detinere in externis ſignis, umbris & formis, de talibus eos contendere provocans, dum interea *ſubſtantia* negligitur, & pro iis umbris contendentes impulit eos ad malitiam, iracundiam & vindictam, aliaque vitia, quo tenebrarum ſuum regnum in cordibus eorum ſtabiliat, & Chriſtianitatis vitam diruat: plus enim animoſitatis & contentionis de hoc uno fuit, & ſanguinis major effuſio, quàm de ullo alio. Et quidem Proteſtantium res geſtas maximè ignorant, qui neſciunt hoc pernicioſius fuiſſe reformationi, quàm omnis oppoſitio, quam à communi adverſario ſuſtinuerunt. Incertæ autem omnes illæ & abſurdæ opiniones ac diſceptationes indè orientes hinc proceſſerunt, quòd omnes concordârint in duobus erroribus de hac re. Quibus denegatis & remotis, ſicut ab amicis noſtris ſunt, facilis ad reconciliationem via aperiretur, omneſque conveniremus in unâ eâdemque vera & ſpirituali intelligentiâ hujus myſterii; & hoc modo non ſolùm velitationes ſed etiam abſurditates, ex ſuprà dictis opinionibus orientes ceſſarent & caderent. *Primus error* eſt, quòd communionem & participationem corporis, carnis & ſanguinis Chriſti referant ad externum illud corpus aut templum, quod è *Mariâ* virgine natum, & in Judæâ paſſum eſt, cùm referri debeat ad ſpirituale corpus, carnem & ſanguinem Chriſti, *cæleſte* ſciz *illud lumen & vitam*, quæ erat cibus & nutrimentum regeneratorum in omnibus ſeculis, ſicuti hactenus probatum eſt. *Secundus error* eſt, quòd annectant hanc participationem corporis, carnis & ſanguinis Chriſti ad ceremoniam illam,

illam, quâ uſus eſt cum diſcipulis in frangendo panem, quaſi ad eam ſolùm referenda eſſet, vel in uſu illius ceremoniæ tantummodo poſſideretur, quod perperam ſit. Hic enim eſt panis, quem Chriſtus in oratione ſua ἐπίουσιον, i. e. *ſuperſubſtantialem* vocat, cujuſque particeps ſit animus ſine relatione, aut neceſſario ad hanc ceremoniam reſpectu, ut poſtea fuſiùs probabitur. Depoſitis hoc modo his duobus erroribus, & exinde orientibus contentionibus, ſic omnes concordant in præcipuis poſitionibus, *viz*, primò, quòd *corpus, caro & ſanguis Chriſti* ad nutriendam *animam* neceſſarius ſit. Secundò, quòd *animæ fidelium* realiter paſcantur & alantur *corpore, carne & ſanguine Chriſti*. Sed dum homines, hujus myſterii ſpiritualitate non contenti, in propriis ſuis voluntatibus, ſecundum ſuas inventiones, Scripturas trahunt & detorquent, ut hanc communicationem carnis & ſanguinis Chriſti ad externum panem & vinum affigant, non mirum eſt, ſi carnalibus ſuis apprehenſionibus in confuſionem incurrant. Sed quia communiter exiſtimatum eſt, communionem corporis & ſanguinis Chriſti ſpecialem aliquam relationem habuiſſe ad hanc ceremoniam frangendi panis & vini, idcirco primò opinionem illam refutabo, & pergam conſiderare naturam & uſum illius ceremoniæ, num ſit neceſſaria remanere, reſpondens argumentis & objectionibus eorum, qui pro continuatione ejus, quaſi neceſſariâ, contendunt, ac ſi perpetuum in eccleſia Dei ſtatutum eſſet.

V. Primò intelligendum eſt, nos hîc de neceſſaria & peculiari relatione loqui, aliter quàm de reſpectu generali: quùm enim communio noſtra cum Chriſto debeat eſſe primum noſtrum & præcipuum opus, ita omnia peragere debemus cum intuitu ad Deum, & communionem noſtram cum illo; ſed relatio ſpecialis & neceſſaria talis eſt, ubi duo ita connectuntur & uniuntur vel naturâ ſuâ vel Dei præcepto, ut unum non poſſideatur ſaltem (licet id fiat extraordinariè) ſine altero. Hinc ſalus neceſſariam relationem ad *ſanctitatem* habet, quia *ſine ſanctitate nemo Deum videbit*. Et *manducatio carnis & ſanguinis Chriſti* neceſſariam habet relationem ad vitam conſequendam, quia, niſi manducemus carnem ejus, & bibamus ſanguinem ejus, *vitam* habere non poſſumus: & *ſenſatio præſentiæ Dei* neceſſarium habet reſpectum ad conveniendum in nomine ejus per præceptum divinum, quia pollicitus eſt, quòd, *ubi duo aut tres ſimul conveniunt in nomine ejus, ipſe erit in medio eorum*, & recipere *beneficia & benedictiones à Deo* neceſſariam relationem habet ad orationem, quia, ſi petamus, *pollicitus eſt nos recepturos*. Communio autem & participatio carnis &

ſanguinis Chriſti nullam talem neceſſariam relationem habet ad *fractionem panis & bibitionem vini.* Si enim haberet neceſſariam relationem, vel eſſet *è naturâ rei*, vel *per divinum quoddam præceptum*: Sed à neutro horum habet: Ergo. Primò, non *è natura rei*, quia participare de corpore & ſanguine eſt opus ſpirituale; & omnes fatentur, hanc communicationem realem eſſe per ſpiritum & animam, ſicut & anima, non corpus, eo nutritur: ſed panem edere & vinum bibere eſt actus naturalis, neque ex natura ſua quid in ſe ſpirituale habet, neque animæ quicquam addit, quia homo maximè carnalis adeò amplè & perfectè & integrè comedere panem & bibere vinum poteſt, ac maximè ſpiritualis. Porrò. Hæc relatio non eſt *ex natura rei*, alioquin ſe invicem inferrent: ſed fatentur omnes multos edere panem, & vinum illud bibere, imò illud, quod dicitur *tranſubſtantiari in ipſum Chriſti corpus*, qui tamen in ſe vitam ſpiritualem non habent, neque per illud vivunt, ut fit omnibus, qui realiter & verè participant de carne & ſanguine Chriſti. Et rurſus, Multi participes facti ſunt carnis & ſanguinis Jeſu Chriſti *ſine huius ceremoniæ uſu*, ſicuti fuere omnes Patriarchæ & Prophetæ ante hanc (ut volunt) inſtitutionem, neque quidpiam ſub lege erat, quod huic directam aliquam aut neceſſariam relationem habuit, licet de carne & ſanguine Chriſti participare omni ætate omninò neceſſarium fuerit. Quod enim ad *agnum paſchalem* attinet, ejus finis ſpecialiter ſignificatur, Exod. 13: 8, 9. *ut ſcilicet inde reminiſcerentur Iudæi redemptionem ſuam è terrâ Ægypti.* Secundò, Nullam habet *per divinum præceptum* relationem; ſi enim talem haberet, tunc certè mentio hujus facta fuiſſet iis locis, in quibus hanc inſtitutionem præcipi adverſarii contendunt, ſed ibi non eſt. Quod enim attinet ad illam inſtitutionem, vel potius enarrationem Chriſti actionis in hac re, ſcriptam eam habemus tribus Evangeliſtis, Matthæo, Marco & Lucâ. In duobus prioribus ſolùm datur rei factæ enarratio, videlicet, *quòd Chriſtus fregit panem, & diſcipulis dedit edendum, dicens, hoc eſt corpus meum; & calici benedicens dedit eis bibendum, dicens, hoc eſt ſanguis meus*; ſed ne vel *minimum* innuit *præceptum*, ut poſtea ſic agerent. In ultimo, poſt panis fractionem, ſed ante benedictionem ſeu diſtributionem vini, ait, *Hoc facite in memoriam mei*; quod de hâc Chriſti actione ſentiendum ſit, poſtea dicetur. Sed quam neceſſariam relationem habent hæc omnia ad fidelium participationem corporis & ſanguinis Chriſti? ipſe finis, in quem hoc agendum erat (quando agendum) reſpicit commemorationem mortis Chriſti, id quod adhuc magis particulariter exprimit Apoſtolus, 1 Cor. 11:26. *mortem Domini annunciare.*

Matth. 26:26. *Marc.* 14:22. *Luc.* 22 19.

Sed

Sed vel commemorare Dominum, vel Domini mortem annunciare, qui & ſpeciales & particulares uſus ſunt hujus ceremoniæ, non eſt participare de carne & ſanguine Chriſti, neque ullam magis neceſſariam relationem aut connexionem habent, quàm ulla alia duo differentia officia. Licet enim ii, qui participant *de carne & ſanguine Chriſti*, non poſſint, quin Chriſti *mortem* commemorent; poteſt tamen *mors Domini* commemorari (ut nemo negare poteſt) ubi non fit *participatio corporis & ſanguinis Chriſti*. Cùm igitur particularis & expreſſus hujus ceremoniæ finis attineri poſſit, ſcilicet commemoratio mortis Domini, ſine participatione corporis aut ſanguinis Chriſti, tunc certè nullam ad eam neceſſariam relationem habet talis ceremonia, alioquin participatio corporis ejus finis fuiſſet, & finis ejus abſque tali participatione obtineri non potuiſſet. Sed è contra hinc benè inferre poſſimus, quòd, cùm poſitivus ejus finis non ſit participare de carne & ſanguine Chriſti, qui tamen verè participant de carne & ſanguine Chriſti, non poſſunt, niſi eum commemorent; non indigebant ergo tales participantes hâc ceremoniâ, ut Chriſti mortem commemorent. Sed ſi *dicatur*, quòd vocet Chriſtus *panem* corpus ſuum, & *vinum* ſanguinem ſuum; ideoque videtur ſpecialem innuiſſe relationem ad diſcipulorum participationem corporis & ſanguinis ejus in hujus rei uſu. *Reſp.* licet appellaverit panem, corpus, & vinum, ſanguinem, tamen nihil tale infert: non negatur enim, quin Jeſus Chriſtus in omnibus, quæ fecerit, imò & ab uſu rerum omnium naturalium occaſionem ceperit diſcipulorum & auditorum animos attollere ad ſpiritualia. Hinc, quando mulier Samaritana aquam hauſit, anſam arripuit annunciandi ei de aquâ illâ vivâ, quam quicunque bibit, nunquam ſitiet, quod & idem eſt cum ſanguine, de quo res eſt. Non tamen indè ſequitur, puteum illum aut aquam neceſſariam ullam relationem habuiſſe ad aquam vivam, vel aquam illam vivam ad puteum illum, &c. Sic capit occaſionem Chriſtus, quia Judæi ſequebantur illum propter *panes*, annunciandi iis de *hoc ſpirituali pane*, *carne* nempè, & *corpore ſuo*, quo iis magis erat neceſſarium veſci. Non indè tamen ſequetur, eorum propter panes quæſitionem neceſſariam ullam huic relationem habuiſſe. Sic etiam Chriſtus occaſionem cepit *à pane & vino*, quæ ante eos erant, dum cænabant, ut ſignificaret iis, quod, ſicuti *panis*, quem fregit eis, & *vinum*, cui benedixit & dedit eis, conducebant ad ſervanda vel nutrienda corpora eorum, ſic etiam *corpus ſuum* citò daturus erat, & *ſanguinem ſuum* citò effuſurus erat, pro ſalute animarum ipſorum; ideoque *ipſe finis*, huic ceremoniæ aſſignatus, eſt *mortis Chriſti commemoratio*.

Figuram autem ſpiritualis hujus participationis corporis Chriſti ceremoniam illam fuiſſe, hoc remoto reſpectu, minime abnegabo, imò ipſâ theſi confeſſus ſum. Sed ſi *dicatur*, Apoſtolum 1 Cor. 10: 16. vocare *panem*, quem frangit, *communionem corporis Chriſti*, & *calicem communionem ſanguinis ejus*. *Reſpondeo*, imò & quàm libentiſſimè verbis ſubſcribo, ſed, quòd hoc intelligatur de externo pane, nego, neque evinci poteſt, ſed contrarium è contextu patet, nam ne verbum de hac ceremonia hoc capite loquitur Apoſtolus; nam, cùm initio admonuerit eos, quomodo olim Judæi participes fuiſſent *ſpiritualis cibi*, & *aquæ*, quæ erat *Chriſtus*, & quomodo ex iis plerique per *inobedientiam* & *idololatriam* à bono illo ſtatu prolapſi fuerint, hortatur Corinthios ab exemplo Judæorum, quos excidit Deus, ut ea mala fugerent, oſtendens iis, quòd & ipſi Corinthii participes facti ſunt *corporis* & *ſanguinis Chriſti*, quâ communione ſe privarent & ſpoliarent, ſi malum perpetrarent, *quia non potuerunt bibere calicem Domini*, & *calicem diabolorum*, & *participare menſæ Domini* & *menſæ diabolorum*, verſu 21. quod demonſtrat, de edendo *externo pane* & *vino* hoc loco ſermonem non eſſe; quia qui bibunt calicem diabolorum, & qui aſſident menſæ diabolorum, imo etiam hominum nequiſſimi participare poſſunt *de externo pane* & *vino*. Præterea vocat Apoſtolus *panem unum*, ver. 17. & ait, *quòd nos multi unus panis* & *unum corpus ſumus*, *qui omnes participes ſumus unius iſtius panis*. Si autem *panis* ſit *unus*, *externus* eſſe non poteſt, alioquin *internus* excluderetur, cùm negari nequeat, *interni panis* participatione & non *externi* ſanctos *unum corpus* fieri, & *unum panem*. Et quod dicent, *unum panem* hoc loco & *externum* & *internum* comprehendere, *virtute unionis Sacramentalis*; hoc quidem eſt affirmare, ſed non probare. Quod ad illud *figmentum unionis ſacramentalis attinet*, nil tale in tota Scriptura invenio, neque talis figmenti occaſionem ullo loco Scriptura, præſertim novi fœderis, præbet, neque omninò in hoc capite, ubi Apoſtolus, ut ſuprà obſervatum eſt, non loquitur *de illa ceremonia*, ſed ſolum, *ab excellentia illius privilegii*, quod habebant Corinthii, uti Chriſtiani fideles, *participandi de carne* & *ſanguine Chriſti*; dehortatur eos *ab idololatria* & *à participatione ſacrificiorum*, quæ *idolis* oblata fuerint, ne illinc offenderent vel læderent fratres ſuos imbecilles; ſed quod præſertim hâc in re clamitant & ſemper obſtrepunt, eſt 1 Cor. 11. quo loco Apoſtolus particulariter de hâc re agit, & ideo hic à quibusdam verbis maximam pro affirmatione ejus ceremoniæ veriſimilitudinem trahunt; quippè ver. 27. *calicem* vocat *calicem Domini*, & *quod*, *qui manducaverit*

panem

panem, & biberit calicem indigne, reus erit corporis & ſanguinis Chriſti: & ver. 29. *quod ſic manducans & bibens manducat & bibit judicium ſibi.* Hinc arguunt, ceremoniam hanc *immediatam* & *neceſſariam relationem* habere *corpori & ſanguini Chriſti.* Licet autem hoc primo aſpectu incautum lectorem capere poſſit, tamen, ſi debitè conſideretur, rem controverſam minimè evincit. Quòd autem Corinthii fuerint in uſu hujus ceremoniæ, quare ita fuerint, & quomodo, hoc minimè hodiè devincit Chriſtianos, ut poſtea dicetur: ſufficit primo nunc conſiderare, quòd in ejus uſu fuerint. Secundò, quòd in ejus uſu plerosque abuſus committebant. Tertiò, quòd Apoſtolus hoc loco præſcribit eis, quomodo eâ rectè uti poſſent. Hiſce præmiſſis, obſervetur, quòd expreſſus & ſpecialis ejus uſus, ſecundum Apoſtolum, ſit, *Domini mortem ſignificare*; ſed *Domini mortem ſignificare & participare de corpore & ſanguine Chriſti*, res admodùm differentes ſunt. Non ait, *quotiescunque manducabitis hunc panem, & calicem bibetis, participes fietis corporis & ſanguinis Chriſti*, ſed, *Domini mortem annunciabitis.* Fateor autem, *hanc ceremoniam* iis, qui eâ utuntur, *immediatam relationem* habere *ad externum corpus & mortem Chriſti*, cùm ſit ejus propria commemoratio, non tamen indè ſequitur, quòd *neceſſariam relationem* habeat *ad fidelium communicationem vel participationem ſpiritualis corporis & ſanguinis Chriſti, vel Spiritualis cœna*, notatæ Apoc. 3: 20. licet reſpectu generali, cùm omnis actus religioſus quodam modo reſpiciat hanc ſpiritualem communionem ſanctorum cum Deo, hunc actum communem cum aliis relationem habere non abnegabimus. Quod autem *vocat calicem, calicem Domini, & ait reos eos eſſe corporis & ſanguinis Chriſti, & comedere ſibi judicium, non dijudicantes corpus Domini. Reſpondeo.* Hoc non magis inferre neceſſariam relationem, quàm ſit quolibet alio actu religioſo; & hoc tantum evincere, quod, cum Corinthii eſſent in hujus ceremoniæ uſu, ideoque præſtarent eam, quaſi actum religioſum, debebant illam dignè præſtare, alioquin ſibi condemnationem adducerent. Hoc autem minimè inferret, hunc ex ſe fuiſſe actum religioſum aliis incumbentem, non magis quàm, cùm ad Rom. 14: 5. Apoſtolus ait, *qui diem obſervat, Domino obſervat*, hinc inferri poſſit, quòd, quia quidam judicabant aut obſervabant *diem*, neceſſariò oportebat alios etiam illum obſervare: ſed ut, qui æſtimabant & obſervabant *diem*, Domino obſervarunt, & illi, quatenus obſervant, cùm erat *dies Dominicus* vel *Domini*, dignè obſervare eum debebant, alioquin rei forent *diei Dominici*, & *ad ſuam ipſorum condemnationem* obſervarent eum: ſic etiam

qui

qui obſervant *hanc ceremoniam panis & vini*, eis quidem eſt *panis Domini*, & *calix Domini*, quia in actu religioſo iis utuntur, & quia ejus finis eſt *ad commemorandam & annunciandam mortem Domini & corpus ejus*, quod crucifixum eſt, & *ſanguinem ejus*, qui effuſus fuit pro iis. Si nihilominus, quia credunt officium ſuum eſſe ita agere, & conſcientiam in ita agendo ponunt, aut in non agendo peccare ſe putant, ſine debitâ illa præparatione & examinatione agunt, quâ omnis actus religioſus præſtari debet, tunc, dum commemorationem mortis Domini revera ejuſdem corpus & ſanguinem eſſe prætendunt, ſemetipſos *reos corporis & ſanguinis ejus* reddunt, cùm eodem ſint ſpiritu cum illis, qui illum crucifigebant, ejuſque ſanguinem effuderunt, licet ipſimet ſibi videantur cum gratiarum actione & gaudio illam commemorare. Sic *Scribæ & Phariſæi* olim dicebantur à Chriſto *rei eſſe ſanguinis Prophetarum*, licet *in memoriam Prophetarum* ſepulchra eorum adornarent. Et quòd nihil amplius hinc inferri poſſit, patet è ſententiâ ejuſdem Apoſtoli ad Rom. 14: 23. *qui autem dubitat, ſi manducaverit, damnatus eſt*; ibi enim loquitur de iis, qui illicitum judicabant carnem edere, qui, ſi dubitantes edant, ſibi *condemnationem* comedunt. Nihilominus tamen manifeſtum eſt, vel edere vel non edere carnem, aliis, qui non conſcientiam in illo poſuerant, nullius momenti fuiſſe. Sic dico, ſicut, qui manducat illud, quod in conſcientiâ ſuâ perſuaſus eſt ſibi non licere edere, edit ſibi *condemnationem*: ſic etiam ille, cui conſcientia eſt edere panem & vinum, *quaſi actum religioſum*, ſi non præparatus, ut decet, edat, neque debito eo reſpectu, quo actus religioſi peragi debent, edit & bibit ſibi *condemnationem*, non dijudicans *corpus Domini*, nec animadvertens, quòd illud, quod agit, *ſpeciali ad Dominum reſpectu* agit, & *ad particularem commemorationem mortis Chriſti*.

VI. Cùm jam hactenus oſtenderim, quid ſit vera communio corporis & ſanguinis Chriſti, quomodo participetur, & quomodo nullam neceſſariam aut immediatam relationem habeat cum illa ceremoniâ edendi panem & bibendi vinum, quâ uſus eſt Chriſtus cum Apoſtolis; expedit nunc conſiderare *naturam & conſtitutionem illius ceremoniæ* (quod enim *ad proprium ejus uſum* attinet, hactenus dictum eſt) num adhuc ſit *permanens inſtitutum* in eccleſiâ, omnibus incumbens; imò num quidem *neceſſaria aliqua pars cultus novi fœderis* ſit, aut num *melius magiſve obligans fundamentum* habeat, quàm aliæ ceremoniæ inſtitutæ, eodemque tempore peractæ, quas adverſariorum plerique fatentur ceſſâſſe, & Chriſtianis hodie minimè incumbere. De hac ceremoniâ Scriptura mentionem facit locis

quatuor

quatuor, nempè in tribus Evangelistis, & in Epistolâ Pauli ad Corinthios. Si quis à frequente mentione aliquid inferre putaret, hoc nihil addet, cùm enim sit res gesta, ideo eam declararunt Evangelistæ; & alia sunt minùs memorabilia, quæ non minùs frequenter scripta inveniuntur. Matthæus & Marcus solummodo *rei gestæ narrationem* præbent, *nullo addito præcepto ad ita agendum*, sed simpliciter declarant, *Iesum eo tempore tradidisse iis panem ad edendum, & vinum ad bibendum.* Lucas autem addit hæc verba, *hoc facite in memoriam mei.* Si hanc Christi cum Apostolis actionem consideremus, nihil in ea singulare apparebit, & multò minus, quod dat fundamentum tali & tàm prodigiosæ superstructuræ, quam multi in vanis suis imaginationibus super eam ædificare conati sunt; nam & Matthæus & Mar- Marcus eam exprimunt, quasi actionem à Christo factam inter edendum, *ut edebant* (ait Matthæus) & *manducantibus illis* (inquit Marcus) *accepit Iesus panem*, &c. Hic actus nihil singulare erat inter Judæos, ut *Paulus Riccius* fusè observat in *cœlesti* suâ *agricultura*; quia, quando *pascha* edebant, paterfamilias accepit panem ac benedixit, & frangens cœteris distribuit, & similiter accipiens vinum benedixit & distribuit; ita ut hìc nil magis pateat, quàm quòd Jesus Christus, *qui omnem justitiam implevit*, & præterea etiam Judaïca festa observavit, usus sit hac ceremoniâ ad discipulos solùm, &, ut in plerisque aliis, laboravit animos eorum ad sublimiora ducere; sic etiam in hujus rei usu ansam arripit memorandi eis de morte suâ & passionibus, quæ jam appropinquabant, quod iis sæpius inculcavit, quia aversi à credendo in illâ re fuerunt. Quod autem attinet ad illud Lucæ, *Hoc facite in mei commemorationem*, nil plus evincet, nisi quòd, cùm illa fuerit postrema opportunitas, quâ Christus cum discipulis manducavit, voluit eos, *inter edendum & bibendum*, illum respicere, ut, *commemoratione istius opportunitatis*, per passiones & mortem diligentiùs ad sequendum illum suscitarentur. Ecquis autem ratione præditus, depositò educationis præjudicio & traditionis influentiâ, dicet, hanc rei gestæ narrationem à Matthæo & Marco traditam, vel illud Lucæ, *Hoc facite in mei memoriam*, consequentias eas evincere, quas indè professores Christianitatis deducere postulârunt, vocantes eam ceremoniam, *augustissimum eucharistiæ Sacramentum, venerabile altaris Sacramentum, præcipuum gratiæ fœderis signum, quo omnia beneficia Christi mortis fidelibus obsignantur*, idque genus alia. Sed ad fusiorem evidentiam præbendam, quod ex consequentiæ nullum fundamentum habent ab illius ceremoniæ usu, neque à verbis sequentibus, *Hoc facite*, &c. consideremus aliam ejusdem naturæ ceremoniam,

Matth. 26:26. *Marc.* 14:22. *Luc.* 22 14. 1*Cor.* 11: 23.

sicut fusè eam enarrat Johannes, cap. 13. ver. 3, 4. 8. 13, 14, 15. *Iesus à cœna surgit & ponit vestimenta sua, & cùm accepisset linteum, præcinxit se: deinde mittit aquam in pelvim & cæpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo præcinctus erat. Dicit illi Petrus, non lavabis mihi pedes in æternum; respondit ei Iesus, si non lavero te, non habebis partem mecum; — postquam ergo lavit pedes eorum — dixit eis, scitis quid fecerim vobis, — si ergo ego lavi pedes vestros Dominus & magister; & vos debetis alter alterius lavare pedes, exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Quod ad hæc omnia, observetur, Johannem enarrare, *hoc factum fuisse eodem tempore, quo fuit fractio panis.* Ambo enim peractæ sunt nocte, quâ pascha comedit. Si autem respiciamus hujus enarrationem, & comitantes eam circumstantias, multò majore solennitate peracta, & multò magis particulariter & præcisè præscripta fuit. In priore solummodò dicitur, *quòd, inter edendum, panem acceperit,* ita ut videatur solùm *quid accidentale* fuisse. Sed hìc *resurrexit, posuit vestimenta sua, præcinxit se, aquam in pelvim immisit, lavit pedes eorum, & extersit linteo. Hoc omnibus fecit,* quæ revera sunt circumstantiæ longè observabiliores, quàm quæ in priore notantur. *Prior erat mos inter Iudæos communis, quo utebantur, tali occasione, omnes patresfamilias:* sed *hæc, quoad modum, & personam agentem,* sciz *Magistrum surgere, & discipulorum & ministrorum pedes lavare, magis observabilis & singularis erat. In frangendo panem & præbendo vinum, nec contendunt adversarii, nec innuit textus unicuique eorum dedisse, sed tantummodo proximis, & sic illi alius alii.* Sed *hic non unius aut alterius, sed plurimorum pedes lavit. In priori non ait, nisi illum panem manducent & vinum illud bibant, perniciosum illis fore:* sed *hic disertè ait Petro, quòd, si non lavet illum, non habebit partem cum illo; quod, cùm dictum sit Petro recusanti & nolenti illum pedes lavare, videtur non solùm hujus ceremoniæ continuationem, sed & necessitatem inferre. In priori solummodò quasi transeunter dicit, hoc facite in commemorationem mei:* sed *hoc loco monet eos observare, quid fecerit illis, disertè dicit, quòd, sicut ipse iis fecit, ita debent illi sibi invicem facere; & adhuc ingeminat illud mandatum, dicendo, quod exemplum dedit eis, ut, quemadmodum ipse fecerat, ita & illi facerent.* Si rei naturam respiciamus non minus habet ponderis, quàm vel baptisma aquæ, vel fractio panis; *est enim elementum externum purificantis naturæ exteriori homini applicatum præcepto & exemplo Christi, ad significandam internam purificationem.* Velim libenter & seriò proponere viris, qui ratione suâ uti volunt,

&

& intelligentiâ illâ, quam dedit eis Deus, & qui nolunt imponi, neque aliorum traditione & ineptiis hallucinari, *num hæc ceremonia, si vel respiciamus tempus, quo institutum est, vel circumstantias, quibus peracta est, vel præceptum, quo jubetur peragi, non habeat tantum, ut recommendetur quasi perpetuum & permanens statutum Evangelii, quàm vel aqua baptismus, vel fractio panis, vel quid aliud id genus?* ita ut mirum mihi sit, quare eam Pontificii non posuerint inter numerosa sua *Sacramenta*, nisi propter meram voluntatem Ecclesiæ, & traditionem Patrum. Sed si *dicant*, quòd utantur hac ceremoniâ, quia *Papa* & quidam alii hoc agunt semel quotannis. *Respondeo*: Scire aveo, cur hæc non ad omnes extendatur, æquè ac eucharistia (ita dicta) vel unde aliquid pateat à textu, quod hæc verba, *Hoc facite in memoriam mei*, intelligenda sint, quòd panis & vinum quotidiè debeat sumi ab omnibus sacerdotibus, vel panis quotidiè, vel quavis septimanâ à toto populo: & quòd alterum illud Christi mandatum, *debetis & vos hoc facere, sicut & ego vobis feci*, solùm intelligendum sit de Papâ, vel quibusdam aliis, idque solùm semel in anno peragendum? certè hujus differentiæ nullam rationem textus præbet. Et quod attinet ad Protestantes, qui hic ceremonia non utuntur, si oculos solummodo aperire volunt, videre possint, quomodo sibimet more & traditione hac in re imponunt, sicut & patres eorum in variis aliis traditionibus Pontificiis. Si enim planam Scripturam inspiciamus, quid inferri potest ad urgendum unum magis quàm alterum, vel ad deponendum unum, quod non eodem modo alterius continuationi repugnet? *Si dicant, priorem illam de pedum lotione ceremoniam tantùm fuisse: quid, quæso, habent, unde ostendant hanc fractionem panis magis esse? Si dicant priorem solummodo fuisse signum humilitatis & purificationis: quid, quæso, habent, unde probent hanc magis esse? Si dixerint priorem solummodo ad tempus fuisse, non autem institutionem Evangelicam esse: quid, quæso, hæc habet, quo magis talis habeatur, quo illa caret?* Revera hoc evitare impossibile est, neque quidpiam adduci potest, quare illa cesset, hæc remaneat, vel hæc duret, & illa cesset; nisi mera affirmatorum opinio, quæ mera educatione & traditione in populorum animis majorem pro hac reverentiam & venerationem obtinuit, quam pro illâ, quæ, si tantoperè nobis traditione recommendata fuisset, procul dubio, non minùs tenaciter vindicata fuisset; cùm non minus in Scripturâ fundamenti habeat. Quum igitur prior, lotio *scil.* pedum, jure merito deposita sit, neque Christianis incumbere judicetur, ita etiam hæc panis fractio eâdem causâ deponi debet.

VII. Sed mirum mihi videtur, quòd ii, qui pro hac ceremoniâ adeò clamitant, eique adeò adhærent, sibi assumant libertatem à methodo illâ, secundum quam eâ usus est Christus, tàm facilè discedendi; cùm nulli, quod unquam audivi, qui eam nunc peragunt, eodem modo, quo Christus, illâ utuntur; fecit enim hoc Christus inter cœnandum, dum edebant, sed illi hoc per se peragunt, & frequentiùs ante prandium; quam, quæso, regulam in tali mutatione sequuntur? Si *dicant*, has solummodo circumstantias esse, non autem rem ipsam, & si ipsa res teneatur, parvam esse circumstantiarum alterationem. *Respondeo.* Quid si dixerimus, totum hoc fuisse solummodo circumstantiam accidentalem, quando Christus pascha edebat. Si enim respiciamus illud, undè solùm contendi potest esse institutionem, *viz* hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, hoc non minùs propriè ad modum, quàm ad materiam refertur; quomodo enim evincent, hæc verba, *hoc facite*, significare solùm, *edite panem, & bibite vinum*; sed non interesse, *quomodo edatis, nec quando edatis*, & non, *sicuti vidistis me, inter cœnandum vobiscum, sumere panem & frangere & dare vobis, & accipere calicem & benedicere & distribuere vobis, ita etiam vos facietis*? Et cùm nullam in his verbis, *hoc facite*, Christus distinctionem faciat, non datur ratio, quare ad integrum non referatur. Quod si ita sit, omnes inter Christianos, qui hac ceremoniâ utuntur, huic præcepto nondum obtemperarunt, neque institutionem hanc implevere, utcunque de eâ clamitent. Si *dicatur*, tempus & modum peragendi à Christo *accidentalem* tantùm fuisse, cùm fuerit post pascha Judaïcum, quod vespere ad cœnam erat. *Respondeo.* An non (præterquam quod non minùs facilè probari potest, *totum fuisse accidentale*, cùm fuerit solummodo *Judaicæ ceremoniæ peractio*, ut hactenus observatum est) eodem modo urgeri potest, quod *vini potus accidentalis* fuerit, cùm naturalis nationis illius productus fuerit, ideoque contendi, quòd, ubi non nascuntur vineæ, sicut in nostra *Scotiæ* natione, *cervisiâ* & *zytho* uti possemus in hujus ceremoniæ usu, vel *pane ex alio grano quàm tritico*, quo usus est Christus? Sed an non judicarent hoc adversarii, quasi abusum & non justum hujus *Sacramenti* (ut vocant) usum? Imò, nonne hujus generis scrupulositas magnæ contentionis inter Professores Christianitatis occasionem præbuit? Quantæ contentiones & altercationes *inter ecclesiam Græcam & Latinam* fuere de *pane*, dum altera *azymum* vult habere, judicans, quia Judæi panibus azymis in paschate utebantur, talem panem fregisse Christum discipulis, altera verò *fermentato* utitur; ideoque *Lutherani* adhuc azymo

utun-

utuntur, *Calviniſtæ* autem *fermentato*: & adeò aſpera fuit de hac re contentio, cùm inciperet reformatio *Genevæ*, ut eâ de cauſâ oporteret *Calvinum* & *Farrellum* aufugere. An non hoc modo Proteſtantes Pontificiis portam aperiunt, quâ populus *à calice* excludatur? An non hæc verba, *hoc facite*, æquè diſertè inferunt, quòd iſta actio *& eodem modo*, *& eodem tempore*, quo ille eam egit, peragenda ſit, quàm quod etiam *calice*, & *non ſolo pane* uti debent? Aut quam rationem adducunt diſpenſandi cum hoc magis, quàm Pontificii cum illo? O quanta abſurda & incommoda ſibi ſuperinduxerunt Chriſtiani, dum ſuperſtitioſè hujus ceremoniæ uſui adhæreant, ex quibus difficultatibus impoſſibile eſt ſe extricent, niſi deponendo eam, quemadmodum alias ejusdem naturæ depoſuerunt! Præter id, quod ſuprà dictum eſt, libenter velim cognoſcere, quomodo certè reſolvantur hæc verba [*hoc facite*] intelligi ſcilicet ad cleros, *accipite*, *benedicite*, *frangite hunc panem*, *& aliis diſtribuite*, ſed ad Laïcos ſolum, *accipite & manducate*, non autem *benedicite*, &c. Si *dicetur*, clericos ibi ſolummodo præſentes fuiſſe. *Reſpondeo*. Nonne illinc intrabit papale argumentum *contra adminiſtrationem calicis populo*? Vel annon poſſit alius indè concludere, oportere *cleros ſolum hac ceremonia uti*, quia tales ſolummodo præſentes erant, quibus dicebatur, *hoc facite*? ſed ſi illud, *hoc facite*, dicatur *omnibus*, undè fit, quòd *omnibus non licet obtemperare ei & benedicendo & frangendo & diſtribuendo & manducando*? Sed præter hæc omnia, etiam *Proteſtantes Calviniſtici magnæ Brittanniæ* nunquam adhuc inter ſe concordare potuerunt *de modo accipiendi*, num *geniculando*, *ſtando* vel *ſedendo*; num *ægrotis & moribundis* dari debeat: &, licet hæc videatur parvi momenti contentio, talis tamen eſt, quæ cum cæteris, non ſolùm *magnæ contentionis*, ſed & *ſanguinis effuſionis & vaſtationis* occaſionem dedit, ita ut hoc reſpectu *Calviniani Prælatici Presbyterianos ſchismaticos* & *pertinaces* appellaverint; ii autem *Prælaticos ſuperſtitioſos*, *idololatras* & *Papiſticos*. Qui vult oculos ſuos aperire, non poteſt, quin videat, quòd *diabolus* totam hanc contentionem & Zelum ſuſcitaverit, ut *rebus parvi ponderis* occuparet eos, quo *magis ponderoſa* negligantur, dum eos, pro his contendentes, impeditos teneat, licet *alia ejusdem naturæ* depoſuerint, quæ *non minùs diſertè præcepta*, *neque minùs præciſè peracta* fuerunt, & à quorum obſervatione *tot difficultates* minimè ſequerentur.

VIII. Quid igitur, nonne nobis cauſa eſt, cùm naturam hujus actionis non magis obligatoriam ſentiamus, quam eorum, quæ depoſuerunt adverſarii, ut totam iſtam confuſionem vitemus, cùm, qui eâ utuntur, nec

de *natura* ejus, nec de *efficacia*, nec de *modo peragendi* concordare inter se possint. Et hoc indè fit, quòd rem, ut planè se habet in Scripturis, non accipiant, sed tantoperè suas illi immiscuerunt inventiones. Si enim, sicut in Scripturâ est, respicerent, nihil aliud inferret, quàm quòd *Jesus Christus eo tempore illic significabat discipulis, se corpus & sanguinem suum pro iis oblaturum esse*, & voluit, ut, *quandocunque biberent vel ederent, in sui memoriam facerent, vel cum respectu ad illum, cujus sanguis pro iis effusus fuit.* Quòd autem primitivi Christiani, ilicò post ascensionem Christi congregati, ita intellexerint, apparet ab eorum usu & praxi, si admittamus ea actorum Apostolorum loca, quibus *fractionis panis* fit mentio, ad hanc relationem habere, quod & volunt & contendunt adversarii. Primò, Act. 2: 42. *erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, in communicatione & in fractione panis.* Hoc de alio, quàm de *communi eorum esu*, intelligi non potest; ut enim nihil aliud patet à textu, sic contextus planum facit; tunc temporis enim omnia communia habebant, ideoque dicitur, ver. 46. *quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis.* Qui volenter non occludunt oculos suos, videre possint hoc loco, quòd, cum *fractio panis* jungatur cum *esu cibi*, apparet, nihil amplius hoc loco exprimi, nisi quòd, cùm omnia in communi habebant, & sic simul permanentes, etiam *fregerunt panem & sumpserunt panem simul convenientes.* Inter quod agendum non dubito, quin commemoraverint Dominum, ad quem sequendum tanto zelo & resignatione se applicavere. Hoc adhuc magis patet ab Act. 6. Cùm enim Apostoli habuerint curam & distributionem earum pecuniarum, quas, venditis fundis, dederant iis credentes, & sentirent se illo onere opprimi, diaconos instituerunt super hoc negotium, ut ipsimet continenter orationi & ministerio verbi instantes forent, & non, illud derelinquentes, mensis ministrarent. Hæ autem *mensæ* intelligi non possunt *de Sacramentali aliquo esu, vel actu cultus purè religioso*; cùm adversarii faciant *hujus panis distributionem actum ministrorum, non autem diaconorum*; & tamen nulla apparet ratio, qua dicetur *fractionem illam panis*, in qua dicuntur perstitisse, & circa domos fuisse, aliam fuisse, quàm *eas mensas*, quibus ministrabant Apostoli; sed hic occasione deseruerunt, iis se nimis premi sentientes: sicut autem discipulorum incrementum *hoc opus* Apostolis incommodum reddebat, sic videtur majus incrementum & dissipatio per diversa loca impediviſſe etiam *continuationem illius usus habendi omnia in communi.* Sed ni-

inhilominus, ut quodam modo commemorarent *veterem illam communitatem*, certis temporibus simul convenichant & *panem* frangebant. Hinc dicitur, Act. 20: 7. *adveniente Troada Apostolo, quod una sabbati, cùm convenissent discipuli ad frangendum panem, prædicavit iis Paulus, profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem.* Hic nulla fit mentio de *esu sacramentali*, sed solum, quòd, quia simul convenerint, indè ceperit Paulus occasionem, ut iis prædicaret. Videtur autem *ad cœnam* conventionem fuisse, *non ad modicum matutini panis & vini*, alioquin minime probabile est, Paulum à matutino ad mediam noctem usque protraxisse sermonem. Sed versus undecimus rem extra controversiam ponit, qui ita se habet, *ascendens autem, frangensque panem, ac edens, & satis alloquutus usque in lucem, profectus est.* Hoc ostendit *fractionem panis* usque ad tempus illud dilatam fuisse: hæc enim verba, *& frangens panem, edensque*, ostendunt, illis exprimi *fractionem panis* antè nominatam, eoque tempore factam esse. Secundò, illa verba simul conjuncta, *frangensque panem ac edens, & diu loquutus*, demonstrant, *nullum religiosi cultus actum fuisse*, sed quod revera *edebant ad corporis sustentationem*, ad quod faciendum aliquando tunc temporis conveniebant Christiani; &, cùm illud fecerint in timore Dei, differebant à profanis ethnicorum festis, & hoc quidem vocant *festum amoris*, quippè congregatio fiebat non solum ad ventrem satiandum, vel in finem externum, sed etiam, ut indè acciperent occasionem simul comedendi & bibendi in timore Dei & præsentiâ ejus, cùm sint populus ejus; quem morem non condemnabimus; hujus nec alia, nec major mentio facta est. Sed, si *ceremonia illa* fuisset *solenne quoddam sacrificium*, ut quidam esse volunt, vel *speciale & præcipuum Sacramentum*, ut aliis placet, mirum videtur, illam historiam, quâ adeò particularis enarratio rerum Christianarum traditur, in hâc re tàm altè silusse. Solummodo invenimus, quod aliquando conveniebant *ad frangendum panem, & comedendum.* Sicut autem Christiani cœperunt gradatim recedere *à primitivâ puritate & simplicitate*, & accumulare *superstitiosas traditiones*, & *majorum innocentes actiones* vitiare, in illis immiscendo *Iudaicos & ethnicos ritus*, ita etiam in *hujus ceremoniæ usu* cœperunt citò abusus irrepere inter Christianos, ita ut necesse fuerit Paulo Apostolo de istis monere eos, & redarguere, ut fusè agit ad 1 Cor. 11. à versu 17. ad finem usque, quem locum particulariter examinabo, quia huic adversariorum probationis vis innititur, & videbimus num plus, quàm quod jam concessum est, inferat. Primò, quia apti erant hanc ceremoniam

moniam animo superstitioso ultra verum usum extendere, dicit iis, ver. 20. quod, cùm *conveniebant in unum*, *hoc non erat manducare cœnam Domini*, non ait, quòd *hoc non erat* rectè *manducare cœnam Domini*, sed quòd *hoc* non erat manducare *cœnam Domini*: quippe *cœna Domini spiritualis* est, & *mysterium*. Secundò, redarguit eos, quòd non in melius, sed in deterius conveniebant, cujus hanc dat rationem, versu 21. *unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum, & alius quidem esurit, alius quidem ebrius est*. Hìc patet condemnare eos Apostolum, quia, cùm solerent Christiani aliquando simul cœnare *ad amoris incrementum*, & *ad commemorationem cœnæ Christi cum discipulis*, illi hoc adeò vitiaverant, ut unusquisque per se priùs manducaverit, & sic ebrii, qui abundabant, & esurientes, qui inopes erant, simul conveniebant. Quibus abusibus hujus actionis usus perditus & perversus erat, ideoque redarguit eos, quòd vel non simul domi comedant, vel edere differant, donec omnes simul conveniant ad publicam conventionem vel ecclesiam: hoc patet, ver. 22. *nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut ecclesiam Dei contemnitis, & pudefacitis eos, qui non habent?* Ubi condemnat eos *propter irregularem eorum hujus ceremoniæ præstationem*, quia *ordinatè non edebant, vel edere non desinebant, usque dum ad publicam conventionem simul convenissent, sicque eos pudefacientes, qui, non habentes domos, neque abundantiam, ad communem mensam accedebant*, quos *esurientes* pudebat, cùm viderent *alios saturos & ebrios*, eò advenire. Qui absque præjudicio hunc locum legent, videbunt fuisse hunc statum Corinthiorum; si enim illâ usi fuissent tunc temporis Christiani, sicut hodiè vel Pontificii, vel Lutherani, vel Calviniani, vix bonum sensum Apostoli verborum facere quis possit, vel revera concipere, quis fuerit ille abusus, quem in hac re committebant Corinthii. Suprà notatis hoc modo ab Apostolo dictis, quia *hic mos simul comedendi & bibendi traxerat originem suam ab actu illo Christi cum discipulis eâ nocte, quâ traditus est*, ideo pergit Apostolus declarare iis enarrationem rei gestæ. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quòd Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem*, &c. Qui differentiam intelligunt inter rei alicujus *enarrationem* & *præceptum*, non possunt, quin videant, si velint, *nullum* hoc loco *præceptum* esse, sed tantummodo *rei gestæ enarrationem*; non ait, *recepi à Domino, quòd sicut accepit ille panem, sic etiam præceperim vobis, ut ita etiam faciatis*, nihil tale in illo loco reperitur; imò è contrà, cùm repetat Christi *verba imperativa*, ita ea ponit, ut *nullum præceptum* innuant, ver. 25. *hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam com-*

commemorationem, non repetit ea, quasi *imperativa*, sed solummodo *conditionaliter*; *quotiescunque libetis*, est solùm *conditionalis*, *non imperativus loquendi modus*; ideoque eâdem conditione addit versu sequente, *quotiescunque enim manducatis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Sed hoc [*quotiescunque*] non magis innuit *præceptum*, quàm dicere, *quotiescunque Romam ibis, videbis Capitolium*, innuit *præceptum*, ut eò abeas. Quod autem postrema verba *urgeant*, hinc arguentes *continuationem hujus ceremoniæ* esse, usque *ad Christi adventum in consummatione seculi. Resp.* Hìc duas præcipuas controversiæ partes petunt absque probatione. Primò, quod [*quotiescunque*] innuat *præceptum*. Secundò, quòd *hic adventus* intelligatur de *externo & extremo Christi adventu, & non de interno ejus & spirituali ad suos adventu*: hæc adversariis probanda restant, cùm Apostolus benè *de interno ejus adventu* loqui potuerit, quem fortasse quidam ex iis carnalibus Corinthiis, qui *ebrii* solebant convenire, adhuc non attinuerant; &, cùm alii inter eos *imbecilles* essent, & *externis ceremoniis* adhærere inclinarent, pro tempore Apostolus, & etiam ii, qui cognoscebant Christi spiritualem adventum, illis indulgebant (sicut & in aliis, de quibus postea dicetur) sed præsertim Paulus, qui imbecillibus imbecillis factus est, & omnia omnibus, *&c.* Permitti autem potuit hujus ceremoniæ usus imbecillibus illis & carnalibus Corinthiis *ad commemorandam Christi mortem, donec in illis exurgeret*; licet enim talibus opus sit *externis*, ut Christi mortem commemorent; qui autem cum Christo mortui sunt, & non modò mortui, sed sepulti, quique etiam cum illo resurrexerunt, non opus habent *istis signis*, ut commemorent eum, ideoque ad tales ait Apostolus, Coloss. 3: 1. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est in dextera Patris sedens*: sed panis & vinum non sunt ea, quæ sursum sunt, sed quæ deorsum sunt, quippe terrena. Sed quòd integra hæc transactio fuerit mera Apostoli indulgentia imbecillibus & carnalibus Corinthiis, adhuc fusiùs patet in versione Syriacâ, quæ, ver. 17. dum ad hanc materiam pervenit, sic habet, *Hoc autem quod præcepturus sum, non dico tanquam laudans vos, quia non progressi estis, sed ad id, quod minus est, descendistis.* Quo abundè patet, tristem fuisse Apostolum, quòd talis fuerit eorum conditio, ut necesse habuerit instruere eos *de externis illis*, quibus adhærendo demonstrabant, quòd non progressi essent *in vitam Christianitatis*, sed potius descendissent *in elementa.* Ideoque, ver. 20. eadem versio Syriaca sic habet, *quum igitur congregamini, non, sicut justum est in die Domini nostri, comeditis & bibitis.* Indè is demonstrans, quòd

Quod etiam sic se habeat in cæteris versionibus orientalibus, Arabicâ siz. & Æthiopicâ.

quòd convenire ad comedendum & bibendum *externum panem & vinum*, minimè erat dici illius Domini labor aut opus; ſed, cùm adverſarii adeò pro *hac ceremoniâ* contendunt ab uſu eccleſiæ Corinthiacæ (licet quàm puerilitèr hactenus oſtenſum ſit) quomodo alia præcepta, longè magis poſitiva, tranſeunt, quaſi nullius momenti eſſent? ut primò, Act. 15:29. ubi Apoſtoli diſertè præcipiunt imò gentilibus, ſicut id, quod & Spiritûs ſancti ſenſus fuit, *ut abſtinerent à ſtrangulatis, & à ſanguine.* Et Jacob 5. 14. ubi diſertè etiam jubetur, *ut ægrotantes oleo ungerentur in nomine Domini.* Si *dixerint*, hæc ſolùm temporanea fuiſſe, & non perpetuò continuanda. *Reſpondeo*, quid amplius habent, quod pro continuatione illius oſtendant, pro quo contendunt? Nam hæc non expreſſè revocantur. Si *dicant*, revocationem inſinuari, ubi Apoſtolus ait, *quod in cibis & potibus judicari non debeamus*; hanc *reſponſionem* admitto; ſed quomodo evitatur, quod eodem modo non militet contra aliam illam ceremoniam? Certè nullo modo; neque, *præter morem & traditionem*, quid pro illâ magis quàm pro his urgeri poteſt. Quod ad illud Jacobi, dicunt *miraculum* ſequutum eſſe, ſciz, *ægrotorum ſanitatem.* Sed cùm hoc ceſſet, ſic quoque debet illa ceremonia ceſſare. Licet ad hoc multifariàm reſponderi poſſit, *ſciz*, quod *hoc modo etiam oratio differenda erat*, cui etiam hîc ſalus ægroti aſcribitur, reſponſionem tamen accipiam, quia revera credo ceſſaſſe *illam ceremoniam*; ſolùm videtur, quod adverſarii, cùm ſentiant ceſſare debere ceremoniam *ceſſante virtute ejus*, eâdem regulâ abſtinere debeant *ab impoſitione manuum*, quâ ad imitationem Apoſtolorum utuntur, cùm *dona ſancti Spiritûs* non indè ſequantur.

IX. Cùm igitur inveniamus, ſecundum pleraque Scripturæ teſtimonia, *tales ritus externos non eſſe partem ullam neceſſariam novi fœderis diſpenſationis, idcoque continuari non neceſſarios*, licet pro tempore quidam olim iis uſi fuerint, ex iis teſtimoniis quædam adducam, & indè, *è natura rei* non minùs, quàm *ex illis teſtimoniis*, patebit, *ceremoniam hanc panis & vini ceſſaſſe*, ſicut alia illa, quæ fatentur adverſarii non neceſſariò permanere. Primum eſt, Rom. 14:17. *Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia & pax & gaudium in Spiritu ſancto.* Hoc loco abundè declarat Apoſtolus, *regnum Dei*, ſeu Evangelium Chriſti, non *in cibis & potibus* & id genus aliis conſiſtere, ſed *in juſtitia*, ut ex contextu patet, ubi loquitur *de periculo & reatu eorum*, qui ſe invicem condemnant *propter eſcam aut potum.* Si autem regnum Dei in talibus non conſiſtat, neque Evangelium, nec opus Chriſti in iis ſtet, tunc edere panem & bibere vinum non poteſt neceſ-

necessaria illa esse cultûs Evangelici pars, neque perpetuum ejus statutum. Aliud adhuc luculentius est ejusdem Apostoli ad Col. 2; per integrum hoc caput *pro sententia nostra* disertè contendit Apostolus contra adversariorum nostrorum *formalitatem & superstitionem*, nam in principio exponit magna privilegia, quæ Christiani habent per Christum, qui revera *ad vitam Christianitatis* advenere, ideoque hortatur eos, versu 6. *ut sicuti acceperunt Christum Dominum, ita ambularent in illo, cavetes, ne deciperentur per philosophiam & inanem fallaciam secundum traditionem hominum & elementa mundi, quia in Christo, quem acceperunt, omnis plenitudo inhabitat. Et quod circumcisi sint circumcisione non manu facta, quam Christi circumcisionem vocat, & consepulti sint Christo in baptismo, in quo resurrexerant per fidem operationis Dei.* Hic etiam participabant *de vero Christi baptismo*, &, cùm tales sint, qui cum eo resurrexerunt, videamus, num necesse existimet, ut utantur *cibo aut potu, pane aut vino, ad commemorandam Christi mortem*, vel num condemnari debeant, si non utantur, ver. 16. *Nemo ergo vos judicet in cibo aut in potu.* Sed quare? *quæ sunt umbra futurorum, corpus autem est ex Christo.* Cùm igitur fateantur adversarii *panem & vinum* eorum *umbram* aut *figuram* esse, igitur secundum Apostoli doctrinam condemnari non debemus propter ejus non observationem. Sed expeditne iis, qui mortui sunt cum Christo, subjici talibus institutis? Vide quid ait ver. 20 *Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc, tanquam viventes in mundo, dogmatizamini? Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis, quæ omnia utendo pereunt secundum præcepta & doctrinas hominum.* Si hoc non valeat ad absolutam necessitatem *panis & vini* removendam, quid tollet eam? certus sum, rationem hoc loco datam iis applicabilem esse, quòd utendo pereant, cùm hoc modo pereant panis & vinum, non secùs quàm ulla alia. Sed deinde, si *aqua, panis & vinum* ea erant, in quibus *signa novi fœderis* consisterent, & ad præcipua Evangelii *Sacramenta* (ut appellant) & statuta Evangelica pertinerent, tunc Evangelium à Lege non differret, nec ei præferendum esset, cùm Apostolus hanc differentiam sistat, Heb. 9: 10. in eo, quod tales Judæorum observationes erant figuræ Evangelii, *quæ solùm stabant in cibis & potibus, & variis baptismatibus.* Si autem in iisdem stet Evangelii ministerium & cultus, ubi est differentia? Si *dicetur* his sub Evangelio *spiritualem* habere *significationem. Respondeo.* sic habebant & illæ, quæ sub Lege erant, & Deus earum erat author, non secus ac Christus dicitur harum. Sed nonne hæc pertinax contentio *pro usu aquæ, panis & vini*, quasi esset

pars cultûs Evangelici, ipsius *Evangelii naturam* destruit, quasi esset *dispensatio umbrarum* & non *substantiæ*, cùm Apostolus in illo ad Colossenses suprà citato, argumentetur contra talium usum, quasi necessarium iis, qui mortui & cum Christo resurrexerunt, quia solùm *umbræ* erant; &, per totam hanc ad Hebræos epistolam, disputat cum Judæis, ut à cultu eorum eos abducat, qui erat *figurativus* & *typicus*. An fuisset igitur sanæ rationi consentaneum, eos *ad alium ejusdem naturæ cultum* adducere? Quam rationem aut quem Scripturæ locum proferre possunt adversarii, ut evincant, *unam umbram vel figuram ad aliam umbram aut figuram* dirigere, & non *ad substantiam*? & tamen *circumcisionis figuram* aquæ baptismum significare volunt, & *agnum paschalem* panem & vinum figurare. Sed num unquam auditum est in Scripturâ, quòd *una figura* sit *alterius figuræ antitypus*, cùm præsertim Protestantes non ampliorem efficaciam *istis antitypis*, quàm *nudis typis* assignent? Cùm igitur dicant, idque verè, *ea Sacramenta non conferre gratiam*, sed quod *illa* conferatur *secundum fidem recipientis*, non negabitur, quin fideles inter Judæos *gratiam* recipiebant *in usu figurativi eorum cultûs*. Et licet glorientur Pontificii *Sacramenta sua gratiam conferre ex opere operato*, experientia tamen contrarium abundè manifestat.

X. Sed esto, quòd *usus aquæ baptismi, panis & vini* fuerit *in primitiva ecclesia*, sicut etiam fuit *abstinentia à strangulatis, & sanguine, & legalium purificationum usus*, Act. 21:23, 24, 26. & *unctio ægrotorum oleo*, ob rationes & causas suprà dictas. Restat adversariis ostendere, quomodo adepti sunt *authoritatem*, ut *ea administrent*; à Scripturæ literâ esse non potest, alioquin oportebat eos illis etiam uti, quibus, sicut litera declarat, antiqui usi sunt, & quæ in literâ non minus fundamentum habent. *Potestas* ergo *ab Apostolis* derivanda est, idque vel *mediatè*, vel *immediatè*; sed hactenus thesi decimâ demonstratum est, *mediatam authoritatem* eos non habere propter interruptionem in apostasiâ factam. *Immediatam authoritatem* aut mandatum habere non possunt per Spiritum Dei, ut ea administrent, quum *tales immediatas revelationes* adversarii negent. Scio quidem, quòd hîc, sicut in quibusdam aliis, multùm obstrepunt *de constante consensu ecclesiæ & Christianorum* omni ætate; sed, sicuti *traditio* non sufficit *ad fidem constituendam*, ita, in hac re præsertim, parvi momenti esse debet, quia, *quoad ceremonias & superstitiosas ceremoniarum observationes*, apostasia cœpit citò inficere *ecclesiam*, ut ex epistolis Pauli ad Galatas & Colossenses patet; neque expedit nobis eos *in istis* imitari,

quorum

quorum introitum tantoperè doluit, redarguit & reſtitit Apoſtolus. Sed ſi *antiquitatem* reſpexerimus, videbimus *in talibus obſervationibus & traditionibus admodum incertos & mutabiles eorum ſeculorum homines fuiſſe*, ita ut nec *Pontificii* nec *Proteſtantes* ita *hodiè*, ut *olim* illi, *hanc ceremoniam cœnæ* obſervent; *parvulis* enim & *infantibus eam* adminiſtrabant, & quatenus apprehendere poſſum, *bujus uſus & infantum baptiſmus* coætanei ſunt, licet *altera*, viz. cœna parvulorum, & à Pontificiis & à Proteſtantibus abjecta, alter verò, baptiſmus *ſciz.* infantum, ab utriſque tenaciter *retentus* ſit: & eo minus expedit *antiquitati* cedere, quia, ſi *eorum religionis profeſſionem* conſiderabimus, præſertim *quoad cultum & partem ceremonialem*, *nullam hodie* inveniemus *eccleſiam*, nec Pontificiam nec Proteſtantem, quæ non ab iis *in pleriſque* differat, ut *Daleus* in ſuo, de uſu patrum, volumine benè obſervat & demonſtrat. Cur autem hoc nobis obtrudant *propter antiquorum praxin*, quos ipſi non ſequuntur, vel quare hoc non rejicere poſſimus, ſicut & illi alia, *ab antiquitate non minùs religioſe obſervata*, nulla ſufficiens ratio aſſignari poteſt. Non tamen dubito, quin plerique, *quorum intellectus obſcurati fuerunt iſtis ceremoniis*, per miſericordiam Dei *ſecretum aliquem myſterii ſenſum* habuerint, quod diſtinctè intelligere non potuerunt, quia ab illis velatum erat, dum *externis iſtis* adeò adhærebant, & *ſecreto illo ſenſu* compuncti, dum *in imaginationibus & comprehenſionibus conjecturam* facerent, in *eas carnales ſententias* prolapſi ſunt, exiſtimandi *ſubſtantiam panis tranſubſtantiari*, vel *ſubſtantiam corporis cum pane eſſe*, &c.: & revera de *Calvino* in hac re *propitiè admodum* judico, quod *ita ingenuè* agit, confitendo, *quòd rem nec comprehendat*, *nec exprimere poſſit*, ſed tamen *ſenſibili experientia* dicere poteſt, *adeſſe ibi Dominum modo quodam ſpirituali*; ſicut autem non dubito, quin Calvinus aliquando *hujus præſentiæ ſenſum* habuerit, etiam *extra hujus ceremoniæ uſum*, ita, ſicut *illa intelligentia*, ei à Deo data, eum rejicere fecit *falſas tranſubſtantiationis & conſubſtantiationis notiones*, licet neſciret, quid eorum loco ſtabiliret, ſi debitè attendiſſet *in illo lumine*, quod *omnia* patefacit, & non nimis laboraſſet *in comprehenſione ſua*, apud ſe reſolvens *externis ceremoniis* adhærere, & ſtatuens ſpiritualem præſentiam, *non ſemper*, tamen *præcipuè & principaliter*, ad eas referri, multò fœliciùs *hujus myſterii cognitionem* adipiſci potuiſſet, imò meliùs, quàm plerique, qui ei anteiverunt.

XI. Denique, ſi aliqui *hodiè*, verâ animæ mollitie & reali erga Deum conſcientiâ ducti, *has ceremonias* præſtarent *eadem methodo & modo*, *quo*

utebantur iis primitivi Christiani (quibus hactenus nullos similes novi) non dubitarem affirmare, quin *pro tempore iis indulgeri* posset, & Deus eos in earum rerum usu respiceret, si modo aliis eas obtrudere non quærerent, neque eos condemnarent, qui se ab illis liberatos senserint, aut qui iis non pertinaciter adhærerent, cùm à Domino ejusque Spiritu indè evocentur. Certò enim scimus *diem* illucescere, in quo surrexit Deus, & valedixit *omnibus istis ceremoniis & ritibus*, & colendus est solùm *in Spiritu*, iisque, qui illi attendunt, apparet, & scimus etiam, quod *in istis* Deum quærere est cum Mariâ Christum *in sepulchro*, imò *vivum inter mortuos* quærere; novimus enim, quòd *resurrexerit*, & *in Spiritu revelet*ur, filios suos *ex istis rudimentis* educens, ut secum ambulent *in suo lumine*, cui sit gloria in seculum. Amen.

Thesis Decimaquarta.

De Potestate Magistratûs civilis in rebus purè religiosis & ad conscientiam pertinentibus.

Quoniam Deus sibi assumpsit dominium & potestatem conscientiæ, qui unus potest eam rectè instruere & gubernare, ideo nemini licet, quæcunque sit ejus authoritas, seu principatus in hujus orbis gubernaculo, alio.um conscientiam adurgere; & omnes cædes, exilia, proscriptiones, incarcerationes, cæteraque id genus, quibus homines affliguntur propter solum conscientiæ exercitium, vel diversam, cùm in cultu, tùm in rebus religiosis, opinionem, proveniunt à spiritu Caïn trucidatoris, & contraria veritati sunt. Nemini tamen licet, sub prætextu conscientiæ, proximo vel in vitâ, vel in bonis nocere, aut quidquid humanæ societati & commercio incommodum, aut perniciosum perpetrare, in quo casu Lex sit delinquenti, & jus cuique administre-tur nullâ habitâ personarum ratione.

Libertas

I. *Libertas Conſcientiæ* à poteſtate & uſurpatione civilis Magiſtratûs his poſtremis annis ita fuſè & doctè à plerisque vindicata eſt, ut mihi non opus erit niſi breviter hoc loco agere; dolendum tamen eſt, paucos ſecundum hanc doctrinam egiſſe, pro ſemetipſis quidem eam vindicantes, ſed vix aliis eam concedentes, ut poſtea nobis erit occaſio oſtendendi: expedit primo loco, ad ſubmovendas obauditiones & detorſiones, quædam de ſtatu controverſiæ præfari, ut, quod ſequitur, meliùs intelligatur. Per *conſcientiam* igitur, ut in explicatione theſeos quintæ & ſextæ obſervatum eſt, intelligitur illa animæ perſuaſio, quæ oritur ab intellectu alicujus rei veritate ſeu falſitate imbuto, quod licet falſum vel malum in ſe ſit, ſi tamen, quousque ita perſuaſus eſt homo, contra perſuaſionem iret, peccaret, quia quicquid homo agit contra fidem ſuam, licet fides erronea ſit, nullo modo Deo gratum eſt; undè ait Apoſtolus, *quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt; & qui dubitat, damnatus eſt, ſi edit*, licet hoc aliis liceret, & hæc ſcrupuloſitas quosdam cibos edendi (cùm omnes creaturæ Dei bonæ ſint, & ad uſum hominis, ſi modo cum gratiarum actione recipiantur) ſuperſtitio ſit, vel ſaltem imbecillitas, non commendenda ſed potiùs removenda. Hinc Ames. de Caſ. conſ. ait, *Conſcientia, quamvis errans, ſemper ligat, ita ut ille peccet, qui agit contra conſcientiam, quoniam agit contra voluntatem Dei, quamvis non materialiter & verè, tamen formaliter & interpretative.* Quæſtio igitur primò eſt, num civilis magiſtratus poteſtatem habeat adurgendi homines in rebus religioſis contra eorum conſcientiam, & ſi obedire nolint, num liceat illi punire eos in bonis, libertate vel vitâ? Hoc negativè tenemus. Sed ſecundò, ut velimus, Magiſtratum hoc extremum vitare, ſic ex alterâ parte longè à nobis abeſt, ut cum libertinis iſtis ſentiamus, qui libertatem conſcientiæ ſuæ ad proximorum incommodum vel damnum, vel ad humanæ ſocietatis ruinam, extendere avent. Per res igitur, quæ ad conſcientiam ſpectant, intelligimus, quæ *immediatè inter hominem & Deum* interſunt, vel *homines & homines, qui ejusdem ſunt perſuaſionis*, ſcil. ſimul convenire & Deum colere eo modo, quem illi gratiſſimum fore judicant, non autem proximos adurgere, niſi perſuaſione aut ratione, aliisque illis modis, quibus uſus eſt Chriſtus & Apoſtoli ejus, nempè, prædicandi & inſtruendi, qui audire & recipere volunt, ſed non omninò, ut quis, ſub prætextu conſcientiæ, quid agat contra moralia illa & perpetua ſtatuta, quæ communiter omnes Chriſtiani confitentur: quo caſu authoritate ſuâ uti Magiſtratus

ſtratus poteſt, in quorum numero ii ſunt, qui ſub pretextu conſcientiæ dogma ponunt, quod omnes impios occidere & trucidare æquum ſit, id eſt, omnes, qui ab iis differunt, ut ii, ſcilicet ſancti, regnent, & qui omnia in communi habere volunt, petuntque urgere proximos cum eis res ſuas partiri, aliasque inſanas ejusmodi notiones, quæ de Anabaptiſtis Munaſterienſibus referuntur, quæ luculenter apparent à ſuperbiâ & avaritiâ, non à puritate aut conſcientia, provenire, ideoque contra tales ſatis in poſteriore theſeos parte cautum eſt. Sed quam vindicamus nos libertatem, talis eſt, quam primitivi Chriſtiani jure petebant ſub Imperatoribus ethnicis, videlicet, ut homines ſobrii, honeſti & pacifici tolerarentur frui libertate & uſu conſcientiæ erga Deum & inter ſemetipſos, ſine moleſtatione à Magiſtratu civili, & admittere in ſocietatem ſuam, qui, eorum perſuaſione adducti, earundem cum iis veritatum convicti forent. Tertiò, licet nollemus homines in temporalibus moleſtari, neque privilegiis, quibus fruuntur, quatenus homines & reipublicæ membra ſint, propter internam eorum perſuaſionem, ſpoliari, minimè tamen judicamus, quòd in eccleſiâ Dei non debeant cenſuræ exerceri in eos, qui in errorem prolabuntur, non minùs quàm erga eos, qui in peccatum cadunt; ideoque credimus eccleſiæ Chriſtianæ licitum eſſe, ſi ex membris ejus aliqui in errorem prolabuntur, poſt debitas admonitiones & inſtructiones ſecundum ordinem Evangelii, ſi modo pertinaces remanent, exſcindere à ſocietate ſuâ gladio Spiritus, & denudare iis privilegiis, quæ habebant tanquam membra corporis eccleſiaſtici, ſed non abſcindere à mundo, gladio temporali, vel ſpoliare eos communibus iſtis privilegiis, quatenus homines ſunt, quia iis non fruuntur, quatenus ſunt Chriſtiani, neque ſub tali conſideratione, ſed quatenus homines ſunt & membra creationis. Hinc benè ait Chryſoſtom. de Anath. *Dogmata impia, quæ ab hæreticis profecta ſunt, arguere & anathematizare oportet, hominibus autem parcendum eſt, & pro ſalute eorum orandum.*

II. Quod autem homo, virtute alicujus poteſtatis vel principatûs, quem habet in hujus orbis gubernaculo, non habeat in conſcientias authoritatem, patet, *quia conſcientia hominis eſt ſedes & thronus Dei*, cujus Deus ſolus eſt judex proprius & infallibilis, qui virtute & Spiritu ſuo ſolùm poteſt errores conſcientiæ expungere, ideoque ſibi ſoli reſervavit poteſtatem puniendi errores ejus, ut ſibi placet. Cùm autem hoc ſibi aſſumit Magiſtratus, in Dei cathredam aſcendit, & iis ſe immiſcet, quæ non ſunt intra poteſtatis ſuæ jurisdictionem, alioquin in rebus iſtius naturæ eſſet judex proprius, & neceſſarium illi eſſet, quaſi eſſentialis ad conſtituendum illum magiſtratum

tum qualificatio, ut ſit capax de iis judicare. Sed quod Magiſtratus, quà Magiſtratus, nec ſit in rebus iſtis judex proprius, neque quod ita eſſe capacitas requiratur illi, quà Magiſtratui, negare non poſſunt adverſarii, alioquin oportet, ut dicant, ethnicos omnes Magiſtratus vel illegitimos Magiſtratus fuiſſe, & hoc erit expreſſæ Apoſtolorum doctrinæ contrarium, Rom. 13. vel quod adhuc magis abſurdum erit, ethnicos illos Magiſtratus adæquatos judices fuiſſe in rebus conſcientiæ inter Chriſtianos. Quod ad illud ſubterfugium attinet, nempè, quod Magiſtratus debeat punire hæreticos ſecundum eccleſiæ cenſuram & determinationem, hoc eſt Magiſtratum eccleſiæ & clericorum carnificem facere, de quo poſtea nobis erit dicendi occaſio. Sed ſi *præcipui eccleſiæ miniſtri*, licet ad inſtruendum & docendum ordinati, non debent *dominari conſcientiis fidelium*, ut diſertè affirmat Apoſtolus, 2 Cor. 1: 24. multò minùs debent uſurpare hanc dominationem, nec provocare Magiſtratus ad eos perſequendos & trucidandos, qui eorum dominationi, in rebus conſcientiæ, cedere non poſſunt. Secundò, prætenſa hæc Magiſtratûs authoritas eſt contraria & repugnans naturæ Evangelii, quòd eſt quid omninò alienum à gubernatione ſtatuum politicorum, ut diſertè ſignificavit Chriſtus, dicendo, *regnum ſuum de hoc mundo non eſſe*; & ſi propagatio Evangelii habuiſſet ad ſtatum politicum ullam neceſſariam relationem, tunc illud Chriſtus non dixiſſet; Sed abunde nobis ſuo exemplo oſtendit, quem præcipuè nos decet in rebus iſtius naturæ imitari, quòd *perſuaſione & virtute Dei, non verò flagellis, incarcerationibus, exulationibus & trucidationibus*, Evangelium propagetur, & quòd ejus propagatores ſæpè pati oporteat per manus impiorum, ſed nunquam externâ violentiâ impiis pœnas infligere. Quando emiſit diſcipulos ſuos, dixit iis, quòd *tanquam agnos inter lupos* emiſerit, *ut eſſent contenti devorari*, ſed non, *ut alios devorarent*; & annunciat iis, quòd *debeant flagellari, cædi, carcere includi, trucidari propter conſcientias ſuas*, ſed nunquam quod *ii debeant alios flagellis cædere, incarcerare, aut trucidare eâ cauſâ*; & ſi decet Chriſtianos quaſi agnos eſſe, non eſt agni natura, alias creaturas devorare. Nil juvat dicere, temporibus Chriſti & Apoſtolorum magiſtratus ethnicos fuiſſe, &, quia neque Chriſtus, nec Apoſtoli, neque ulli ex Chriſtianis magiſtratus fuerint, ideo eam authoritatem exercere non potuiſſe, quoniam Chriſtus, cùm ipſe Filius Dei fuerit, jure omnibus magiſtratibus præerat. Et quod attinet ad poteſtatem ejus, negari non poteſt, quin advocare potuiſſet, ad auxiliandum ſibi, Angelorum legiones, & Principes terræ vi ſibi ſubjicere potuiſſet, Matth. 26: 53. Quòd hoc non fecerit, hæc ſolùm cauſa fuit, quia

contrarium erat naturæ ejus Evangelii & ministerii, violentiâ uti in subjiciendo sibi animas. Hoc satis exponit in reprehensione ad filios *Zebedæi*, qui de cœlo ignem deducere volebant ad comburendos eos, qui Christum hospitio recipere recusabant. Non dubitandum est, quin hoc fuerit crimen, non minùs quàm hodiè error de fide & doctrinâ Christi. Quod potestate non carebant ad puniendos hos Christi contemptores, dubitari non potest; qui enim alia miracula faciebant, hoc etiam facere potuissent, neque carebant exemplo viri pii sub Lege, sicut fecit *Elias*; videmus tamen, quid iis dicat Christus, *nescitis cujus spiritûs estis*, Luc. 9:55. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Ostendit Christus talem zelum illi minimè probatum fore, & quod, qui petunt istis modis Christo vel Evangelio suo viam aperire, nesciunt cujus spiritûs sunt. Sed si non licebat ignem à cœlo vocare ad eos perdendos, qui Christum recipere recusabant, multò minùs licet in terrâ ignem accendere ad destruendos eos, qui in Christum credunt, quia nolunt vel non possunt, conscientiæ causâ, in fide Magistratûs acquiescere: & si non licebat Apostolis, qui tantam Spiritûs mensuram habebant, & ad errores non adeò propensi erant, alios ad sententiam suam adurgere, multò minùs nunc licet hominibus, de quibus experientia manifestat, & plerique ipsorum fatentur, quòd fallibiles sint & sæpiùs errent, eos omnes trucidare & interficere, qui non possunt, quia aliter in animis suis persuasi sunt, per omnia in rebus religiosis & conscientiæ cum illis consentire. Et si non erat secundum Christi sapientiam, qui fuit *Rex Regum*, externâ vi alios urgere, ut in illum crederent, aut eum reciperent, quia hoc repugnabat naturæ ministerii ejus & Spiritualis gubernationis; nonne illi magnoperè & facinorosè scandalizant, qui illo sapientiores esse volunt, & qui alios, contra persuasionem suam, doctrinæ suæ & cultui conformes reddere conantur? Verbum Domini ait, *non violentiâ, neque coactione, sed Spiritu meo*, Zach. 4:6. Sed hi ajunt, *non Spiritu Domini*, sed *carnali vi & coactione.* Apostolus disertè ait, *arma militiæ nostræ*
2 Cor. 10:4. *non carnalia esse*: sed hi volunt *cum carne & sanguine* decertare, & quando prævalere non possunt *Spiritu & intellectu*, carentes armis spiritualibus, *carnalibus armis* Christi regnum stabilire prætendunt, quod quidem facere nunquam possunt; ideoque, re rectè consideratâ, talis coactio magis provenit *à superbia & amore sui*, quippe qui alios omnes sibi cedere & subjectos esse vellent, quàm *ex amore Dei.* Christus aliâ methodo usus est,
Ps. 110. 3. *faciet enim sibi populum volentem in die potestatis suæ*, sed hi laborant, contra hominum voluntates & conscientias, *non virtute Christi*, sed *externo*

gladio,

gladio, efficere homines Chriſti populum, quod nunquam facere poſſunt, ut poſtea patebit.

Sed Tertiò, Chriſtus planè & amplè declarat nobis ſententiam ſuam in hac re, in parabolâ *zizaniorum*, Matth. 13. quam ipſe interpretatur, v. 38, 39, 40, 41, ubi exponit zizania de filiis impiorum, & tamen non vult ſervos ea colligere, ne fortè cum iis frumentum eradicent. Negari autem non poteſt, hæreticos hoc loco includi; & licet ſervi illi viderent & diſcernerent zizania, noluit tamen Chriſtus, ut ea colligerent, ne nocerent frumento; indè innuens, capacitatem illam in homine ad hallucinandum debere illum retinere, ut à violentiâ in talibus rebus abſtineat; ideoque ad periculum obviandum particularem dat prohibitionem, nam ver. 29. ait, *non*; ita ut, qui nihilominus volunt eos, quos zizania judicant, colligere, apertè ſignificent, quòd præcepta Chriſti floccifaciant. Miſerrimum eſt illud ſubterfugium, quo quidam hoc loco utuntur, dicentes, per *zizania*, *hypocritas*, & non *hæreticos*, intelligi; ſed quomodo hoc evincant, cùm hæretici ſint maligni illius filii, non minùs quàm hypocritæ, nihil habent præter meram ſuam affirmationem, quam igitur meritò rejicimus. Si *dixerint*, quia hypocritæ diſcerni non poſſunt, ſed poſſunt hæretici. *Reſpondeo*, illud & falſum eſt & precaria petitio principii. Qui enim ſpirituale judicium habent, & hypocritas & hæreticos diſcernere poſſunt; qui illo carent, neutrum certè diſcernere poſſunt: & cùm quæſtio recurrat, num illa ſit verè hæreſis, quam ita eſſe magiſtratus judicabit, & cùm poſſibile & omnibus confeſſum ſit, quod ſæpius acciderit, quoſdam magiſtratus hæreſin judicaſſe, ideoque aliquos, ut hæreticos, puniviſſe, qui reipſa veritatem profitebantur, nullum igitur argumentum à certâ & manifeſtâ hæreſis evidentiâ deduci poteſt, nili concluderemus, nunquam poſſe hæreſin pro veritate, nec veritatem pro hæreſi ſumi, cujus contrarium quotidiè nobis experientia demonſtrat, etiam inter Chriſtianitatem profitentes; ſed nec hoc ſubterfugium huic loco adaptatur, nam ſervi illi revera diſcernebant zizania, & tamen prohibuit eos Dominus ea colligere, ne frumento nocerent.

III. Sed contra hanc conſcientiæ libertatem *objiciunt*, Deut. 13: 5. ubi falſi Prophetæ ad mortem damnantur, & hujuſmodi plura ſub antiquo fœdere exempla præbent. *Reſpondeo*. Non eſt caſus adæquatus, & particularia illa Judæis præcepta, & quæ inde ſequebantur, minimè Chriſtianis in regulam ſunt, alioquin eâdem regulâ dicere poſſimus, licere nobis à propinquis aurum & argentum mutuò accipere, & cum iis abſcedere ſine re-

tribuendo, quia ita faciebant Judæi jubente Domino; vel quòd liceret Christianis invadere propinquorum regna, & omnes incolas sine misericordiâ exscindere; quia, secundum Dei mandatum, Judæi ita Canaanitis faciebant. Si *urgeant*, ea præcepta obligare, nisi ubi in Evangelio rescinduntur. *Resp.* illa dicta & acta Christi & Apostolorum suprà citata satis abolitionem indicant: si enim diceremus singula præcepta, Judæis mandata, nos obligare, nisi ubi particularis retractio esset, tunc sequeretur, quia licebat Judæis, ut, siquis proximum alicujus cognatum occidisset, proximus occiso trucidatorem interficeret sine alicujus legis formali judicio, idem vobis hodiè licere; imò nonne hoc ipsum mandatum, Deut. 13:9, disertè jubet illum, qui ab alio incitaretur ad deos alienos colendos, licet alius illic esset frater, filius, filia, vel uxor, statim hunc interficere. *Omninò occidito illum manus tua, primò esto contra illum, ut morte afficias illum*; si huic præcepto obtemperandum sit, neque inquisitione, neque magistratu opus esset; & tamen nulla ratio assignari potest, quare hanc partem magis quàm alteram abjiciant; imò hoc modo argumentari à Judæorum praxi, erit Evangelium evertere, & rursus carnalia Judæorum statuta erigere, ad spiritualia Evangelii evertenda. Revera multò melius argumentari possumus *ab analogia, quam habebat figurativus & carnalis iste Judæorum status cum reali & spirituali Evangelii, quod, sicut Moyses externa vi liberavit Judæos ex Ægypto externa, & constituit eos in regno externo, destruendo externos eorum inimicos, sic Christus, non alios externè superando vel trucidando*, sed *patiendo & moriendo aliorum vi, electos suos Judæos internos liberat ex Ægypto spirituali, destruendo spirituales eorum hostes ante eos, & inter eos stabiliendo spirituale suum regnum, quod non est hujus mundi.* Et sicut, *qui à societate externi Israëlis discedebant, externo gladio exscindendi erant*, ita, *qui discedunt ab Israele interno, Spiritûs gladio interno exscindendi sunt*; benè enim respondit, quòd, *quia Judæos hostes suos externè perdere oportebat ad regnum eorum & cultum stabiliendum*, ita & *eodem modo præservare & statuminare eum debebant.* Sed, sicuti *regnum Christi & Evangelium non erat stabiliendum, neque propagandum, exscindendo vel interficiendo gentiles*, sed *persuadendo iis*, ita neque *illo modo præservandum est.*

Secundò *objiciunt.* Rom. 13. *ubi magistratus dicitur non sine causâ gladium portare, & quod minister Dei sit, vindex in iram ei, qui malum agit.* Sed hæresis, inquiunt, malum est. *Resp.* hæresin malum esse, sed sic etiam esse hypocrisin, & tamen fatentur hoc eum punire non debere. Igitur de malis

malis moralibus hoc intelligendum eſt, quæ inter hominem & hominem interſunt, & non de rebus ad cultum aut doctrinam pertinentibus, alioquin quantæ abſurditates ſequerentur, cùm Paulus hæc ad eccleſiam Romanam ſcripſerit, quæ erat ſub gubernatione *Neronis*, illius impii, & eccleſiam Dei affligentis tyranni; ſi autem hoc loco includatur authoritas puniendi in caſu hæreſeos, neceſſariò ſequeretur, *Neronem* illam authoritatem habuiſſe, imò & à Deo; quia enim poteſtas à Deo erat, ideo Apoſtolus poſtulat obedientiam eorum. Sed nunquid abſurdius eſſe poteſt, Neronem authoritatem habuiſſe in talibus dijudicandi? certè, ſi magiſtratus Chriſtiani non debeant hypocriſin condemnare, quia eam certè diſcernere non poſſunt, multò minùs potuit Nero pro hæreſi aliquem punire, de quâ judicare incapax omninò fuit. Et ſi non habuerit Nero authoritatem dijudicandi vel puniendi pro hæreſi, tunc hinc nihil argui poteſt, cùm, quicquid hoc loco dicatur, ad Neronem applicabile ſit, quia, cum particulari ad illum reſpectu, ſcriptum eſt. Et ſi talem habuerit Nero authoritatem, exercere illam debebat ſecundum intelligentiam & conſcientiam ſuam, atque ita agendo non erat redarguendus; quod ſufficit juſtificare illum in Apoſtolos & Chriſtianos trucidando & perſequendo.

Tertiò *objiciunt* illud Apoſtoli ad Gal 5:12. *utinam & abſcindantur, qui vos conturbant. Reſp.* quod hic locus plus innuat, quàm abſcindere ab eccleſiâ, non patet. *Beza* in hunc locum ait, *poſſumus iſtud de excommunicatione ſimpliciter intelligere, qualis fuit illa inceſtuoſi Corinthii, & plane inſania eſt, aliter ſentire; nolnit enim eos aliter abſcindi Paulus, quàm ipſe Hymenæo & Phileto fecerat, qui blaſphemi erant, quod erat tradendo eos Satanæ, non exſcindendo, aut decollando capita eorum.* Eodem modo reſponderi poteſt alii argumento ab Apoc. 2:20. deducto, *ubi redarguitur Thyatiræ eccleſia, quod permiſiſſet mulierem Ieſabel*; quod aliter intelligi non poteſt, quàm quòd non excommunicaverint eam eccleſiaſticâ cenſurâ: quod enim *exſcindere* ad pœnas corporales non pertineat, patet, quia manifeſtum eſt, illo tempore Chriſtianos non habuiſſe authoritatem ad hæreticos gladio puniendos, licet voluiſſent ita agere. Quartò *dicunt*, hæreſin inter opera carnis numerandam, Gal. 5:19. Sed, quòd magiſtratus habet authoritatem omnia carnis opera puniendi, *negatur*, neque adhuc probatum eſt; omne malum eſt carnis opus, ſed omne malum ſub magiſtratûs juriſdictionem non venit. Nonne hypocriſis eſt opus carnis? & tamen fatentur adverſarii, magiſtratum eam punire non debere. Nonne etiam ira & odium & invidia ibi notantur, quaſi carnis opera? ea autem,

quæ in ſemetipſis ita ſunt, punire non poſtulat magiſtratus, donec in alios actus ad proximi incommodum ſe exerant. Sed quamdiu hæreſis non ſe exerit in actum aliquem humanæ ſocietati perniciosum, vel id genus, ſed manet intra ea officia doctrinæ aut cultûs, quæ inter hominem & Deum immediatè ſtant, ſub magiſtratûs authoritatem non venit.

IV. Sed ſecundò, hæc conſcientiarum coërcitio ſanæ rationi contraria eſt, & ipſi naturæ legi hominum, cùm intellectus cogi non poſſit omnibus corporis cruciatibus, quibus alius alium affligere poteſt, præſertim in rebus ſpiritualibus & ſupernaturalibus. *Hominis animus mutatur argumentis & evidentibus rationis demonſtrationibus, cooperante virtute Dei, & cor penetrante, & non verberibus & aliis id genus, quibus corpus deſtrui, anima inſtrui non poteſt, quæ eſt agens liberum, & opiniones oportet ut rejiciat, vel accipiat, ut ei evidenter appareant veræ aut falſæ, modo naturæ ſuæ proportionali.* Qui quærit alio modo hominum animos cogere, cum hominibus, quaſi bruta eſſent intellectu carentia, agit, & eſt opus perdere, &, ut fert adagium, *æthiopem lavare*; *iis* enim *modis* fiunt homines *hypocritæ*, nunquam *Chriſtiani*; & certè talis compulſionis productus, quando finis ejus obtinetur, *viz.* externus aſſenſus & conformitas, ſive in doctrinâ, ſive in cultu, nullo modo grata eſſe poteſt Deo, qui nullum niſi liberum & ex animo ſacrificium vult aut acceptat, adeò ut homines ita coacti, tantum abeſt, ut fiant vera eccleſiæ membra, decies magis fiant Satanæ ſervi, quoniam erroribus addita eſt hypocriſis, malorum peſſimum in rebus religioſis, à quo maximè abhorret Deus. Si autem *dicetur*, ſupprimi tamen eo modo errorem, & ſcandalum removeri. *Reſp.* præterea quòd hæc ſit methodus à Chriſto haudquaquam approbata, certè eccleſia acceſſione hypocritarum melior eſſe non poteſt, ſed magis corrupta & periclitata; apertas hæreſes fugere eaſque vitare, quia ab eccleſiâ per cenſuram ſeparantur, homines poſſunt; ſed ſecreti hypocritæ corpus inficere & fermentare inadvertenter poſſunt. Sed, ſi diſſentientes ii conſtantes fiant, & magnanimiter pro ſententiis ſuis patiantur, experientia demonſtrat, talem magnanimitatem & conſtantiam ſæpè ad patientium, nunquam ad perſequentium, commendationem fore; hoc enim ſæpè miſericordiam conciliat & curioſitatem generat aliis inquirendi diligentius in ea, pro quibus ita conſtanter alios tanta pericula ſubire vident; & indè ſæpiſſimè creditur, non niſi bonâ cauſâ illos ea pertuliſſe, cùm minimè probabile ſit, quòd homines omnia periclitari, imò & vitam amittere velint nullâ aliâ cauſâ, niſi ut famam acquirant, quod & dici poteſt ad omnium martyrum famam inficien-

ficiendam, niſi meliora contra eos adducantur argumenta, quàm ignis & furca. Sed, poſito hoc dogmate, habere magiſtratum poteſtatem adurgendi conſcientias ſubditorum, & puniendi eos, niſi obtemperent, magna incommoda & abſurda ſequentur, quæ etiam naturæ religionis Chriſtianæ repugnabunt. Primò enim neceſſariò ſequetur, debere Magiſtratum hanc authoritatem exercere, eumque officio deeſſe, ſi non exerceat, & peccare omittendo officium. Nonne hinc igitur inferretur, defuiſſe Chriſtum eccleſiæ ſuæ, qui, cùm vim ad cogendum habuerit, & ad legiones Angelorum vocandum, tamen non eâ authoritate uſus eſt, ſed eccleſiam impiorum furori dereliquit ſine tàm neceſſario propugnaculo? Secundò, cùm unumquemque Magiſtratum deceat han- authoritatem exercere ſecundum illam, quam habet, intelligentiam, & teneatur ita agere ad promovendum illud, quod in conſcientiâ ſuâ veritatem eſſe perſuaſus eſt, nonne hoc juſtificabit ethnicos omnes Imperatores in perſecutionibus ſuis contra Chriſtianos? An non hoc juſtificabit Hiſpanenſem inquiſitionem, quę tamen odioſa eſt, non tantùm Proteſtantibus, ſed & Pontificiis moderatioribus? Quomodo condemnare poſſunt Proteſtantes Pontificios propter perſecutiones, quibus eos perſequuti ſunt, cùm authoritatem legitimam ſolùm exerceant ſecundum conſcientiam & perſuaſionem ſuam, neque aliquid magis agant, quàm ipſi patientes profiteantur ſe iis facturos, ſi in eâdem capacitate eſſent; quo etiam omnis commiſerationis cauſa removetur à patientibus, quâ olim Chriſtianis fama & bona voluntas conciliabatur, quod ſcilicet innocentes patiebantur, qui neque unquam ullis nocuerant, neque conſcientiæ cauſâ nocere poterant? Non enim eſt cauſa illius commiſereſcere, cui ſolùm fit illud, quod ipſe aliis paratus eſt facere, ſi poſſet. Qui enim dicunt non eandem eos habere rationem nos perſequendi, quam nos habemus ad illos perſequendos, quia, ut ajunt, nos ſumus in veritate, illi autem in errore, eſt miſerrimè & ineptiſſimè quæſtionem petere. Nonne hæc doctrina ubique perſequentum manus corroborat, idque rationaliter à juſtâ ſui præſervationis ſolicitudine? Quis enim me redarguere poteſt, quòd illum perdam, quem ſcio ſolum occaſionem petere, ut idem mihi agat? imò hoc modo omnes Chriſtianorum perſequutiones, quæ olim eorum gloria fuere, fiunt tantùm purâ neceſſitate; ita ut non tanquam agni ad interitum ducantur, ut erat ſalutis eorum dux, ſed potius ut lupi inſidiis capti, qui rurſus non mordent, quia non poſſunt, qui, ſi poſſent, parati erant eodem modo eos ad ignem aut patibulum ducere, à quibus nunc ducuntur. Ubi eſt hic igitur fides & patientia ſanctorum? Parva enim illa

eſt

est gloria virtutem è necessitate facere, & pati, quia non possum aliter agere; omnis fur & homicida hoc modo martyr est; hoc experientia abunde probavit postremis his seculis. Nam, utut quælibet secta loquatur de passivè obtemperando Magistratui talibus casibus, & quod in illo authoritas resideat, patet tamen, quod illa opinio ab hoc principio naturaliter oritur, quod quæcunque secta, se veritatem tenere judicans, quousque potens est, superioritatem ambire debeat, ut aliter sentientes sibi subjiciat, & magistratum cogat sententiam suam tueri ad aliorum omnium excidium. Quâ machinâ Papa Romæ hac authoritate prætensâ usus sit, ut, quandocunque ei displicuit Princeps, aut Status aliquis, licet propter minimam hæreseos, ita dictæ, causam, ad libidini ipsius subserviendum, deponeret Principes, ignorare non possunt, qui *Hildebrandi*, aliorumque vitas legerint; & quomodo Protestantes conscientiæ libertatem eodem modo vindicaverint, abundè patet. In Galliâ multum passi sunt, ad partium suarum incrementum & gloriam, sed, quamprimum se numerosos senserunt, & Principes aliquos sibi assentientes acquisiverunt, cæperunt Regi manifestare, quòd vel oportebat iis libertatem conscientiæ concedere, vel quòd eam, non patiendo, sed pugnando, vindicare volebant; & experientia aliorum statuum Protestantium demonstrat, quòd, si Henricus quartus, ut Pontificiis placeret, & coronam faciliùs obtineret, religionem suam non reliquisset, Protestantes Pontificios vice versa igne & laqueo ad interitum duxissent; ita ut hæc persequutionis doctrina ex omni parte causa sit omnium illarum miseriarum & contentionum: nam quousque ulla secta persuasum habet, licitum eis esse, imò & officium, si possent, eos destruere, qui à se differunt, naturaliter sequitur, debere eos nullum non lapidem movere, ut potestatem illam acquirant, quâ semet in adversariorum ruina stabiliant. Et testatur experientia, nec Pontificios nec Protestantes illicitum esse judicare, etiam Magistratum cogere, si possent, ad hoc efficiendum. Notum est Papale dogma, *posse Papam hæreticum Principem deponere, populosque à fidelitatis juramento absolvere*, quod & Papa pluribus Principibus effecit; & dogma hoc tenaciter tuetur *Bellarminus* contra *Barclaium*. Recusabant *Galli* admittere *Henricum* quartum, donec religionem reliquit. Quod ad Protestantes attinet, nonnulli non ambigunt affirmare, *Reges & Magistratus impios deponendos, imo & trucidandos esse*; quinimò hac in re Presbyteriani Calvinistici Scotici non minus positivi sunt, quàm ipsi Jesuitæ, qui adhuc viventem Carolum secundum, licet Principem Protestantem, admittere nolebant, donec Episcopalem gubernationem imò con-

contra conſcientiam abjuraſſet; & hæc non magni momenti differentia fuit. Quàm diſſimilia hæc ſint primitivæ religioni Chriſtianæ, quam propagarunt Chriſtus & Apoſtoli ejus, magnâ demonſtratione non eget; & notatu digniſſimum eſt, quòd, licet multæ aliæ ſuperſtitiones & corruptiones citò admodum irrepſiſſent, hæc de perſequutione adeò repugnans fuerit. Natura Evangelii & libertas conſcientiæ, prout jam à nobis vindicata eſt, adeò innata & naturalis Chriſtianæ religionis pars fuit, ut penè omnes ſcriptores Chriſtiani primis trecentis annis pro eâ enixè contenderint, contrariam ſententiam condemnantes.

V. *Pietatis proprium eſt*, inquit Athanaſius, *non cogere, ſed perſuadere; Dominus enim neminem coegit, ſed uniuſcujuſque voluntati reliquit, ut illum ſequerentur*, &c. *Diabolus autem, cùm nihil veri habeat, vi & ſecuribus portas recipientium illum frangit. Sed Salvator noſter mitis eſt, docens, ſi quis poſt me vult venire, & qui vult eſſe diſcipulus meus, &c. ſed neminem cogens, ut poſt eum veniat; ſed potius vocans & dicens, Aperi mihi ſoror mea, dilecta mea, & quando aperitur ei, intrat, & quando tardant, recedit, quia non eſt gladiis & ſagittis, neque militibus aut armatâ manu, quod annunciat veritatem, ſed perſuaſione & conſilio.* Et obſervatu dignum eſt, impios Arianos ab Athanaſio hoc modo redargui, qui primi omnium hanc doctrinam perſequendi, religionis cauſâ, inter Chriſtianos introduxerunt, quorum ſucceſſores & Pontificii & Proteſtantes in hâc re ſunt, quos adhuc redarguit idem Athanaſius, hoc modo. *Undè*, inquit, *perſequi didicerunt? non certè à ſanctis; hoc iis à diabolo datum eſt. Præcepit quidem Dominus aliquando fugere, & fugerunt al quando ſancti, ſed perſequi eſt inventum & argumentum diaboli, quod contra omnes petit.* Et poſtea ait, quia Ariani in exilium mittebant eos, qui eorum decretalibus ſubſcribere aſpernabantur, *quòd declarabant, quod Chriſtianis contrarii erant, amici autem diaboli, & dæmoniorum ejus.*

Athan. *in epiſt. ad ſolit. vit. ag. ibid.*

Athan. *Apol. 1. de fuga ſua, tom. 1.*

At nunc, proh dolor! inquit Hilarius, *divinam fidem ſuffragia terrena commendant, inopſque virtutis ſuæ Chriſtus, dum ambitio nomini ſuo conciliatur, arguitur. Terret exiliis, & carceribus eccleſia, credique ſibi cogit, quæ exiliis & carceribus eſt credita. Pendet ad dignationem communicantium, quæ perſequentium eſt conſecrata terrore. Fugat ſacerdotes, quæ fugatis eſt ſacerdotibus propagata. Diligi ſe gloriatur à mundo, quæ Chriſti eſſe non potuit, niſi eam mundus odiſſet.*

Hil. *contra Aux.*

Fundendo ſanguinem, inquit Hieronymus, *& patiendo magis, quàm faciendo contumelias, Chriſti fundata eſt eccleſia. Perſecutionibus crevit, martyriis coronata eſt.*

Hieron. *epiſt. 62. ad* The.

Ambr. *epist.* 32. *tom.* 3. Ambrosius Auxentium Arrianum redarguit, hoc modo, *qui*, sciz Auxentius, *quos non potuerit sermone decipere, eos gladio putat esse feriendos, cruentas leges ore dictans, manu scribens, & putans, quod lex fidem possit hominibus imperare.* Idem Ambrosius ait, *quòd in Galliam abiens abstinebat ab episcopis, qui communicabant ei, qui vel aliquos devios licet à fide ad necem petebant.*

Ambr. *epist.* 27.

Marc. *epist. ad* Archimand. &c. Marcio imperator, qui concilium Chalcedonense congregavit, *declarat, velle se neminem cogere, ut contra voluntatem concilio Chalcedonensi subscriberet.*

Mon. Eg. *in acta concil.* Chalc. *tom.* 2. *conc. gen.* * Et Hosius episcopus Corduensis longè antea testatur, *noluisse Constantium Imperatorem optimum, aliquem, ut orthodoxus sit, cogere.*

* Hosi. *epist. ad* Constit. *apud.* Ath. *in epist. ad solit. vit. tom.* 1. ‡ Adhuc etiam ait Hilarius, *Deus cognitionem sui docuit potius, quàm exegit, & operationum cœlestium admiratione præceptis suis concilians auctoritatem, coactam confitendi se aspernatus est voluntatem*, &c. *Deus universitatis est, obsequio non eget necessario. Non requirit coactam confessionem.*

‡ Hil. *l.* 1. *ad Const.* † *Misit Apostolos*, inquit Ambrosius, *ad seminandam fidem, qui non cogerent, sed docerent, nec vim potestatis exercerent, sed doctrinam humilitatis attollerent.*

† Ambr. *comm. in* Luc. *l.* 7. ¶ Hinc Cyprianus, antiquum fœdus novo comparans, ait, *tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumcisio carnalis manebat, nunc autem* &c. *spirituali gladio superbi & contumaces necantur, dum de ecclesiâ ejiciuntur*; & hoc optimè respondet objectioni illi antea refutatæ, quæ à lege antiquâ sumebatur.

¶ Cypr. *epist.* 62. * Tertull. *Apoleg. cap.* 24. Id. *Apoleg. cap.* 28. Idem *ad* Scapul. *cap.* 2. * *Videte* (ad ethnicos dixit Tertullianus) *ne & hoc ad irreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis, & interdicere optionem divinitatis, ut non liceat mihi colere, quem velim, sed cogar colere, quem nolim. Nemo se ab invito coli vellet, ne homo quidem.* Et rursus, *Quoniam autem facile iniquum videtur, liberos homines invitos urgeri ad sacrificandum: nam & aliàs divinæ rei faciendæ libens animus inducitur.* Et rursus, *Tamen humani juris & naturalis potestatis est unicuique, quod putaverit, colere; nec alii obest aut prodest alterius religio. Sed nec religionis est, cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi, cùm & hostiæ ab animo libente expostulentur.*

Quomodo autem vel Pontificii vel Protestantes, qui antiquitatem jactant, plana illa testimonia præterire possent, judicent viri rationales. Et multùm dubito, si vel in ullâ quadam doctrinâ, quam ii profitentur, nos autem negamus, ita unanimiter veteres patres & scriptores habeant. Undè patet, quàm contrarium vitæ Christianitatis omnes hoc dogma sen-

serint,

ſerint, & in hoc non parvam apoſtaſiæ partem fuiſſe, quæ tandem eò venit, ut Papa, qualibet parvâ occaſione, Principes depoſuerit, ſubditoſque à juramento abſolverit, & ſic è regnis ſuis detruſerit. Si autem Proteſtantes hæc meritò inter Pontificios condemnant, nonne luctuoſum eſt, quod ipſi idem faciant? Quod quidem, quando primò apparuerunt, & in primitivâ innocentiâ eminebant, non judicabant faciendum, ut ex illo Lutheri patet. *Neque Papa, neque epiſcopus, neque ullus hominum habet jus unius ſyllabæ conſtituendæ ſuper hominem Chriſtianum, niſi ſiat ejuſdem conſenſu.* Et ibid. *Clamo fidenter, Chriſtianis nihil ullo jure poſſe imponi legum, ſive ab hominibus, ſive ab Angelis, niſi quantum volunt; liberi enim ſumus ab omnibus.* Quando apparuit coram Imperatore Carolo quinto in comitiis *Spiræ*, in particulari habebat colloquium cum archiepiſcopo *Trevirenſi* & *Ioachimo* Electore *Brandeburgenſi*, & cùm nulla concordandi poſſibilitas videretur, *interrogantibus illis, quod ipſi præſtantius remedium videbatur, reſpondit, conſilium Gamalielis ad Iudæos*, viz, *quod, ſi opus id à Deo erat, ſtaret, ſi aliter, evaneſceret, quod Papa ait ſatisfacere debere*: non dicebat, quia veritatem profitebatur, ideo illi parcendum eſſe. Hoc enim conſilium ſupponit errantes tolerari poſſe; & tamen quàm citiſſimè idem Lutherus, cùm adhuc ipſe non ſatis tutus fuerit, urgere Electorem *Saxoniæ* cœpit ad exilio afficiendum *Caroloſtadium*, qui in omnibus illi ſe ſubmittere non potuit; & certè non abſque cauſâ refertur, quod ipſius Lutheri cor compunxerit (ita ut conſolatione egeret) Caroloſtadii illa epiſtola congregationi ſuæ ſcripta, ubi ſeipſum hominem exulem Martini Lutheri procuratione deſignavit: & cùm Lutherani & Calviniſtæ ſe invicem, ubi poteſtatem habent, non tolerant, id abundè demonſtrat, quod in hoc negotio nec Pontificiis nec Arianis meliores ſunt. Calvinus tamen ait, *Omnium hominum poteſtate exemptas eſſe conſcientias conſtituimus.* Sed quare igitur in exilium mittendum fecit *Caſtellionem*, qui conſcientiæ cauſâ cum illo non potuit credere, *ordinaſſe Deum homines ad damnationem*? Et, licet *Serveti* opinio, in denegandâ Chriſti divinitate (ſi Calvino in eâ re ſit habenda fides) eſſet quidem abominanda, nec minùs abominandus erat Calvini actus, in mortem ejus adeò enixè petendo, & obtinendo, & juſtificando hæreticos morte puniri debere, quo Pontificios animabat ad ſequaces ſuos magis confidenter perdendos, cùm ipſius Calvini doctrinâ id ſibi licere arguere poſſent, idque ſæpiùs memorare non omittebant, quibus certè argumentis nullo modo reſponderi poteſt: hinc, ſuper hanc occaſionem, ſapiens ille & laudandus hiſtor. concil. Tridentini author, lib. 5, ubi enarrat,

Luth. *lib. de captivit. Babylonica.*

Hiſt. concil. Trident. lib. 1.

Calvin. *inſtitut. cap.* 19. *ſect.* 14.

quomodo permulti Proteſtantes exuſti ſunt religionis cauſâ, inquit, *admirationis cauſa erat, quòd novi reformatores etiam punire religionis cauſâ offerebant*: Et poſtea, notans, quòd hæreticorum punitionem juſtificavit Calvinus, addit, *Sed quia hæreſeos nomen magis vel minùs reſtringi poſſit, imò vel varie ſumitur, doctrina hæc etiam diverſo ſenſu ſumi poteſt, & aliquando eis nocere, quos quondam juverit.* Hæc igitur de perſecutione doctrina à Proteſtantibus vindicari nequit, niſi etiam Pontificiorum inquiſitorum manus corroborare, & revera tandem in ipſum Papiſmum appellere velint. Si enim mihi non liceat eam religionem profiteri & eâ uti, quam in conſcientia perſuaſam habeo, quòd vera ſit, incaſſùm eſt ſcrutari Scripturas, vel fidem meam indè eligere, cùm, quodcunque obſervo vel perſuaſum habeo, judicio magiſtratûs & loci, ubi ſum, vel me acquieſcere oportet, vel exulare, vel trucidari. Et nonne hæretica hæc & Antichriſtiana, tàm Pontificiorum quàm Proteſtantium, doctrina tandem evadit in execrandam illam *Mahumedis* politiam, qui omnem de religione diſcurſum vel ratiocinationem prohibuit, quia indè factiones & diviſiones oriebantur. Et certè, qui, propter eandem rationem, perſecutionem urgent, & conſcientiæ libertatem adimunt, declarant, ſe magis Mahumedis, quàm Chriſti Jeſu diſcipulos eſſe, & quòd Apoſtoli doctrinæ minimè ſequutores ſunt, qui, 1 Theſſ. 5 : 21. jubet *omnia probare, quod bonum eſt tenere*: & qui ait, *Deum revelaturum eſſe iis, qui aliter ſapiunt*, Phil. 3 : 15. & non quòd verberationibus, exiliis & cædibus inculcari deberet.

VI. Omnis autem *perſecutionis fundamentum*, ut ſuprà demonſtratur, eſt *patiendi averſio*; nemo enim, qui alium conſcientiæ cauſâ perſequitur, pro ſua patietur, ſi vitare poſſet; cùm ſecundum ipſius dogma deberet, ſi poterit, illud vi ſtabilire, quòd verum eſſe judicat, adeoque alios ad illud adurgere; quocirca videbatur mihi operæ pretium, ad pleniorem nationum informationem, quædam breviter hoc loco *de verâ Chriſtianarum perpeſſionum naturâ* ſubjungere, quibus fideliſſimum admodum teſtimonium hoc ſeculo præſtitum eſt ab iis teſtibus, quos ſuſcitavit Deus, præter quod communiter obſervatum eſt à multis retrò ſeculis, imò ab apoſtaſiæ initio. Non tamen conſilium meum eſt aliquid *Proteſtantium martyrum perpeſſionibus* derogare, quos fideliter egiſſe credo, ſecundum illam, quam habebant die illo, luminis diſpenſationem, & quorum plerique perſecutioni hoſtes fuere, ut teſtimoniis eorum probari poteſt. Sed vera Chriſtiana & fidelis tolerantia & perpeſſio eſt, profiteri, quod perſuaſi ſumus verum eſſe, & ita agere, perficiendo erga Deum cultum, quum ſit indubitatum

noſtrum

nostrum jus, neque magis agere propter hominum favorem, neque minus propter timorem eorum, vel leges aut decreta contradicentia; hoc modo, cùm vir Christianus debitam libertatem tantâ magnanimitate & constantiâ & item innocentiâ vindicet, tandem illi pacem, licet per sanguinem, procurabit, ut hæc ætas secundum aliquam mensuram testatur, & multi adsunt testes, quod & magis mundo apparebit, prout veritas locum in terrâ inveniet. Sed contra excellentem hanc regulam magnoperè peccant, qui persecutionis tempore doctrinam suam, quantum velint, non profitentur, quàm si non esset persecutio; & quando magistratum ad partes suas adducere possunt, non solùm ad ultimum libertatem suam extendunt, sed petunt eam stabiliri adimendo aliorum. Sed excellentis hujus patientiæ & tolerantiæ manifestam evidentiam exhibuerunt ii Dei testes, qui illusoriè *Quakeri* dicuntur. Quàmprimùm enim Deus revelavit iis veritatem, nullâ habitâ oppositionis aut contradicentium ratione, ut à Deo movebantur, ilicò per regiones circumibant, prædicantes, & veritatem propagantes & annunciantes in foris, plateis & publicis templis, licet propterea quotidiè verberati, flagellati, concussi, carcerati & variis modis afflicti sint. Et quando aliqua ecclesia aut conventio congregata erat, docebant eos conventiones publicas servare apertis januis, non autem surreptitiè, ut volentes ingredi possent: & sicut hoc modo omnis justa suspicio secretæ machinationis, & id genus, tollebatur, ita etiam hæc magnanimitas & fidelitas, in non deserendo conventiones suas (imprimis vero Dei præsentia & gloria in congregatione manifestata conscientiarum persecutoribus terribilis) adeò malitiam adversariorum fatigavit, ut sæpè opus imperfectum relinquere cogerentur. Quando enim ad conventum dissipandum veniebant, vi singulos educere oportebat, justam enim libertatem amittere, se eorum jussu dissolvendo, nolebant, &, quando educti fuerunt, nisi vi obsessi, redibant pacificè ad locum suum; imò quando magistratus domum, ubi conventio fiebat, solo æquare jussit, die proximo apertè inter rudera considebant, sicque innocentiâ possessionem suam servabant, quandoquidem fundus eorum proprietas esset, & quòd jus ad Deum colendum nequaquam amiserint; ita ut, quando viri armati ad dissolvendos eos venerant, impossibile esset rem persicere, nisi omnes & singulos occidendo. Conjunctim enim stabant, neque ullæ minæ vel unum movere poterant, nisi violentiâ raptum, ut loco cederet; imò quando cousque opponentum malitia furebat, ut ligonibus rudera in eos immitterent, ibi stabant immoti & contenti, si ita permisisset Deus, vivi sepeliri pro illo testificantes. Sicut

verò potens hic, magnanimus, & verè Christianus patiendi modus persequentium opus grave & durum fecit, ita hæc patientium magnanimitas & patientia, quod non resistebant, nec ullis armis utebantur ad semet defendendos, nec vindictam quærentes, secretè persequentium conscientias penetrabat, fecitque curruum eorum rotas tardè incedere, & hoc modo post multa & varia persecutionum genera, quæ hoc loco referre nimis prolixum foret, & volumen magnum efficerent, & suo tempore orbi exponentur (eorum enim narrationem in scriptis habemus) negativam quandam libertatem obtinuimus, ita ut nunc utplurimum sine disturbatione à magistratu conveniamus. Sed è contrà, plerique Protestantium, quando magistratûs libertatem vel consensum non habent, occultè tantùm conveniunt, & testimonium suum abscondunt: & quando fortè deprehenduntur, si adsit evadendi occasio, vi illud attentabunt, imò licet adversarios interficiendo, quo perpessionum suarum gloriam amittunt, neque tanquam innocentes Christi sequutores apparent, neque habentes innocentiæ suæ in cordibus persequentium testimonium: tali enim resistentiâ furor eorum magis accenditur. Quod ad postremam partem attinet, scilicet in resistendo persequentibus, à Christo nec Apostolis exemplum ullum approbatum habent. Quod ad priorem, (fugiendi scilicet, & non apertè profitendi veritatem) communiter *objiciunt* illud Christi ad Apostolos, Matth. 10: 23. *cùm persequentur vos in civitate istâ, fugite in aliam.* Et Actor. 9. ver. 4. *Quòd secretò conveniebant discipuli propter timorem Iudæorum.* Et Actor. 9: ver. 25. *Quod per murum discipuli Paulum in sporta è Damasco dimiserunt.* Quibus omnibus *Respondeo.* Quod ad illud Christi attinet, quæstio est, num ultrà referatur quàm ad particularem illam missionem, quam dedit eis ad Judæos; postrema enim pars verborum illud innuere videtur, *Amen dico vobis, non circumibitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis*: & particularis actio aut præceptum pro tempore particulari non sufficit alicui hodie ad crucem Christi effugiendam. Sed esto, hoc præceptum ultrà extendatur, eo uti oportet nos secundum libertatem, quam nobis dat Spiritus sanctus, alioquin nemo, qui fugere poterit, persecutionem pateretur: & quare non fugerunt igitur Apostoli Petrus & Johannes, cùm primò Hierosolymis persequerentur eos Judæi? Sed è contrà, proximo die, postquam prohibuit eos concilium, reversi sunt ad templum, & apertè populo evangelizabant. Homines igitur nimis apti sunt ea dicta extendere ad semetipsos præservandos, quibus tamen magna suspicionis causa est, ne, cùm ita interpretentur, pro Christo palàm testentur,

tur, & timore periculi hallucinentur. Quod attinet ad privatam illam diſcipulorum conventionem, rem geſtam narrat author Actorum; ſed hoc non ſufficit nobis idem agere, & hominum proclivitas, eos in iſtis imitandi (quæ, quantum nos ſcimus, imbecillitas eorum fuit) & non in aliis contrariæ naturæ, ſignificat, non tàm verum zelum eſſe, ut ſimiles ſint diſcipulis Chriſti, quam cupidinem ſemet præſervandi, qua ita agere moventur Denique, quoad Pauli è Damaſco egreſſum, res ſingularis erat, & procul dubio particulari divini Spiritûs motu, cui, cùm voluit illum eſſe præcipuum ſuum ad gentiles miniſtrum, ſecundum ſapientiam ſuam viſum eſt, eo tempore impium Judæorum conſilium fruſtrari. Sed nullum talem prætextum habent adverſarii, quod fugiant, quorum fuga à ſui præſervatione, non ab immediatâ revelatione, provenit; & quod Paulus hanc non conſtanter methodum ſequutus ſit, patet, quoniam alio tempore, non obſtante amicorum perſuaſione & perpeſſionum certâ Prophetiâ, noluit tamen diſſuaderi, ne Hieroſoly mas adiret, quod ſecundum antè allatam regulam agere non debuiſſet.

Sed denique, ut hujus rei finem faciam, Gloria ſit Deo & Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui jam *annos viginti quinque*, à quibus diſtinctus, congregatus & ſeparatus populus extitimus, dedit nobis fideliter pro nomine ipſius pati ſine fugiendo aut crucem vitando; &, quâ mox fruimur libertate, ſecundum miſericordiam ejus eſt, & non externâ induſtriâ aut labore noſtro, ſed ipſe tetigit opponentium corda; neque procuravit hanc nobis externa politia, ſed ſolum teſtimonium conſcientiæ noſtræ in cordibus ſuperiorum. Præſervavit enim nos Deus in hodiernum usque diem in patiente Jeſu tolerantiâ, neque cauſam noſtram unquam amiſimus alios perſequendo, quod quidem pauci, imò nulli, quos noverim, Chriſtiani dicere poſſunt. Contra autem hanc incomparabilem noſtram innocentem & Chriſtianam cauſam malitioſi adverſarii nihil habent, quod dicant, niſi, quod ſi authoritatem haberemus, ita etiam faceremus; hæc eſt affirmatio merè malitioſa & irrationalis, & privilegium, quod ſibi aſſumunt, de futuris judicandum, quod immediatâ revelatione certè non habent; & revera incharitatis ſignum eſt, dicere, nos velle contra *manifeſtam noſtram doctrinam* agere, cùm hactenus nullam ita judicandi occaſionem præbuerimus; & hîc alios ſecundum ſeipſos judicant: ſed tales conjecturæ contra innocentiam noſtram minimè militabunt, dum innocentes manemus. Quod ſi perſecutionis rei futuri unquam ſumus, alios contra conſcientiam aut perſuaſionem ſuam corporalibus ſuppliciis adurgendo, tunc denique,

que, tunc, inquam, judicemur hypocritarum maximi, neque quispiam nos persequi parcat. *Amen inquit anima mea.*

Thesis Decimaquinta.

De Salutationibus, Recreationibus, idque genus aliis.

Cùm omnis religio præcipuè huc tendat, ut redimantur homines à *spiritu vano* & *hujus seculi consortio*, & introducantur ad *interiorem cum Deo communionem*, coram quo, si semper timemus, beati existimandi sumus; igitur vani & inanes ejus habitus & consuetudines & verbo & opere ab iis rejiciendæ & derelinquendæ sunt, qui ad hunc timorem accedunt, qualia sunt *detectio capitis, suffraginationes, corporisque quam plures in salutationibus deflexiones*, cæteræque *stultæ* & *superstitiosæ formalitates*, malo usu in nimis multis gentibus inveteratæ, quæ omnia homo *in statu degenerato*, ad *fovendam superbiam*, in *vanâ hujus seculi pompâ & gloriâ* commentus est; nec non *inutiles ludi, frivolæ recreationes* & *nugæ*, quæ inventa sunt ad pretiosum tempus conterendum: quæque animam divertunt *à teste Dei in corde* & *à sensu vivace timoris ejus*, & *ab Evangelico Spiritu*, quo debent Christiani cæmentari, qui ad *sobrietatem, gravitatem* & *sincerum Dei timorem* perducit; in quo dum ambulamus, benedictio Dei adest nobiscum in actionibus istis, quibus necessariò versamur, dum ea, quæ ad exterioris hujus partis sustentationem spectant, curamus.

I. Cùm hactenus de religionis principiis tractaverim, & quæ ad doctrinam & quæ ad cultum spectant; nunc de quibusdam praxibus dicendum est, quæ horum principiorum effecta fuere in testibus illis, quos Deus hodie suscitavit, ut pro veritate ejus testarentur, quæ non parùm eos commendabit (ut puto) in Christianorum hominum existimatione. Quòd si universaliter

ter ſumantur, etiam, adverſariorum confeſſione, inveniuntur ut plurimùm liberati ab abominationibus iſtis, quæ communiter inter alios profeſſores abundant, ut *juramenta*, *ebrietas*, *ſcortatio*, *luxuria*, & quòd communiter, qui ad hunc populum tranſeunt, ab iſtis ſtatim diſcedunt; ita ut multi *profligati* & *impii*, ad hanc veritatem veniendo, *ſobrii* & *virtuoſi* facti ſint, &, qui *vani*, *luxuriantes*, & *leves* fuerint, *graves*, *ſerii*, & *ponderoſi* evaſerint; & ſicut nec audent hoc negare adverſarii, * ne tamen careant, quo nobis detrectent, etiam propter ea non ceſſant nos accuſare, quæ in ſemetipſis magnoperè commendant; *gravitatem* enim noſtram vocant *acerbitatem* & *melancholiam*; *ſilentium* noſtrum *ſtupiditatem* nuncupant. Qui inter eos *profani* & *profligati* fuerunt, ſed ad nos veniendo ea mala deſeruere, ne veritatem aut profeſſionem noſtram commendent, dicunt, quod antea *profani*, nunc autem *hypocritæ* & *ſuperbi* evaſerint. Si qui, antea inter eos *diſſoluti* & *profuſi* exiſtentes, ad nos tranſeundo, *diligentes* & *frugales* fiunt, tunc *avaritiæ* eos accuſabunt. Si qui, antè inter eos *eminentes* propter *gravitatem*, *pietatem* & *Dei cognitionem*, ad nos veniunt, tunc dicent, ad *melancholiam* & *enthuſiaſmum* proclives eos ſemper fuiſſe, cùm antea nec *melancholia* nec *enthuſiaſmus*, ſenſu malo, dicebatur, ſed *Chriſtiana gravitas* & *divinæ revelationes*. *Conſtantiam* noſtram & *Chriſtianam tolerantiam obſtinationem* & *pertinaciam* vocant, licet multò minùs inter ſemetipſos quaſi *Chriſtiana magnanimitas* & *nobilitas* laudaretur; & licet hoc modo per *invidiam* omnia ad nos pertinentia retrorſum & præpoſterè legunt, ea in nobis *vitia* exiſtimantes, quæ in ſemetipſis tanquam *eximias virtutes* laudarent, hanc tamen ab iis confeſſionem vis veritatis ſæpè extorſit, ut fateantur, quod ut plurimùm, quoad *externam converſationem*, populus mundus & purus ſumus. Sed *dicunt*, hoc tantum *ſtratagema* eſſe ad *hæreſin* noſtram commendandum, ſed tale, *dico ego*, *ſtratagema* eſt, quo uſus eſt Chriſtus & Apoſtoli ejus, & quo omnes boni Chriſtiani uti debent; imò tantùm prævaluit veritas puritate ſectantium eam, ut, ſi quis, qui *Quakerus* vocatur, ea agat, quæ inter alios communia ſunt, ſi *riſerit* ſcilicet, ſi *jucundus* ſit, vel *præciſe verbum* non præſtet, vel *fuſius paululùm loquatur*, vel *in iracundiam* prorumpat, dicant ſtatim, nonne hoc eſt contra *religionem veſtram*? quaſi ea cum *eorum religione* benè conſiſterent; ubi, licet veritatem dicant, cauſam tamen ſuam amittunt; Sed ſi quem noſtrum in iis malis, quæ inter ipſos abundant, deprehendant (ut cenſendum eſt, inter tot millia paleam inveniri, cùm & inter duodecim Apoſtolos unus diabolus fuerit) ô quantum inſultant!

* *Hoc modo ſolebant Pontificii Valdenſium* ſobrietatẽ *improbare, de quibus author Pontificius* Reinerius *ſic ſcribit.* Hæc verò Leoniſtæ. ſecta magnam habet ſpeciem veritatis, eò quòd coram hominibus juſtè vivant, & benè omnia de Deo credant & omnes articulos, qui in ſymbolo continentur, ſolam Romanam eccleſiam blaſphemant & oderunt.

& de *unius Quakeri crimine* magis clamitabunt, quàm de *centum inter semetipsos.*

II. Sed sunt quædam singularia, quæ omnes adversarii legitima esse contendant, & quæ sibi vindicant, quasi Christianæ religioni nullo modo repugnantia, quæ tamen nobis minimè licita esse reperimus, & quæ Domini jussu deponere nobis necesse fuit, licet ita agendo nobis multarum afflictionum causa fuerit, & multum à mundo odii & invidiæ procuraverit; & quia talis est aliquarum rerum natura, ut primo obtuitu distinguant nos & notos faciant, ita ut à nemine abscondi possimus, nisi testimonio infideles simus, ideo afflictiones nostræ & passiones hoc respectu plures & difficiliores fuerunt, ut postea patebit. Hæc hâc thesi breviter comprehendere studui, sed fusiùs exhiberi possunt sequentibus *sex* propositionibus.

1. *Quod non licet blanditiosis istis titulis uti*, quales sunt, *Sanctitas vestra, Majestas vestra, Eminentia vestra, Excellentia vestra, Gratia vestra, Dominatio vestra*, &c. *neque adulatoriis istis sermonibus*, vulgò [*complements*] dictis.

2. *Quod non licet Christianis geniculari, vel prosternere se ad homines, eisque corpus deflectere, aut caput aperire.*

3. *Quod non liceat Christianis, in amictu aut vestibus, rebus superfluis uti, quæ nullum usum habent, nisi ornamenti & vanitatis causâ.*

4. *Quod non liceat ludis & comœdiis uti sub notione recreationum, quæ cum gravitate, silentio, & sobrietate Christiana minimè concordant: deridere enim, ludere, jocari, garrire*, &c. *non sunt libertas Christiana, vel innocens lætitia.*

5. *Quod non licet omninò jurare sub Evangelio, non solum non vane, vel in communi locutione, quod etiam sub lege Mosaica prohibitum erat, sed etiam nec in judicio coram magistratu.*

6. *Quod Christianis minimè licet malo resistere, nec bellum gerere, aut in ullo casu pugnare.*

Priusquam in particularem harum propositionum disquisitionem descendam, ad omnia obstacula removenda, quasdam generales considerationes addam, quæ omnes æqualiter respiciunt; nolim quemvis existimare, quasi hinc peteremus abolere *mutuam relationem*, quæ est, vel inter *Principem* & *populum*, *herum* & *servum*, *patrem* & *liberos*, nequaquam; in his sententia nostra nullam talem consequentiam habet, sed illa relatio magis ab eâ confirmatur, quàm destruitur. Deinde nequis judicet, quòd à nostrâ in his sententiâ ulla sit necessitas reducendi *omnes cum bonis suis in æqualitatem*,

tatem, aut *communia omnia habendi*, non omninò; ſententia noſtra cuilibet relinquit pacificè, quod ſuum eſt, ſive illud induſtriâ ſuâ, ſive jure paternitatis, aut hæreditatis, habet; ſolum inſtruitur, quomodo iis bene utatur ad ſuum & fratrum ſuorum bonum & ad Dei gloriam, ubi etiam actiones ejus oportet ſint voluntariæ & liberæ, & non coactæ. Præterea, nec indè concludinus, *aliquem creatione magis vel minùs, quàm alium, uti non debere.* Scimus enim, quod, ſicut Deo placuit diverſimodè eam diſtribuere, quibuſdam magis quibuſdam minus largiendo, ita & uti eâ poſſent. Variæ enim, quibus ſtant homines, conditiones cum educatione reſpondente hoc abundè demonſtrant; non eodem modo, quo *herus*, educatur *ſervus*; neque *colonus*, quo *fundi dominus*; neque *pauper*, quo *dives*; neque *Princeps*, quo *arator.* Nemini autem licet, quantumcunque habeant, vel utcunque educati fuerint, profuſis & prodigis eſſe, vel, quod eſt merè ſuperfluum, uti; attamen, quia *educatio* eorum ita aſſuefecerit, & *conditio* eorum eos capaces fecerit, rebus melioribus uti poſſent, quàm qui iis nec educatione ſolent uti, neque fert conditio acquirere; extra enim omnem controverſiam eſt, quodcunque *creatio* producit, ad hominis uſum eſſe, & *uſus moderatus* licitus eſt, licet per accidens illud alii illicitum eſſe poſſit, quod alteri licitum ſit: *exempli gratiâ*, qui ratione educationis & conditionis aſſuefcitur, *carnes* edere, *vinum* bibere, *puriore lana* veſtiri, ſi ita ferat res ejus, & quòd nec ſuperfluè, nec immoderatè utatur, ita edere & veſtiri poteſt abſque peccato; & fortè, ſi, ut coloni aut aratores vivunt, nutriuntur & veſtiuntur, ſe conformare velit, ſanitati & corpori noceret, animam nihil proficiendo. Sed ſi quis, cujus nec conditio nec educatio eum talibus aſſuefecit, ultrà, tùm quod haberet tum quod acquirere ſoleret, ad depauperationem & manifeſtam familiæ & liberorum ruinam vel comedere vel veſtiri vellet (ſicut alius, cui id licitum eſſet) procul dubio illegitimum hoc illi foret; dives hic fortaſſe magis mortificatus eſt, & ſemet denegavit omittendo ea, ad quæ alius ille, ultra quod vel habet vel acquirere ſolet, aſpirat. Tutus igitur locus eſt, ut ii, qui abundant, ſibimet invigilent, ut moderatè utantur bonis, & ſuperflua omnia reſcindant, quantùm poſſent, utentes potius abundantiâ ſuâ ad eorum neceſſitates ſupplendas, quibus providentia minorem terræ portionem ſortita eſt, & ſic *glorietur dives in humilitate ſua*; & *quos Deus in loco humili vocat, decet contentos eſſe conditione ſua, eis fratribus minimè invidentes, qui majorem abundantiam habent*, quia ſatis receperunt ad *hominem interiorem*, qui præcipuè reſpiciendus eſt, neque quærent uti *vocatione* ſua ſancta ad acqui- Iac. 1: ver. 9.

rendas *mundanas divitias*, quoniam in hoc etiam *divitibus* & *nobilibus*, qui vocantur, præstant, quia *vocatione* sua non *humiliantur* in hoc mundo, sed potius *exaltantur*, quoniam, quoad *internam* & *spiritualem communionem sanctorum*, maximi divitum, imò & nobilissimorum fratres & socii fiunt. Et hoc respectu glorietur frater humilis in *exaltatione* suâ.

His præmissis, omnibus hoc serìò proponere velim, qui *realiter Christiani* esse avent, idque *natura* & non *nomine* tantùm, si non desiderandum esset, & magnoperè non contribueret ad Christianitatis commendationem, & ad vitæ virtutisque Christianæ incrementum, si *omnes superflui* illi hominis *tituli*, *prodigalitas* & *impensa in cibis* & *vestibus*, *ludorum* & *comœdiarum excessus*, &c. auferrentur & deponerentur; & num, qui talia deponunt, *similiores* sint *discipulis* & *Apostolis Christi*, eorumque *exemplum* magis sequantur, quàm qui illis utantur? Vel si ea omnia *deponere* & *deserere*, aliquem esse *bonum Christianum* impediret; vel si Christiani non meliùs absque illis essent? Certè *sobrii* & *serii* inter omnes hoc concedent. Qui igitur ista, *quasi* Christianis *incommoda* & *periculosa* & *inutilia* deseruere & deposuere, non increpandi sunt, sed potius propterea commendandi, qui & doctrinâ & praxi efficaciter id stabiliunt, quod alii desiderandum esse fatentur, sed nunquam efficere possunt, quamdiu eorum usum approbant quasi legitimum; & revera Deus hac ætate manifestum fecit eorum malum manifestando, & testes suos ex iis ducendo, & contra ea testando, quod efficaciter in plerisque produxerit illam *mortificationem*, & *ab amore* & *solicitudine hujus seculi abstractionem* in iis, qui, licet versentur in *mundo*, & etiam in *statu matrimoniali* & in *legitimis externis vocationibus*, intus tamen ex eo sunt *redempti*, quod homines olim judicabant non posse, nisi ab iis, qui *monasterio* vel *cellula* inclusi erant, obtineri: hæc in generali dicta sunt.

III. Quod ad primam ex suprà dictis propositionibus attinet, expressè affirmamus, minimè licere Christianis vel dare vel recipere illos honoris titulos, quales sunt, *Sanctitas vestra*, *Majestas vestra*, *Excellentia vestra*, *Eminentia vestra*, &c. Primò, quia illi *tituli* non sunt ulla *pars* istius *obedientiæ*, quam Magistratibus debemus, neque, dando illos iis, aliquid *realiter* additur isti *subjectioni*, quæ eis debita est, quæ stat in *obediendo justis eorum* & *licitis mandatis*, non in *titulis* & *designationibus*. Secundò, in *Scriptura* non invenimus tales titulos, neque sub *Lege*, neque sub *Evangelio*, sed, quod loquendo *Regibus*, *Principibus* & *Nobilibus*, hæc simplice compellatione solùm utuntur, scil. *O Rex*, sine ampliore designatione, nisi fortè no-

nomine personæ, quam alloquuntur, ut *O Rex Agrippa*, &c. Tertiò, frequenter imponit Christianis *necessitatem mendacii*, quia sæpissimè ii, qui istos titulos obtinent, sive electoriè sive hæreditariè, reperiuntur nihil in se habere *istos titulos merens* vel *iis respondens*, ut cui dicitur *Excellentia vestra*, fortasse *nihil excellentiæ* habet, & cui dicitur *Gratia vestra*, fortasse *gratiæ inimicus* est, malis operibus. Et cui dicitur *Honor vester*, fortasse *ignobilis*, *vilis* & *sordidus* est. Quæ igitur hominis lex, vel quæ Principis alicujus diplomata me mentiri cogere possunt, *invocando malum bonum*, *aut bonum malum*? An tales hominum leges *justificare* me possunt à *justo Dei judicio*, ubi pro *vano* & *inutili quolibet verbo* rationem reddere oporteat; mentiri autem quid pejus est? Certè pudere deberet Christianos, tales leges, tam manifestè Legi Dei contradicentes, inter eos esse. Si *dicetur*, debere nos in *charitate* existimare, eos habere *istas virtutes*, in quos tales honores Rex contulerit, vel quia ex iis, qui ista meriti sunt, descenderunt. *Resp. Charitas cognitionem* non tollit; non me obligat *charitas* vel credere vel facere *mendacium*: manifestum autem est, neque negari potest, virtutes istas *in plerisque eorum*, qui hos titulos habent, non esse, neque volunt nos ita *eos* compellare, *in quibus istæ virtutes sunt*, nisi à *mundi Principibus* ita dignificentur; ita ut, qui *vere virtuosi* sunt, à *virtutibus suis* non designandi sint, quia ab *hujus seculi Principibus* non ita *dignificati* sunt; & qui non habent, oportet ita designare propter *Regum terræ diplomata*; & hæc quidem faciunt, qui se illius jactitant sectatores, qui præcepit discipulis suis, *ut neminem vocarent dominum*; & *qui Pharisæis dixit*, *quòd credere non poterant*, *quia honorem ab invicem acceperant*, *& non illum*, *qui à Deo solo est*, *quærebant*. Hoc adeò planum est iis, qui revera esse Christiani exoptant, ut commentario aut consequentiâ non egeat. Quartò, quod attinet ad illos titulos *Sanctitatis*, *Eminentiæ & Excellentiæ*, quibus utuntur Pontificii ad Papam & Cardinales; & *Gratiæ*, *Dominationis*, *Reverentiæ*, quibus utuntur Protestantes ad clericos suos, est *blasphema usurpatio*; si enim iis *sanctitatis* & *gratiæ titulis* utantur, qui *sanctitate* & *gratiâ* imbui debeant, per quam regulam Papæ & Episcopi hoc sibi peculiariter usurpant? Nonne sanctitate & gratiâ unumquemque Christianum imbutum esse decet, & sic oportet omnem Christianum ad invicem dicere, *Sanctitas vestra*, *Gratia vestra*? Deindè, quomodo vendicare possunt illi alios vel plures titulos, quàm quibus utebantur Apostoli, & mutuò recipiebant primitivi Christiani, quorum successores se esse prædicant, cùm quatenus sunt eorum successores, non alio respectu, fatebuntur, ut opinor, ipsis deberi illum, quem ambiunt, honorem:

norem: si autem ii nec recipiebant, nec admittebant, nec petebant talem honorem aut titulos, quomodo hi adepti sunt eos? Si dicant, iis usos fuisse Apostolos, probent illud, si modo poterint; in Scriptura nil tale inveni tur; alloquuntur Christiani Apostolos sine istis designationibus; & ne vel verbum est simile istis, ut, *si placeat Sanctitati vestræ, Gratiæ vestræ, Dominationi vestræ, nec Reverentiæ vestræ, neque vocantur nec Dominus Petrus, nec Dominus Paulus, nec Magister Petrus, nec Magister Paulus, nec Doctor Petrus, nec Doctor Paulus: sed solùm Petrus & Paulus*, & illud non solùm in Scriptura non invenitur, sed nec longè pòst; ita ut appareat, hoc esse manifestum apostasiæ fructum; si enim vel ab officio, vel merito personæ, oriantur isti tituli, negari non potest, quin meliùs merebantur Apostoli, quàm ulli hodie, qui eos nunc volunt; sed liquidò patet, habebant Apostoli *sanctitatem*, *excellentiam*, *gratiam*, & quia *sancti*, *excellentes* & *gratiosi* erant, ideo nolebant *titulos istos* admittere. Sed hi, cùm nec *sanctitatem*, nec *excellentiam*, nec *gratiam* habeant, quibus gratiosi aut excellentes facti sint, tamen ita designari volunt, ut vanis & ambitiosis animis suis satisfaciant, quod hypocriseos eorum manifestum est signum. Quintò, Quod attinet ad illum *Majestatis* titulum, communiter Principibus datum, nemini eorum in sacrâ Scripturâ tribui eum invenimus, sed quòd specialiter & particulariter Deo adscribatur, ut, 1 Paralip. 29:11. Job 37:22. Psal. 21:5. 29.4. 45:3. 93.1. 96.6. Isa. 2:10. 24:14. 26:10. Heb. 1:3. 2 Pet. 1:16. & in multis aliis locis. Hinc ait Judas, v. 25. *Soli Deo Salvatori nostro per Iesum Christum Dominum nostrum gloria & majestas*, &c. non igitur homini. In Scripturâ invenitur, superbum Nebuchadnezarem hunc sibi titulum assumpsisse, Dan. 4:30, qui eo ipso tempore sufficientem redargutionem accipiebat, subito corripienti illum judicio; ideoque in omnibus appellationibus Principibus datis, in veteri Testamento, vel in novo, talis non invenitur; admodum urbanus Agrippæ Paulus erat, sed talem illi titulum non tribuit, neque hoc utebantur titulo primitivi Christiani. Hinc historia eccles. reformationis Gallicæ refert, orationem à Dom. de *Rochefort* sub Carolo nono anno 1560 *dicens, hanc orationem benè observatam fuisse in eo, quòd verbo* [Majestas] *non usus fuerit, ab adulatoribus his postremis seculis invento*, non tamen advertit author, quomodo Calvinus, magister ejus, quem ibi tantopere commendat, hoc adulationis titulo utitur ad Franciscum primum, Galliæ Regem, & non id tantum, sed etiam vocat illum *Regem Christianissimum* in epistola ad *Institutiones* suas, licet, quoniam quotidie reformatores persequebatur,

Eccles. instaur. lib. 4. p. 445.

batur, longè abesset à veri Christiani statu secundum ipsius Calvini opinionem: certè istorum titulorum, quos imposuerat & introduxerat Antichristus, continuatio reformationi multùm oblædebat, eamque retardabat, & in plerisque eam defectivam fecit. Denique, omnes illi honorum tituli à Christianis rejiciendi sunt, quia oportet eos quærere honorem, qui à Deo est, & non illum, qui deorsum est; sed illi honores non à Deo, sed deorsum sunt. Novimus enim, quâ arte & industriâ homines utuntur, ut honores istos acquirant, & quæ pars sit, quæ eos quærit, *animus* scil. *superbus, insolens, supercilios*us, & *non mitis*, & *innocens Christi Spiritus*, ille enim hunc honorem non ambit. Num ille Spiritus, qui hunc honorem amat, qui eum appetit, qui eum stabilire & tueri conatur, qui furit, qui fremit, qui frendet & indignatur, cùm hic illi honor denegetur, iste Spiritus est, quem in hoc orbe nullius reputationis esse oportet, quique in cœlo conversationem suam & cum Filio Dei communionem habet: imò an non potius est dominans, insultans & superbus Luciferi spiritus, hujus seculi principis, qui olim honorem ambiebat, & ad eum aspirabat, ac manere noluit in loco suo, ideoque filii ejus eodem ambitioso animo inflantur, petentes & ambientes honorum titulos, qui ad eos non pertinent. Examinemus autem, qui sint veri honorandi, nonne *justus*, nonne *sanctus*, nonne *humilis corde, mitis spiritu*, nonne tales inter Christianos honorandi sunt? Horum autem nonne pauperes esse possunt coloni, aratores, piscatores; & si ita sit, unde fit, quòd honoris tituli in istos non conferantur? Sed qui sunt isti, qui communiter recipiunt & ambiunt istos honores, nonne divites, quibus suppetunt terrestria, sicut dives ille, qui in infernum abivit, tales, qui superbi sunt, & ambitiosi, qui pauperes opprimunt, qui nationum abominatio & quasi plaga sunt, qui luxuriâ, vanitate & omni nequitiæ superfluitate inflati sunt; an non ii illi sunt, qui dicuntur honorabiles, qui requirunt & accipiunt honoris titulos, superbi Hamanes? Num autem hic ille honor est, qui à Deo provenit, vel honor, qui ab infrà est? Num honorat eos Deus, qui illum quotidiè dehonorant, & sic non est honor Dei, sed hujus mundi, quem inter se invicem dant & accipiunt filii hujus seculi; quomodo possunt filii Dei, qui revera Christiani sunt, vel dare vel accipere illum honorem inter semetipsos, nisi redarguantur à Christo,

Hieron. in epistolâ ad Celant. monet eum, quod propter nobilitatem nullis præponenda esset, quippe Religionem Christianam personatum respectum non admitteret, nec homines propter externam conditionem æstimari, sed secundum animi dispositionem, vel nobiles vel infimos haberi; qui peccato non obsequitur, liberum esse, qui in virtute præstat, nobilem esse.

Legatur epist. Iac.

ito, qui ait, *ita facientes credere non posse*. Sed præterea, si causam respiciamus, quæ frequentissimè hominibus procurat eos honoris titulos, non inter mille una invenitur propter virtutem aliquam Christianam esse, sed potius propter ea, quæ debent Christiani abnegare, favore *scil.* Principum, qui adulationibus & frequenter pejoribus & vilioribus mediis acquiritur; imò frequentissima, & inter homines maximè honorabilis existimata, causa est propter pugnandum vel Martialem aliquem actum, qui Christiani dignitati aut merito nihil addere potest, quum revera optandum esset, inter Christianos nulla bella esse; &, quousque pugnant, non verè Christianos esse eos, patet; Jacobus Apostolus monet, *bella à concupiscentiis provenire*: ita etiam deceret Christianos potius cum concupiscentiis pugnare *Dei Spiritus gladio*, quàm *prævalentibus concupiscentiis* se invicem destruere: qualemcunque honorem istis modis adepti sunt homines sub Lege, sub Evangelio tamen patet, *propter patiendum*, *non pugnandum*, commendari Christianos. Neque ex discipulis Christi ullus, nisi unus, strinxit gladium, ut alii violentiam inferret, qui ideo minime honoris titulum, sed justam reprehensionem, accepit. Denique, si vel hujus honoris naturam consideremus, si causam, si methodum transmittendi, si terminos, quibus præstatur, certè ab iis præstari nullo modo potest, qui revera Christiani esse volunt.

IV. Cæterùm, præter generales illos honoris titulos, quot abusus inter Christianos irrepserunt in usu blandorum sermonum, vulgò *Compléments*? undè non servi ad heros, vel alii, respectu talis relationis, sed ii, qui nullam ejusmodi relationem habent, dicunt & scribunt ad invicem, quâlibet occasione, pro more, *Obsequentissimus tuus servus*, *Humillimus tuus servus*, &c. Impiæ tales consuetudines, ad inenarrabile animarum damnum, Christianos ad mendacia facienda assuefecerunt; ita ut mentiri, imò & inter eos, qui volunt Christiani dici, æstimatum sit urbanitas. O horrida apostasia! apertè enim nôrunt omnes illarum *futilitatum*, vulgò *Complementorum* (parce verbo) usum, nullam realem obsequii aut obedientiæ intentionem inferre; neque ulli adeò stulti sunt, ut ita opinentur. Si enim eos servire nobis juberemus, qui se obsequentissimos hoc modo profitentur, non dubitarent judicare nos eis abuti, & citò ostenderent se nobis nihil, præter verba, dedisse. Mirum est igitur, quòd ii, qui dicunt Scripturam esse regulam suam, non erubescant mendaciis uti, cùm Elihu, qui Scripturam non habebat, Lumine interno, quod isti insufficiens judicant, dicere potuit, Job 32:21, 22. *Non accipiam personam hominis*, &

ad

ad hominem non mutato nomine loquar, quod si ita agam, novi quod me tolleret Creator meus. * Devotus quidam vir, temporibus primitivis, episcopo cuidam scribens, subscripsit se ejus servum, & licet magis realiter, ut judicari possit, id fecerit, quàm hodierni adulatores, ab illo tamen propterea acerbè redargutus est. Sed ad semet defendendos communiter *objiciunt*, Lucam dixisse Theophilo, *Præstantissime Theophile*, & Paulum Festo, *Nobilissime Feste. Resp.* Cùm Lucas id scripserit dictante infallibili Spiritu, non dubitandum est, quin id meritus sit Theophilus, eâque virtute realiter præditus fuerit; quo casu minimè condemnabimus eos, qui eâdem authoritate, quâ fecit Lucas, ita agent. Sed nondum probatum est, hunc titulum à Lucâ Theophilo ideo inditum esse, quia eum à patre traxerit, aut diplomate obtinuerit ab hujus orbis Principibus, vel quòd dedisset, nisi verè præstantissimus fuisset & nisi hoc probetur, quod nunquam potest, nihil inde deduci contra nos potest. Idem dici potest de Paulo ad Festum, quem non *nobilem* appellasset, nisi *verè nobilis* fuisset, quod revera fuit in eo, quod illum in causâ suâ audiri voluerit, & furori Judæorum adversus eum non cesserit; non propter aliquem externum titulum, aliunde Festo concessum, ita appellâsset eum Paulus, alioquin eodem modo appellasset Felicem antecessorem ejus, qui eodem fungebatur officio, & eodem honore externo potiebatur; sed, propter ipsius avaritiam, eum ita à Paulo appellari non reperimus.

V. Hic locus non inopportunus videtur, quædam dicere de utendo singulari numero ad singulares; de hoc in linguâ Latinâ nulla est controversia; nam quando unum alloquimur, semper utimur pronomine TU, & qui aliter faceret, contra regulas grammaticas peccaret, & justè incongruitatis condemnaretur; ecquis enim puerulus, grammaticæ rudimenta vix ingressus, qui nesciat, incongruè dici, *vos amas, vos legis*: sed cùm superbia hominum multa infecerit, hac etiam loquendi simplicitate in communibus linguis uti nolunt; vanâ enim sui opinione inflati, quasi non sufficeret iis numerus singularis, volunt ut alii eos alloquantur in plurali. Hinc Lutherus in ludis hunc loquendi modum redarguit & deridet, dicens, *Magister vos es iratus.* Quam etiam corruptionem abundè refutat Erasmus in Colloquiis. De quâ etiam Jacobus Howel, in epistola ad nobilitatem Angliæ, de Gallico & Anglicano Dictionario, commemorat, *tam in Gallia, quam in aliis regionibus, usitatam fuisse vocem* TU *in compellatione*

est enim adulatio, non humilitatis testimonium, eos honores homini tribuere, debentur uni Domino, uni Magistro, uni Deo.

* *Hanc historiam observat Casaubonus lib. de more & consuetudine, pag* 169. His postremis annis vir inurbanus æstimatur, qui nolit sive æquali, sivè inferiori, se ejus servum subscribere. *Sulpitius tamen Severus aliquando acerbè redargutus est à Paulino episcopo Nolensi, quia in epistola semet ejus servum subscripserat, dicendo,* Cave, ne te ejus servum subscribas, qui frater tuus est & conservus, peccami- qui solùm

uniuscujusque; ſucceſſu verò temporis, cùm Romana reſpublica in imperium excreviſſet, aulicos cepiſſe Imperatorem, tanquam poteſtate inſtructum dignitates & officia conferendi, magnificare & alloqui voce Vos, *imò titulis inſignioribus quaſi deificare, quæ de re legimus in Epiſtolis Symmachi ad Imperatores Theodoſium & Valentinianum, ubi his loquendi formulis utitur, videlicet,* Veſtra æternitas, Veſtrum numen, Veſtra ſerenitas, Veſtra clementia. *Adeò ut dictio* Vos, *in numero plurali, unà cum cæteris titulis & honorificis compellationibus videatur primam ſuam originem accepiſſe cum monarchico regimine, quæ deinceps gradatim in homines privatos derivata ſunt.*

Idem teſtatur etiam Johannes Mareſius, de Gallicâ Academia, in præfatione ſui Clovis. *Nemo miretur, vocem* Tu *in hoc opere applicari viris & fœminis principibus. Eádem quippe ipſum Deum compellamus: eademque olim compellarunt Alexandros, Cæſares, Reginas, & Imperatrices. Dictio* Vos, *quando una duntaxat perſona compellatur, non eſt introducta niſi per fœdam aſſentationem hominum poſteriorum ſeculorum, quibus viſum fuit unam numero perſonam in plurali numero alloqui, ut credat ſe vel ſolam pluribus aliis dignitate & præſtantia æqualem eſſe: unde tandem ad infima conditionis homines pervenit.*

Ad eundem modum ait quoque M. Godeau in præfatione ſui N. Teſt. *Malui fideliter retinere expreſſa S. Pauli verba, quàm exactè ſequi ſtilum politum noſtræ linguæ. Eam ob cauſam ſemper utor formulâ Deum compellandi in numero ſingulari, non in plurali, & ideo dico potius* Tu, *quàm* Vos. *Concedo ſanè, urbanitatem & mores hujus mundi poſtulare, ut eo modo honoretur: at è contrario etiam verum eſt, quòd originalis lingua novi Teſtamenti nihil commune habeat cum ejuſmodi moribus & civilitate, adeò ut ne una quidem ex tot antiquis verſionibus, quas habemus, eam obſervet. Non credent homines, quòd non ſatis obſervantiæ exhibeamus Deo, compellando eum per vocem* Tu; *quod tamen longè aliter ſe habet, ſiquidem mihi videor (fortaſſe per effectum conſuetudinis) majeſtatem ejus divinam magis honorare, compellando eum hoc modo, quàm ſi compellarem eum juxta mores hominum, qui tam delicati ſunt in ſuis loquendi formulis.*

Videte, quàm apertè & clarè teſtantur iſti viri, quòd hæc loquendi formula & tituli iſti profani originem ſuam trahant ex fœda aſſentatione horum poſtremorum ſeculorum, & ex delicato faſtu hominum mundanorum, qui has novitates excogitarunt, ut per eas alii aliis mutuos honores exhiberent, prætenſâ, neſcio qua, urbanitate & obſervantiâ.

Scili-

Scilicet tam perversi sunt plerique modernorum Christianorum in commendandis sceleratissimis hominibus & pessimis consuetudinibus, ut vera simplicitas Evangelii planè sit amissa: imò & sua quibusvis hominibus & actionibus nomina dare non solùm in desuetudinem abiit, sed etiam absurdum & horrore plenum censetur ab hujusmodi delicatis assentatoribus, qui huic perniciei & assentationi nomen urbanitatis imponi postulant. Quod porrò iste loquendi modus ex inflato & superbo animo proveniat, inde etiam patet, quia servos & mendicantes singulariter alloquuntur; itemque in orationibus ad Deum singulari utuntur numero: & superior inferiorem ita etiam alloqui solet, sed non patitur superior, ut inferior eum vicissim ita alloquatur, nam id dedecori sibi esse autumat; & sic Deum & mendicum in eâdem categoriâ hominum superbia posuit. Argumentis non opus esse censeo, ad probandum iis, qui congruentem sermonem cognoscunt, nos singulari numero ad singulares uti debere, quod & per totam Scripturam communis dialectus est, quam ita etiam vulgares interpretes interpretantur. Cùm igitur nobis pateat, formulam istam, pluraliter alloquendi homines, ex superbia provenisse, adeòque cum mendacio conjunctam esse, nobis necesse fuit, contra hanc corruptionem testari, singulari ad omnes æqualiter utendo; & licet nulla ratio assignari possit, quare alii nos ea de causa persequantur, præsertim Christiani, qui Scripturæ regulam, cujus hæc est dialectus, sequi se profitentur, incredibile tamen fortasse foret, si dicerem, quantùm hac de causa passi sumus, & quomodo superbi illi furunt, fremunt, & dentes stridet, frequenter verberando & nos concutiendo, quum eos hoc modo singulariter alloquimur, quo in sententia nostra eo magis conformati sumus, quod videamus, hoc veritatis testimonium, quod per omnia nobis dedit Deus ferre, adeo naturam serpentinam in filiis tenebrarum vexare.

VI. Secundò. Proximum his titulis est altera illa honoris pars, quâ utuntur Christiani *in geniculando*, *prosternendo*, & *aperiendo caput* ad invicem in salutationibus suis; Nescio quid habeant adversarii, quo semet in his justificent, nisi exempla quædam *ex veteri testamento* deducta, & *morem nationum*. Prima sunt *Abrahæ ad filios Heth* incurvatio, & *Loti ad Angelos*, &c. Sed, cum has Patriarcharum actiones, ut res gestas, non ut sint nobis regula, Scriptura referat, non debemus illos in omnibus actionibus imitari, licet particularis earum reprehensio non addatur. Scriptura non redarguit Abrahamum, quod Hagarem, vivente Sara, cognoverit; &

si diceremus omnia nobis licere, quæ illi fecerunt, plurima incommoda, omnibus obvia, adduceret. Quod attinet ad *gentium mores* aut *consuetudines*, malam est pro Christianorum hominum actionibus argumentum, meliorem debemus sequi regulam; & sic apparet, quàm parvi ponderis sit, quod pro se habent hac in re dicere. Videamus, si argumenta nostra, quibus adducimur ad ista deponenda & deserenda, non sufficiant ad nos satis propugnandos et fulciendos. Dicimus igitur primò, quòd, cum Deus sit hominis Creator, & cuj cùm animi tùm corporis dedicatio debeatur, solus ille adorandus est, idque non solum *Spiritu*, sed etiam *corporis prostratione. Geniculatio* autem, *incurvatio corporis & apertio capitis* sunt sola externa signa *adorationis nostræ* erga Deum, ideoque non licet iis ad homines uti. Qui ad homines geniculatur & prosternit se, quid amplius Deo agit? Qui incurvat se, & aperit caput ad creaturam, quid amplius creatori reservavit? Ostendit autem nobis Apostolus, quòd *apertio capitis* illud sit, quod à nobis postulat Deus in cultu nostro erga ipsum, 1 Cor. 11. Sed si nos hominibus eodem modo applicamus, ubi est differentia? non in externâ significatione, sed unicè in intentione, quâ Pontificiæ imaginum venerationi porta aperitur, quæ, has omnibus hominibus inflexiones negando, necessariò occluditur. Secundò, cùm omnes homines *creatione æquales* sint, licet in diversis stationibus secundum varias suas relationes positi, tamen adorationum ad invicem non debent, hanc omnes simul Deo reddere oportet, quia *illi & soli ejus nomini omne genu flecti debet*, & *ante cujus thronum viginti quatuor seniores se prosternunt*. Cùm homines hoc sibi ab invicem accipiant aut usurpent, Deum gloriâ suâ spoliant, quia homines omnia respectiva officia ad invicem præstare possunt sine hujus generis inflexionibus, & ideo nulla officii nostri erga homines essentialis pars sunt: sed internus instinctus in omnibus gentibus docuit homines, ut se ad Deum prosternerent, & procul dubio hoc modo incurvatio locum obtinuit, sicuti homines, servili timore corrupti, cæperunt se invicem in Deos exaltare, & sicut ambitiosus animus in aliis duxit eos, ut locum Deorum super fratres suos usurparent. Tertiò, videmus, quòd, quando Cornelius hoc modo ad pedes Petri procidit, recusavit ille, dicens, *se hominem esse*. Num magis igitur, quàm homines, sunt Papæ, aut Petro præstantiores, qui homines quotidiè ad pedes suos procidere, eosque deosculari sinunt? Et hâc ad Cornelium reprehensione abundè ostendit Petrus, tales mores, inter Christianos, admittendos non esse. Imò & noluit Angelus hoc à Johanne accipere, Apoc. 19: 10. 22: 9. ob hanc rationem, *quia conservus tuus sum*, in-

inquit ille, *& fratrum tuorum*, indè abundè significans, minimè licitum esse conservis hoc modo ad invicem se prosternere; & hoc respectu omnes homines conservi sunt. Si dicetur, Johannem voluisse hoc loco *cultu religioso* & non *civili* adorare Angelum; id est affirmare, non probare: neque judicare possumus, illum tunc temporis adeò malè instructum fuisse, ut nesciret, sibi non licere Angelos colere; solùm videtur, propter magna illa mysteria, sibi ab isto Angelo revelata, illi aliquid præter communem amoris respectum significare voluisse, propter quod reprehendit eum Angelus. His consideratis, eorum judicio remittitur, qui veri Christiani seriò esse volunt, num culpandi simus, quia hoc ab hominibus abstrahamus? Qui nos ideo accusant, eâdem ratione Mordecaium accusare possent, qui non minus quàm nos in hoc negotio inurbanus fuit, & hinc nos *rusticitatis* & *superbiæ* incusant, licet testimonium conscientiæ nostræ nos satis in conspectu Dei contra tales calumnias propugnet. Sunt tamen inter nos, qui non ita *rusticè* nec *sordidè* educati sunt, ut id ob defectum educationis omittant, & quidem rationis admodum expertes essemus, si superbiam illam, ut illi opinantur, tàm carè emeremus, ut plerique fecerunt, conscientiæ hac in re libertatem vindicantes, quum ex nobis non pauci sæpius verberati & plures menses hac unica de causa incarcerati fuerint, quia, scil. *superbis superborum hominum cupidinibus*, aperiendo capita, satisfacere non poterant. Innocens autem nostra praxis (dum erecti stemus operti galeris, non moventes vel deponentes eos magis quàm calceamenta, quando alicui occurrimus aut salutamus, cùm illi capitis non minùs, quam hæc pedum operimentum sint) minus in nobis *rusticitatis* aut *barbariei* est, quam in iis, nos proindè *verberare, concutere, incarcerare, affligere & mulctare*, quibus cruciatibus persequuntur nos, quia illis contra conscientiam incurvare non possumus; hoc certè minus, ex eorum parte, *humilitatis & mansuetudinis* est, quàm *superbiæ & ruditatis* à nostra. Nam fac, infirmitas nostra & imbecillitas esset; cùm tamen ita agere Christianæ alicujus legis aut præcepti non sit transgressio, nonne indulgere nobis oportebat, sicut præcepit Apostolus iis fieri, qui carnes edere dubitabant? Et nonne, qui nos proindè persequuntur & calumniantur, inde magis superbi Hamanis sequutores, quàm mitis Christi discipulos esse se ostendunt? Hoc autem fidenter dicere possum ab experientia mea & multorum millium, quod, uncunque stultum vel parvum hoc sapientibus hujus mundi videatur, nobis potius mori, quàm aliter agere, conscientiæ causa, oportebat. Et hoc adeò naturali Spiritui nostro contrarium fuit, ut, cùm necesse nobis fuit,

divino jubente Spiritu, istas *inflexiones*, *suffraginationes* & *ceremonias* deserere, hoc nobis quasi ipsa mors fuerit. Quòd si hoc aliter, salva cum Deo pace, fecisse potuerimus, nos hoc modo ignominiæ & persequutioni mundi nunquam exposuissemus; & licet absit à nobis, eos in his judicare, quibus Deus ejusmodi malum & periculum non ostenderit, tamen minimè dubitamus, quin omnibus illis, qui *se fideles* præstabunt *divino Christi in cordibus suis Lumini*, Deus etiam horum malum ostensurus sit.

VII. Tertiò, de *vanitate* & *superfluitate vestium* dicendum est, in quo duo primò considerandæ sunt, *conditio* & *status personæ*, & *natio*, *ubi habitat*. Minimè dicemus omnes eodem modo esse vestiendos, quia hoc fortè non æquè, neque cum corporibus, nec cum bonis omnium quadrabit, & si quis sobriè & sine superfluitate vestiatur, licet, quoad substantiam & materiam vestimenti, illud, quo vestitur, elegantius & pretiosius sit, quàm illud, quo servus ejus vestitur, non ideo culpandum esse censemus, cùm ille abstineat à superfluitatibus, quibus educatio & conditio ejus assuefecerat illum; fortassè erit in illo major mortificationis actus, quàm abstinentia à panno concinniore in servo, qui tali nunquam assuefactus fuit. Quod attinet ad *nationem* aut *gentem*, ubi degitur, quod naturaliter producit degentibus, vestiri eo vanitatis non est, vel quod communiter in eam importatur, cùm procul dubio creatio sit ad usum hominum. Qui abundant serico, eo vestiri possunt, non minùs quàm lanâ; vel si in istis nationibus degeremus, vel proximè eos, qui auro argentoque abundant, quantum inter nos ferrum & æs, illis non minùs quàm his uti possemus. Hìc jacet iniquitas, primò, quando homines à vanitatis cupiditate, ut semet adornent, non contenti sunt iis, quæ *conditio* eorum fert, aut *patria* communiter producit, sed ea ambiunt, quæ vel à *raritate* vel à pretio pretiosissima videntur, ideoque cupidinem magis fovent: quod ex professoribus modestissimi & maximè temperantes facilè concedent malum esse. Secundò, quando homines non contenti sunt, bonum & necessarium creationis usum facere, sed superaddunt, quæ sunt merè superflua; talis est usus superfluus *taeniolarum*, *redimiculorum*, *fimbriarum*, *limborum* & ejusmodi multa alia, ut *faciei depictio*, *cæsariei plicatura*, quæ sunt ipsæ, libidinosæ & corruptæ naturæ fructus, & non novæ creationis, ut omnes fatebuntur. Et licet omnium optimi & piissimi dicant melius esse, si hæc non essent, tamen illicita non judicant, & fratribus & sociis suis horum usum indulgent, imò & nonnunquam vindicant; sed nos hæc omninò illicita reputamus, ut quæ non decent Christianos, idque ob has rationes.

Pri-

Primò, *Veſtium uſus à lapſu provenit*, nam ſi non lapſus eſſet homo, non videretur veſtium uſum habuiſſe. Hic autem miſerrimus ſtatus eas illi neceſſarias duobus reſpectibus fecit, ad *nuditatem operiendam*, & ad *frigus propellendum*, qui & proprius & præcipuus earum uſus eſt; nullo modo autem licitum homini eſſe poteſt, in fructu iniquitatis ſuæ oblectare ſe, vel res præter realem uſum extendere, vel omnia quæ ſunt ſuperflua ſuperaddere, hoc eſt manifeſtus creationis abuſus, ideoque Chriſtianis illicitum. Secundò, qui volunt ſemet ornare in uſu veſtium, induentes ſe rebus nullum realem uſum aut neceſſitatem habentibus, ſed duntaxat ornamenti gratiâ, apertè declarant, quòd hoc faciant, vel ut *libidini* placeant, quo fine ea præſertim commentata ſunt, vel ut *vano* & *ſuperbo animo* gratificentur, cùm pateat, hunc præcipuum horum finem eſſe; videmus, quàm facilè homines veſtibus inflantur, & quàm vani & ſuperbi ſunt ornamentis his circumſepti: quantum ea abſint à vero Chriſtiano, magnâ demonſtratione non eget. Certè qui tantoperè amant *ſuperfluis* & *vanis veſtibus* indui, oſtendunt, quòd mortificationem & ſui-abnegationem non multùm reſpiciant, & quòd ornare corpora magis quàm animas ſtudeant, & quòd propterea magis nomine quàm re Chriſtiani ſint. Tertiò, diſertè hæc condemnat Scriptura, contrarium commendans & præcipiens, ut Iſa. 3. Quàm ſeverè redarguit Propheta filias Iſrael pro *ornamento periſcelidum, ocellatiſque operibus, myrotheciduis, catelliſque & bracteolis, tiaris, armillis*, &c.? Et nonne igitur mirum eſt, quòd in talibus ſe juſtificent Chriſtiani, à quibus vita magis purificata & exemplaris requiritur? Chriſtus jubet nos de *veſtibus* minimè ſolicitos eſſe, & ut eorum vanitatem oſtenderet, qui in ſplendore veſtium gloriantur, dicit iis, *quòd nec Solomon in omni ſuâ gloriâ coopertus fuit, ſicut lilium agri, quod hodiè eſt, & cras in clibanum mittitur.* Illi autem certè Chriſti verba floccipendunt, qui de veſtibus adeò ſoliciti ſunt, & tantâ induſtriâ utuntur, ut ſemet adornent, & adeò enixè ſe juſtificant, & iraſcuntur, quando propterea redarguuntur; hoc reſpectu admodum poſitivè loquitur Paulus, 1 Tim. 2. 8, 9, 10. *Similiter volo & mulieres in habitu ornato cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa, ſed, quod decet mulieres promittentes pietatem, per opera bona.* Similiter ait Petrus, 1 Epiſt cap. 3. ver. 3, 4. *Quarum non ſit extrinſecùs capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus: ſed*, &c. Hic uterque Apoſtolus diſertè duo exprimunt, quod Chriſtianarum mulierum *ornamentum* (de quibus particulariter

ter loquuntur, ut opinor, quia ille sexus ad istam vanitatem magis proclivis est, & quod fortasse viri eo tempore tali reprehensione non egebant) *externum* esse non debeat, neque *in vestium ornatu* consistere. Secundò, quòd *capillatura* & *auro*, &c. ad ornamentum uti non debeant, quibus ornari tunc mos gentium erat. Sed an non mirum est, quod ii, qui Scripturam regulam suam esse dicunt, & se ab eâ duci prætendunt, non modò adeò frequenter sint in istorum usu, quæ tam apertè Scriptura condemnat, sed etiam in istis se adhuc justificent? Non solùm à talibus abstinentiam quasi virtutem Christianam commendat Apostolus, sed usum eorum, quasi illegitimum, condemnat. Et an non adhuc magis mirum videri potest, quod, contradicentes Apostolorum doctrinæ, quasi statuissent eorum testimonium negligere & rejicere, eos, qui conscientiæ causâ seriò doctrinam Apostolicam sequuntur, condemnent, quasi ita faciendo singulares, superbi & superstitiosi essent? Certè deplorandam denotat apostasiam inter illos, qui se Christianos prædicant, quod illis tantoperè irascuntur, qui Christi & Apostolorum doctrinam sequi amant, denegando & deserendo perituras & mendaces hujus seculi vanitates, & hoc ostendit, istos iis affines esse, qui oderunt redargui, & qui nec ipsi intrare, nec aliis introitum libenter permittere volunt.

VIII. Quartò, considerandus est usus *ludorum*, *comœdiarum*, & *id genus aliorum*, quæ vulgò *recreationes* dicuntur, & quibus communiter utuntur omnia & singula Christianorum genera; sed videamus, num ea consistant *cum gravitate illa* & *pio timore*, quem postulat Evangelium: inspiciamus paululum & consideremus nationes istas, quæ Christianæ dicuntur, sive Pontificiæ sive Protestantes, & videamus, num ulla differentia, nisi in mero nomine & professione, ab ethnicis appareat; nonne eadem stultitia, eadem vanitas, iidem ludi, & idem abusus pretiosi & irreparabilis temporis abundat, & exinde oriuntur altercationes, pugnæ, juramenta, comessationes, & ebriationes? Quodnam autem istis remedium adhiberi potest, dum prædicatores & doctores, & qui populi ductores sunt, talia approbant, neque cum professione Christianitatis repugnantia putant? Et mirum est, quod ista ubicunque tolerentur, & quod inquisitio ea minimè reprimat nec Romæ nec in Hispania, ubi in larvatorum pompis non tantum obscœnitatis, abominationum & atheismi omnia genera apertè aguntur, in ipso orbis conspectu, ad magnum Christiani nominis scandalum, sed etiam è contrà, si quis ista redarguit, deserens ea, & seriò se ad timorem Domini applicat, statim eorum præda est, & cruciatibus

ciatibus affligitur; num ista Christianitati similia sunt, num primitivis Christi ecclesiis congruentia? Certè nullo modo: primò quædam Scripturæ testimonia producam, quæ Christianis de his rebus disertè præcipiunt, & tunc videbimus, an ea cum istis antè nominatis ludis, &c. congruere possint. Jubet nos Apostolus, ut, sivè manducemus, sivè bibamus, vel quodcunque faciamus, totum ad Dei gloriam sit, sed neminem adeò stolidum opinor, ut affirmet, in istorum ludorum usu Deum glorificari. Quod si quis ita dixerit, indè satis apparet, illum nec Deum nec gloriam ejus cognoscere: abundè testatur experientia, quòd in earum rerum usu homines nil minùs, quàm Dei gloriam, animadvertunt, neque aliquid magis, quàm carnalium cupidinum & voluntatum satisfactionem, appetunt. Monet nos Apostolus, ut, *quia tempus breve est, qui emunt, sint tanquam non possidentes; & qui utuntur mundo, tanquam non utentes.* Sed quomodo huic præcepto obtemperant, qui ludorum istorum aliorumque id genus usum vindicant, quibus tempus adeò longum videtur, ut id transigere non possint, neque in curâ animarum, neque curâ necessariâ corporis & externorum, nisi id etiam terant in ludis illis, quasi alio opere carerent, vel ad Deo serviendum, vel generis humani commodo studendum. Jubet nos Petrus, *ut in timore conversemur tempore nostri incolatûs.* Sed quis dicet, quòd, qui ludis, comœdiis, saltationibus, pictis chartis, aleatorio, & id genus aliis utuntur, huic præcepto obtemperent, ubi nihil videndum est, nisi vanitas, lascivia, & obscænitas commentata, nimirum, ut à timore Dei homines retrahantur per ejusmodi inventa ad diaboli ministerium. Nullum officium frequentiùs præcipitur, neque Christianis magis incumbit, quàm timor Domini, *ut* scil. *coram illo timeamus, & quasi in conspectu ejus ambulemus*, sed, qui istis ludis utuntur, si à conscientiis loqui volunt, non dubito, quin experimenter declarare possint, quòd inter ludendum hunc timorem oblivisCuntur; & quòd, si Deus eos secreto suo lumine tangat, utuntur lusu, ut remedio ad timorem illum & sensum Domini amovendum, *& sic gaudent super justo, quem in semetipsis interfecerunt & crucifixerunt.* Deindè, si animadvertendę sint Christi ratiocinationes, qui ait, *bonus homo de bono thesauro profert bona, malus homo profert mala de malo thesauro. Et quod de omni verbo otioso vel inutili, quod loquuti fuerint homines, rationem reddent in die judicii*, facilè colligi potest, è quali thesauro inventiones istæ procedunt; & adhuc faciliùs probatur, eundem malum & non bonum esse. Quot inutilia verba necessariò ludi illi producunt? Imò, quid sunt comœdiæ, nisi inutilium & mendacium verborum complicatio?

1 Cor. 7: 30.

1 Pet. 1: 17.

Matth. 12: 36.

Reſpondeant mihi homines, qui animas ſuas immortales eſſe credunt, & diem futurum, quo oportet nos uniuſcujuſque inutilis verbi rationem reddere. Quomodo rationem reddent in magno illo & terribili die iſtorum omnium inutilium verborum, quibus neceſſariò utebantur in ſaltationibus, ludis, aſtragalizando & comœdias faciendo &c? Cæterùm quî fit, quòd Chriſtiani hæc non condemnent, ſed approbent, imò plerique, Chriſtiani dicti, totam ætatem in iſtis conſumant, adeoque artem ſuam & induſtriam faciant, quales ſunt ſaltandi magiſtri, & comœdiarum actores; quorum infernales converſationes ſatis demonſtrant, cui domino inſerviant, & cui fini iſta contribuant; neque negari poteſt, cùm manifeſtâ prædeat experientiâ, quòd illarum artium Magiſtri, & qui iis maxime delectantur, (ſi non aperti ſint athei & profligati) tales ſunt utplurimùm, qui religionem aut animarum curam minimum ſuum negotium faciunt: ſi autem iſta à Chriſtianis denegata eſſent, quaſi profeſſioni eorum repugnantia, illa omnia removerentur, & homines iſtos ad alias honeſtas artes convertere ſe oporteret, ſi hæc faciendo non foverentur & ſuſtentarentur. Et ſicut hoc modo magnum Chriſtiani nominis ſcandalum & offenſa amoveretur, ita etiam pro parte aliquâ removeretur illud, quo provocatur Dominus, benedictionem ſuam abſtrahere, & quarum rerum occaſione plurimorum animæ in tenebris remanent, & in ſenſualitate, libidine & voluptatibus mundanis immerſi ſunt, ſine ullo vel Domini timoris vel ſalutis ſuæ ſenſu. Ex Patribus, ſic dictis, quamplurimi, ſicut alii viri graves & religioſi, multùm ea fleverunt, & abjicienda eſſe ſignificârunt, quorum multæ citationes ad ſuprà dicta confirmanda adduci poſſint, ſed eas, brevitati ſtudens, de induſtria omiſi.

IX. Sed *objiciunt*, non poſſe hominum ſpiritus ſubſiſtere, ſi rebus ſeriis & ſpiritualibus ſemper intenti eſſent, & ideo innocentibus quibuſdam recreationibus opus eſſe ad animum aliquando relaxandum, quo paululùm refectus majore vigore ad iſta ſe applicare poſſit. *Reſpondeo*, licet totum hoc concederetur, nihil contra nos militaret, neque vindicaret uſum eorum, quæ nos omninò deponenda & abjicienda cenſemus. Quod autem neceſſe ſit hominibus eſſe ſemper in eâdem animi intentione erga res ſpirituales, non contendimus, cum id impoſſibile nobis eſſe, quamdiu hoc tabernaculo veſtimur, abundè noverimus. Hoc tamen nos ita à memoriâ Dei, & animæ curâ abſtrahere non debet, ut non ſemper aliquem timoris ejus ſenſum retineamus, quem ſenſum retinere nemo poteſt in eorum uſu, quæ nos hactenus condemnavimus. Neceſſariæ autem illæ occaſio-

occasiones, quibus omnes involvuntur ad sustentationem & curam exterioris hominis, relaxatio quædam animi sunt à gravioribus officiis vitæ futuræ; eæque externæ occasiones in benedictione præstantur, sicut animus amore Dei & sensu præsentiæ ejus fermentatur, ita ut in eorum peractione divinam illam influentiam, & spiritualem habitum secum gerat, quò, licet illi actus, sicut edendi, bibendi, dormiendi, laborandi, sint materialiter iidem cum illis, qui ab improbis aguntur, tamen alio spiritu fiunt, & in iis agendis Deo placemus, illique servimus, & fini creationis nostræ respondemus, & sic sensibiles sumus benedictionis Domini. Improbi autem & profani, cùm ad hunc statum non venerint, in quocunque occupantur, impii sunt, & peccant, cùm arant, non minùs, quàm cùm orant. Si autem aliquis *contendat*, propter animi relaxationem, libertatem concedendam esse, etiam præter ea, quæ absolutè necessaria sunt ad exterioris hominis sustentationem; non contra *contendam*, modò ea non sint omninò superflua, neque ea, quæ naturaliter tendunt, animum ad libidinem, vanitatem & levitatem ducere, uti *scil.* eo fine præcipuè inventa, & ut plurimùm, secundum manifestam experientiam, illos effectus producentia, ut nota media, quibus illi, qui in illis malis sunt, se invicem in iniquitatibus suis fovent, & malitiam suam & nequitiam propagant, ad alios inficiendos; cùm res aliæ innocentes inveniri possent, ad animi relaxationem sufficientes, sicut mutuæ inter amicos visitationes, historiæ lectio, sobriæ de rebus præteritis vel præsentibus interlocutiones, perambulationes in hortis, vel campis, ibique moderatè agrum parare, vel geometriam experiri, & alia ejusmodi; in quibus omnibus non ita Deum obliviscì oportet, *in quo & vivimus & movemur*, ut non semper habeamus secretam ad eum reservationem, & timoris ejus ac præsentiæ sensum, qui & frequenter exurgit in mediis istis, brevibus quibusdam respirationibus; & ut hoc neque mirum, neque tædiosum videatur, uno exemplo manifestum faciam. Secundum omnium hominum experientiam negari non potest, quin oporteat homines diligere Deum super omnia; patet etiam, quod, qui amore capti sunt, sive fœminæ, sive alius cujuslibet rei, si modo magnum in corde locum acceperit & animum possederit, difficile erit homini ita amanti, illius personæ vel rei amatæ memoriam ab animo expungere, imò inter edendum, & inter dormiendum illuc semper inclinabit animus, & quocunque negotio, vel recreatione versatur, utut ei intentus sit, breve admodum excidet spatium, quin animus erga rem amatam ejaculationem emittat. Sed dicet talis amator necessa-

riò versetur in iis, quæ cura & sustentatio exterioris hominis requirit, fugiet tamen, tanquam ipsam mortem, illud, quicquid sit, quod offendat istud, quod amat, consilio *scil.* obtinendi illud, quod tantoperè expetit, & licet istius, quod fugit, aliquis appareat usus, magnum tamen & præcipuum objectum, quod principaliter prosequitur, trutinam præponderabit, & sic faciliùs & potius omittet & negliget minores istas necessitates, quàm maximum & præcipuum objectum periculo illud amittendi exponet. Quod autem debeant homines hoc modo Dei amore imbui, nemo negare potest, & res ipsa patet ex istis Scripturæ locis, Matth. 6: 20. *Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo.* Col. 3: 1 *Quæ sursum sunt, quærite* &c. Quod hoc autem quorundam etiam fuerit experientia, Scriptura declarat, Psal. 63: 1 84: 2. 2 Cor. 5: 24.

Rursus, quòd isti ludi, *recreationes* sic dictæ, *comœdiæ*, & *saltationes*, naturaliter non solùm tendant ad animum à Dei amore amovendum, memoriam cœli, gehennæ & judicii expungendo, sed quod etiam foveant *libidinem, vanitatem & levitatem*, ideoque à talibus summoperè amentur, qui iis frequentissimè utuntur, experientia abundè probat, & ex omnibus solidissimi & gravissimi hoc fatentur, cujus facilis est applicatio.

X. Quintò, praxis ista de *juramentis* consideranda est, cujus tam frequens usus est apud omnes ferè Christianos, non solùm profana apud profanos, in vulgaribus eorum colloquiis, quibus sacrosanctum Dei nomen horrendo modo quotidiè blasphematur, sed solennia etiam apud eos, qui speciem aliquam pietatis habent, quorum plerique tanto zelo juramenta coram Magistratu defendunt, ut non tantùm quacunque oblatâ occasione ipsimet ea præstent, verùm etiam Magistratus incitent ad persequendos eos, quibus ex obedientiâ erga Christum magistrum ac dominum nefas est jurare: cujus rei causâ, inter cæteros, non pauci fratrum nostrorum incarcerationibus & bonorum confiscationibus pressi ac mulctati sunt.

Verùm si perpendantur clara illa Salvatoris nostri verba, Matth. 5: 34. ---37. Iterum audistis, quia dictum est antiquis, Non pejerabis, reddes autem Domino juramenta tua: *Ego autem dico vobis, non jurare omninò, neque per cœlum*, &c. *sit autem sermo vester, est, est; non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.* Et Apostoli Jacobi, 5: 12. *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum: sit autem sermo vester, est, est; non, non: ut non sub judicium decidatis.* Si perpendantur, inquam, clara ista verba, dignum est admiratione, posse aliquem, qui Christi nomen profitetur, quietâ

quietâ conſcientiâ ullum juramentum pronunciare; nedum alios Chriſtianos, ob Chriſti magiſtri ſui autoritatem à juramentis abhorrentes, perſecutionibus opprimere. Nam ſi quis velit ſeriò, imò rigidiſſimo modo, prohibere certam aliquam rem, ſub genere aliquo comprehenſam, putasne illum uſurum eſſe prohibitione ampliore ac generaliore, câque ſine ulla exceptione? Non puto. Sed Chriſtus Primò negativè nobis proponit: *Nolite jurare omninò, neque per cœlum, neque per terram, neque per Hieroſolymam, neque per caput tuum*, &c. Et rurſum, *Nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque* aliud quodcunque *juramentum*. Secundò affirmativè inculcat: *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt; non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt*: Et Jacobus *ne in condemnationem incidatis*.

Quæ verba omnia & ſingula tam firmam & generalem prohibitionem conſtituunt, eamque ab omni exceptione liberam, ut mirum ſit, quâ ratione homines, *qui Scripturam ſacram fidei & vitæ ſuæ normam eſſe gloriantur*, exceptionem fingere audeant. Certè ratio debebat unumquemque docere, quòd non liceat generalem prohibitionem à Deo profectam illudere hujuſmodi oppoſitione, niſi ipſa exceptio adeò clarè & perſpicuè legatur atque prohibitio; neque ſufficit, conſequentiis & probabilitatibus agere & niti velle, quæ obſcuræ ſunt ac incertæ, & ne minimam quidem quietem conſcientiæ afferunt. Nam ſi dicant, in his verbis limitationem atque exceptionem ideo contineri, quia in aliis generalibus prohibitionibus hujus quinti capitis apud Matthæum exceptiones inveniantur, veluti in prohibitione divortii, ubi Chriſtus ait; *Dictum eſt autem, Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum repudii: ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam*, exceptâ fornicationis cauſâ, *facit eam mœchari*; ſi id dicant, inquam, non ſolùm fruſtra laborant, ſed etiam contra ſe pugnant ipſi, quandoquidem illius generalis prohibitionis & mandati de *non jurando* nullam exceptionem producere poſſunt, quam Deus poſt factam per Chriſtum prohibitionem alicubi ſub novo fœdere tam clarè expreſſerit, ut in ipſâ prohibitione ſit: proinde ſi Chriſtus juramenta illa, *quæ fiunt coram Magiſtratibus* excipere voluiſſet, ſine dubio id expreſſiſſet formulâ, *niſi in judicio, coram magiſtratu*, aut ſimili; ſicut fecit in titulo de divortio, his verbis, *exceptâ fornicationis cauſâ*: quæ cùm ita ſint, haudquaquam nobis licebit hîc excipere aut diſtinguere, vel, quod idem eſt, generalem Chriſti prohibitionem enervare; multò minùs ſanctitati Chriſtianæ conſentaneum erit, crimina tot juramentorum, quæ paſſim in orbe Chriſtiano vi hujus exceptionis ac corruptelæ fiunt, in capita noſtra cumulare.

Neque

Neque verò hìc omittendum eſt, quòd haud dubiè omnes eruditi doctores quarumcunque ſectarum norunt, prædicta verba in tribus prioribus ſeculis poſt Chriſtum natum de prohibitione quorumvis juramentorum ab antiquis patribus intellecta fuiſſe: non injuriâ igitur miramur, Papales doctores & ſacrificos juramento ſe obſtringere, quod velint Scripturam ſacram ſemper explicare ſecundum univerſalem expoſitionem antiquorum patrum, qui tamen textus controverſos in genere aliter intellexerunt, ac illi moderni doctores hodiè faciunt: imò indè etiam vanitas & inanis certitudo traditionum Papalium liquidò patet; nam ſi ex ſcriptis patrum, ſic dictorum, fides eccleſiæ illorum ſeculorum demonſtrari poteſt, utique illi à fide eccleſiæ priorum trium ſeculorum in puncto de prohibitione juramentorum deſciverunt. Cœterùm quia non ſolùm Papicolæ, ſed etiam Lutherani & Calviniani, atque alii nonnulli, verba Chriſti & Jacobi reſtringunt, operæ pretium me facturum puto, ſi fundamenta inania, quibus ipſorum in hac re præſumptio innititur, ob oculos ponam.

XI. Primò igitur *objiciunt*, Chriſtum ſolummodo prohibere omnia illa juramenta, quæ fiunt per creaturas & res creatas; idque probant exco, quia nonnulla talia enumerat. Secundò, omnia temeraria & vana juramenta in familiaribus colloquiis; quia inquit, Sit ſermo veſter, *eſt*, *eſt*; *non*, *non*. Ad quæ *reſpondeo*, Primò, Legem prohibuiſſe omnia juramenta quæ fiunt per creaturas, necnon omnia vana & temeraria juramenta in noſtris quotidianis ſermonibus; & mandaſſe ut jurarent ſolummodò per nomen Dei, idque nec falſò nec temerariè, nam hoc eſt nomen ejus in vanum uſurpare. Secundò, evidentiſſimum eſt, Chriſtum hìc prohibere aliquid, quod ſub Lege liberum erat, *videl.* per nomen Dei jurare; quia ſub Lege nemini licuit jurare, niſi per Deum ipſum: & quia ait, neque per cælum, quia thronus Dei eſt, ideoque excludit omnia omnino juramenta, etiam ea quæ fiunt per Deum; ait enim cap. 23: 22. qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper eum: quod intelligendum eſt etiam de cæteris. Tandem, ut hanc rem extra controverſiæ limites poneret, ſubjungit, *neque per quodcunque juramentum*: undè, quandoquidem jurare coram magiſtratu per Deum ſit juramentum, procul dubio hìc prohibitum eſt.

Secundò *objiciunt*, his verbis juramenta per Dei nomen prohiberi non poſſe, quoniam Pater cœleſtis ea præcepit, Pater autem & Filius ſunt unum, quod certè non eſſent, ſi Filius prohiberet id, quod Pater præcepit. *Reſp.* Sunt profectò unum, & non poſſunt ſibi invicem contradicere; tamen

men hoc non obstante Pater sub antiquo fœdere, quod habuit umbram solùm bonorum futurorum, non ipsam substantiam rerum, Judæis multa, quæ umbræ & figuræ erant, propter eorum infirmitatem, ad certum tempus dedit, donec veniret Christus, qui erat substantia, & quo adventante omnia illa evanescebant; *viz.* sabbatis, circumcisione, agno paschali, sacrificiis utebantur tunc homines, qui in controversia cum Deo, & alii cum aliis vivebant, quæ omnia abrogata sunt in adventu Filii, qui substantia, sermo æternus & essentiale juramentum ac Amen Dei est, in quo quotquot promissiones Dei sunt, per ipsum EST & Amen Deo sunt: qui venit, ut homines ex controversia redimeret, & ut finem faceret omnis controversiæ.

Tertiò *objiciunt*, Sed juramenta non sunt ceremoniæ nec pars Legis ceremonialis, quia in usu fuerunt diu ante Legem promulgatam. *Resp.* Non obstat, nisi monstretur æternum & immutabile ac morale præceptum esse; imò nec tam antiquæ originis sunt atque frugum decimæ & primitiæ agrorum, quæ ab Abele & Cajino oblatæ sunt dudum ante Legem ceremonialem, nedum ante usurpationem juramentorum, quæ, quicquid etiam contrà afferatur, haud dubiè ceremoniæ erant, atque ea propter nunc illicita.

Quartò *objiciunt*, Jurare per nomen Dei est præceptum morale, & æternæ durationis; quia annotatur cum essentiali & morali suo cultu, Deut. 6: 13. & 10: 20. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies: ipsi adhærebis, jurabisque in nomine illius. *Resp.* Hoc non probat, quòd sit morale & æternum præceptum; nam Moses id addit omnibus præceptis & ceremoniis in diversis locis: ut Deut. 12. dicens; Et nunc, Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua; custodiasque mandata Domini, & ceremonias ejus, quas ego hodiè præcipio tibi: Et cap. 14: 23. timor Domini commemoratur unà cum decimis, & immundis. Sic etiam Lev. 19: 2. 3. 6. Sanctitates, sabbata, timor parentum, commemorantur unà cum juramento.

Quintò *objiciunt*, Juramenta solennia, quæ Deus præcepit, non possunt hic prohibita esse à Christo, ait enim, quòd à malo sint: atqui illa non fuerunt à malo, nam Deus nunquam præcepit quicquam, quod malum esset aut à malo. *Resp.* Sunt quædam quæ bona sunt, quia jussa; & mala, quia prohibita: alia quæ jussa, quia bona; & prohibita, quia mala sunt. Sicuti circumcisio, & juramenta, quæ bona fuerunt, quando & quia jussa sunt,

ſunt, & nullo alio reſpectu; & rurſus, quando & quia prohibita ſunt ſub Evangelio, mala.

Atqui in omnibus Judaicis conſtitutionibus, quantumcunque ceremoniales erant, fuit aliquid boni, ſuo *ſcil.* tempore, quatenus præfigurant aliquid boni: ſicut per circumciſionem, purificationes, & alia, præfigurabatur ſanctitas Dei, & quod Iſraelitas decebat eſſe ſanctos, ſicut Deus ipſorum ſanctus eſt. Ad eundem modum juramenta ſub umbris & ceremoniis præfigurarunt Dei veritatem, fidelitatem & certitudinem adeòque nos ipſos debere in omnibus veritatem loqui, teſtari & excogitare. Sed teſtificatio veritatis fuit ante omnia juramenta, & manet manebitque abolitis omnibus juramentis; atque hoc eſt morale omnium juramentorum, & quamdiu homines in eo perſeverant, nec neceſſitas nec locus datur juramentis, teſte Polybio, qui dicit; *Rarus apud veteres jurandi uſus fuit in judiciis, ſed creſcente perfidia crevit jurandi uſus.* Huic adſtipulatur Grotius, inquiens, *Juramentum non aliter quam medicamentum, urgente neceſſitate, uſurpandum: non adhibetur jusjurandum niſi ad ſubveniendum defectui. Levitas hominum & inconſtantia diffidentiam genuit, cui remedium quæſitum eſt jurejurando.* Baſilius Magnus ait; *Juramenta effectus ſunt peccati.* Ambroſius: *Juramentum eſt tantùm in condeſcendentia ad defectum.* Chryſoſtomus; *Juramentum intravit, cùm malum accreſceret, cùm homines fraudes ſuas exercerent, cùm omnia fundamenta everſa eſſent. Juramentum originem ſuam accepit ex defectu veritatis.* Hæc & his ſimilia complures alii cum prædictis autoribus teſtantur. Sed quid opus eſt teſtimoniis, ubi evidentia rerum ipſa loquitur? Nam quis coget aliquem ad jusjurandum, de quo certò perſuaſus eſt, eum abhorrere à mendaciis in verbis ſuis? Et contrà, veluti Chryſoſtomus & alii dicunt, *Cujus rei cauſa ad jurandum adiges eum, quem non conſidis dicturum eſſe veritatem?*

XII. Quod igitur à principio non fuit, quod in principio nullius uſûs erat, quod principium ſuum ab initio non habuit ex voluntate Dei, ſed ex opere diaboli, ex malo cauſatum, *videl.* ex infidelitate, mendacio, dolo; & quod primariò ſolum ab hominibus excogitatum eſt, tanquam remedium mutuum hujus mali, in quo nomina ſuorum idolorum invocabant; imò quod (teſte Hieronymo, Chryſoſtomo, & aliis) à Deo Iſraelitis, tanquam pueris, conceſſum eſt, ut abſtinerent ab idololatricis juramentis gentilium, Jerem. 12: 16. quicquid tale eſt, inquam, longè abeſt à morali & æterno præcepto; & tandem quicquid propter ſuam profanationem & abuſum

abusum peccatis implicat, qualiter juramenta his temporibus abundè faciunt, toties jurando & rursus abjurando, multum differt à necessario & æterno hominis Christiani officio. Sed Juramentum hoc se habet modo. Ergo.

Sextò *objiciunt*: Juravit Deus, ergo jurare est bonum. *Respondeo* cum Athanasio, „ quandoquidem certum est, jurisjurandi proprium esse per „ alium jurare, exinde liquet, quòd Deus, propriè loquendo, nunquam „ juraverit, sed impropriè: unde hominibus loquens jurare dicitur; quia „ ea, quæ loquitur, ob firmitudinem & immutabilitatem voluntatis ejus, „ pro juramentis reputanda sunt. Confer Psal. 110:4. ubi legitur, Juravit „ Dominus, & non pœnitèbit eum, *&c.* Per me inquit, Juravi: atqui illud „ juramentum non est; non enim per alium juravit, quod proprium est „ jurisjurandi, sed per seipsum. Non igitur Deus hominum more jurat, „ neque nos ex ista re ad juramenta facienda induci oportet, sed talia dicamus & faciamus, & tales nos exhibeamus loquendo agendoque, ut „ apud auditorem jurejurando non indigeamus, & ex se habeant verba „ nostra testimonium veritatis: eâ enim ratione planè imitabimur Deum. *Athan. in pass. & cruc. Dom.*

Septimò *Obji.* Christus juravit, & nos debemus eum imitari. *Respondeo*, quòd non jurârit Christus; imò licet jurasset, cùm adhuc sub Lege fuit, hoc nos sub Evangelio nequaquam obligaret, sicut nec circumcisio, vel agni paschalis celebratio. De qua re Hieronymus ait, „ Omnia nobis servis „ non convenire, quæ Domino conveniunt, *&c.* Juravit Dominus, quasi „ Dominus, quem jurare nemo prohibebat: nobis, quasi servis, jurare „ non licet, qui Domini nostri Lege jurare vetamur. Verùm ne in ejus „ exemplo scandalum patiamur, ex quo tempore jurare nos noluit, nec „ ipse juravit. *Hier. lib. Ep. part. 3. tract. 1. Ep. 2.*

Octavò *Obji.* Paulus juravit, & quidem sæpè. Rom. 1:9. Phil. 1:8. dicens, Testis enim mihi est Deus. 2 Cor. 11:10. Est veritas Christi in me. 2 Cor. 1:23. Ego autem testem Deum invoco in animam meam. Veritatem dico in Christo, non mentior. Rom. 9. Ecce coram Deo, quia non mentior. Gal. 1:20. Et sic jusjurandum ab aliis petiit. Obtestor, inquit, ego coram Deo & Domino Jesu Christo. 1 Thess 5:27. Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus fratribus. Hoc autem Paulus non feciſſet, si omnia juramenta promiscuè per Christum, cujus erat Apostolus, prohibita fuissent. Sed ad hæc omnia *Resp.* Primò, quod usurpationes hujusmodi formularum loquendi neque juramenta sint, neque ab adversa nostra parte tanquam juramenta suscipiantur: nam

quando, datâ occasione, in rebus magni momenti diximus, *loquimur veritatem in timore & coram facie Dei, qui nobis testis est, & scrutator omnium cordium*, adhibitis hujusmodi seriis contestationibus, quas nunquam in rebus ponderosis recusavimus, tunc insuper à nobis postulatum est juramentum, cum adjecta ceremonia impositionis manûs super librum, cum osculo libri, vel elevatione manûs aut digitorum, additâ communi imprecandi formulâ, *Ita me Deus juvet*, vel *Tam verè juvet me Deus omnipotens.* Secundò, Hoc sententiæ adversariorum contradicit; quia Paulus neque coram magistratu fuit, qui ab eo juramentum postulavit; neque ipse magistratûs officium administravit, quò alicui juramentum detulit. Tertiò, Quæstio non est, quid fecerit Paulus vel Petrus, sed quid docuerit eorum & noster Dominus; & si Paulus jurasset (quod non credimus) peccasset contra præceptum Christi; imò secundum ipsorum sententiam, quia juravit non coram magistratu, sed in epistolis ad fratres.

Nonò *obji.* Jesaias cap. 65: 16. loquens de temporibus Evangelicis, ait, Qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo Amen; & qui jurat in terra, jurabit in Deo Amen: tunc, quando oblivioni traditæ sunt angustiæ priores; & tunc, quando curabit Deus cœlos novos & terram novam, Ergo his temporibus jurare debemus per nomen Dei. *Resp.* Frequens est Prophetis, ut maxima temporum Evangelicorum officia terminis Mosaicis exprimant: quod patet inter cætera ex Jer. 31: 38. 39. 40. Ezech. 36: 25. & 40. & Jesa. 45: 23. *In memet ipso juravi, quia mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua.* Ubi justitia novæ Hierosolymæ, puritas Evangelii cum ejusdem spirituali adoratione, & professio nominis Christi exprimuntur sub formulis loquendi antiquæ Hierosolymæ usitatis, sub ablutione Legis, sub nomine ceremoniarum, templi, servitiorum, sacrificiorum, juramentorum, *&c.* imò illud, quod Propheta hic ait de jurejurando, Apostolus Paulus disertè exponit de confessione, inquiens Rom. 14: 11. *Scriptum est enim, Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Quibus probè consideratis, neminrobscurum esse potest, quòd ea verba, quæ Propheta scribit sub Lege, cùm juramenta ceremonialia in usu essent, videl. *omnis lingua jurabit*, ab Apostolo vivente sub Evangelio, cùm jam juramenta illa abolita essent, exprimantur per *omnis lingua confitebitur.*

Decimò *Obji.* Sed Apostolus Paulus approbat juramenta usitata inter homines, quando scribit Heb. 6: 16. Homines enim per majorem se jurant; & omnis controversiæ eorum finis est ad confirmationem & juramentum:

Atqui

Atqui tam multæ sunt lites, tot fallaciæ, & diffidentiæ hoc tempore, ac unquam fuerunt: Necessitas igitur juramentorum adhuc hodie remanet. *Resp.* Apostolus quidem hoc loco dicit, quid fecerint homines istius temporis, qui in controversiis & incredulitate vivebant; non quid debuerint feciſse, nec quid fecerint sancti, qui ex litibus & incredulitate redempti erant, & venerant ad Christum, veritatem & Amen Dei. Proindè alludit solùm ad consuetudinem quandam inter homines frequentem, ut exprimat firmitatem divinæ promissionis, atque ut in sanctis tantò majorem fiduciam erga Deum promittentem excitet, non verò ut eos contra Domini sui legem ad jurandum instiget, aut in eo confirmet: nequaquam, nam nec 1 Cor. 9: 24. Christianos docere vult vanos cursus, quibus homines sæpenumerò, etiam cum interitu corporum suorum, fatigantur ad consequendum corruptibile præmium. Sic nec Christus, qui pacis Princeps est, discipulos suos bellare docuit, quanquam Luc. 14: 31. commemorat, quid Reges ad belligerandum assuetos, ceu prudentes bellatores, facere oporteat. Secundò, quod concernit lites, perfidias & diffidentias inter homines, quas in tantum crevisse adversarii asserunt, ut hodie juramenta æquè necessaria sint, ac unquam fuerint; id nequaquam inficiamur, videmus enim & quotidianâ experientiâ docemur, omnis generis dolos & malitias invaluisse inter homines mundanos & pseudo-Christianos, non autem inter veros Christianos: exinde tamen, quia alii aliis confidere non possunt, ac propterea mutuis juramentis alii alios onerant, haudquaquam sequitur isto modo agi debere inter veros Christianos, quos Christus ad veritatem, ad fidem & fiduciam, tam erga Deum, quàm erga ipsos mutuò perduxit, ac insuper ex litibus, perfidiis, indeque pullulantibus juramentis liberavit.

Undecimò *objt.* Concedimus, inter veros Christianos non opus esse juramentis, verùm quâ ratione eosdem infallibiliter agnoscemus? Sequitur ergo, necessaria esse adhuc hodie juramenta, & licere Christianis jurare, nimirum ut acquiescere possint illi, qui vel hunc vel illum Christianum non agnoverunt. *Resp.* Nullo modo licet jurare Christiano, quem Dominus vocavit ad essentialem suam veritatem, quæ fuit ante omnia juramenta, eumque vetat jurare, & contrà præcipit in omnibus dicere veritatem, ad honorem Christi, qui vocavit eum; ut appareat, verbis discipulorum ejus, tam firmiter credi posse, quàm juramentis omnibus hominum mundanorum. Neque licet iis hac in re esse infideles, ut allis placeant, vel ut detrimentum suum avertant: & hoc pacto primitivi Christian per aliquot

ſecula fideles manſerunt, qui ad jurandum poſtulati ſimpliciter uno ore omnes reſponderunt; *Chriſtianus ſum, non juro.* Quid dicam de ethnicis, quorum quidam ad hunc gradum pervenerunt? Refert enim Diodorus Siculus, lib. 16. *porrectionem dextera manûs fuiſſe inter Perſas ſignum veritatis in loquendo*: & Scythæ, Qu. Curtio autore, in ſuis colloquiis cum Alexandro Magno, dicebant, *Noli putare Scythas amicitiam ſuam jurejurando confirmare; jurant promiſſis ſtando.* Stobæus Serm. 3. narrat, Solonem dixiſſe; *Virum bonum decet eſſe in ea æſtimatione, ut juramento non egeat, quoniam honoris ipſius diminutio cenſenda eſt, ſi ad jurandum adigatur.* Pythagoras in oratione ſua inter cætera hoc axioma, tanquam ſymbolum reipublicæ adminiſtrationem concernens, protulit: *Nemo Deum juramento teſtem invocet, ne quidem in judicio; unuſquiſque autem ſic loqui aſſueſcat, ut dignus evadat cui credatur etiam ſine juramento.* Baſilius Magnus laudat Cliniam ethnicum, *quòd tria talenta, quæ faciunt circiter tria millia florenorum, numerare, quàm juramentum deponere, maluerit.* Socrates, referente Stobæo Serm. 14, hanc produxit ſententiam, *Bonorum virorum officium requirere, ut mundo demonſtrent, mores & actiones ſuas firmiores eſſe juramentis*: idem fuit judicium *Iſocratis.* Plato etiam contra ſolennia juramenta in judiciis ſtetit: de Leg. 12. Quintilianus commemorat, *olim fuiſſe ſpeciem infamiæ, ſi cui deferretur jusjurandum; hominem verò nobilem ad jurandum adigere, fuiſſe inſtar examinis carnificinæ.* Marcus Aurelius Antoninus, Romanorum Imperator, inquit in ſua deſcriptione *Viri boni, integritatem verè boni viri talem eſſe, ut non opus ei ſit juramentis.* Sic etiam nonnulli Judæi teſtati ſunt, referente Grotio ex Maimonide, *Optimum eſſe pro homine, ſi abſtineat ab omni juramento.* Eſſeni, quemadmodum Philo Judæus memorat, *ſua verba firmiora juramentis æſtimarunt; & juramenta apud eos habita ſunt ceu res ſupervacaneæ.* Et Philo ipſe, loquens de tertio præcepto, judicium ſuum hoc modo exponit, videl. *melius eſſe omnino non jurare, ſed ſe adſueſcere ſemper veritatem loqui, ut nuda verba vim juramenti habeant.* Et alibi, *magis naturæ rationali conſentaneum eſſe, omnino abſtinere à juramentis*; conſilium dans ac ſuadens, *ut omnia, quæcunque loquitur vir bonus, pro juramentis valere poſſint.*

Quis ergo diutiùs dubitabit, Chriſtum, cùm vellet diſcipulos ſuos ad ſummum perfectionis gradum perducere, jusjurandum tanquam elementum infirmorum abrogaſſe, & ejus loco veritatis uſum ſtabiliviſſe? Quis jam poteſt ampliùs cogitare, pios martyres & antiquos patres priorum

trium

trium seculorum, & complures ab illo tempore adeò se juramentis opposuisse, & objurgasse solummodo vana & temeraria juramenta per creaturas, vel idola ethnicorum, quæ etiam prohibita sunt sub Lege Mosaica; neque objurgasse etiam jusjurandum per verum Deum in veritate & justitia, quæ ibi mandata erat? Sicuti Polycarpus, Justinus Martyr Apol. 2. & complures martyres, referente Eusebio, Tertullianus in suo Apolo. c. 32. ad Scap. cap. 1. 2. de idololat. c. 11. Clemens Alexandr. Strom. lib. 7. Origen. in Matth. Tract 25. Cyprianus lib. 3. Athanas. in pass. & cruc. Domini Christi. Hilarius in Matth. 5. 34. Basilius Magn. in Ps. 14. Greg. Nyssenus in Cant. Orat. 13. Greg. Nazianzenus in dialog. contra juramenta. Epiphanius adversus hæres. lib. 1. Ambros. de Virg lib. 3. idem in Matth. 5. Chrysostomus in Genes. homil. 15. Idem homil. in Act. Apost. cap. 3. Hieronymus Epistol. lib. part. 3. Ep. 2. Idem in Zach. lib. 2. cap. 8. Idem Matth. lib. 1 cap. 5. Augustinus de serm. Dom. serm. 28. Cyrillus in Jerem. 4. Theodoretus in Deut. 6. Isidorus Pelusiota Ep. lib. 1. Epist. 155. Chromatius in Matth. 5. Johannes Damascenus l. 3. c. 16. Cassiodorus in Psal. 94. Isidorus Hispalensis cap. 31. Antiochus in Pandect. script. hom. 62. Beda in Jac. 5. Haimo in Apoc. Ambrosius Ansbertus in Apoc. Theophylactus in Matth. 5. Pascasius Ratbertus in Matth. 5. Otho Brunsfelsius in Matth. 5. Druthmarus in Matth. 5. Euthymius Eugubinus Bibliotheca vet. patr. in Matth. 5. OEcumenius in Jac. 5. 12. Anselmus in Matth. 5. Waldenses, Viclevus, Erasmus in Matth. 5. & in Jac, 5. Quis poterit hæc loca perlegere, ac diutius dubitare de eorum sententia in hac re? Et qui, credentes ipsos contra omnia juramenta stetisse, possunt hanc indignitatem nomini Christi adferre, ut ejus sectatores rei adeò indignæ se iterum subjiciant? An non potius tempus est, ut omnes boni hunc abusum & infamiam Christianorum summo studio removeant?

Ultimò *objì.* Cæterùm hoc confusiones & fraudes introducet, impostores simulabunt probitatem, & sub beneficio hujus dispensationis mentientur sine metu pœnarum. *Resp.* Duæ res tantùm sunt, quæ hominem obligant ad dicendam veritatem: Primò quidem vel timor Dei in corde & amor veritatis, nam ubi hæc est, juramentis non est opus ad dicendam veritatem. Vel Secundò, formido pœnæ à judice. Proindè statuatur eadem vel major pœna in eos, qui tantam veracitatem in verbis, tantamque simplicitatem cordis prætendunt, ut mentiri non possint, ac erga legem Christi tantam reverentiam, ut conscientiæ causâ se dicant omnino jurare non pos-

se, & ecce eadem eutaxia imò major securitas contra deceptores habebitur, ac si juramenta continuarentur, idque per istam severiorem pœnam, cui falsi isti simulatores erunt obnoxii. Hinc mali magis deterriti erunt, & boni ab omni, sive in bonis, sive in libertate, oppressione liberati: ob quem respectum ad teneras conscientias Deus magistratus eorumque statum sæpè respicit, ceu rem ipsi quàm gratissimam. Si quis autem adhuc de hac re dubitare possit, *scil.* an hoc sine confusione in Republica observari queat, modò in rempub. fœderatarum Provinciarum oculos reflectat, & bonum effectum videbit, ibi enim, ob ingentem negotiatorum numerum, plus quàm in ullo alio loco, frequentissimè se præbent ad hanc rem occasiones, & licet numerus eorum, qui in hanc sententiam propendent, non sit exiguus, quibus Ordines per centum annos hac in re indulserunt, & adhuc quotidiè indulgent, nihil tamen inde incommodi reipublicæ, regimini, vel eutaxiæ, sed multum potius incrementi commerciis, adeòque reipublicæ, emersit.

XIII. Sextò. Ultimum, quod adhuc considerari debet, est *vindicta & bellum*; malum, adeò alienum & contrarium Spiritui & doctrinæ Christi, ceu lumen tenebris: quemadmodum igitur ex præcedentibus per contemptum legis Christi universus mundus repletus est *variis juramentis, maledictis maledictionibus, blasphemis profanationibus & horrendis periuriis*, ita exinde per contemptum ejusdem legis totus mundus repletur *violentia, oppressione, cædibus, stupratiomibus uxorum & virginum, spoliationibus, prædationibus, incendiis, exustionibus, & omnis generis lasciviâ ac crudelitate*: adeò ut mirum sit, homines, ad imaginem Dei conditos, potuisse in tantum degenerare, ut potius referant imaginem & naturam leonum rugientium, tygridum dilaniantium, luporum devorantium, & ursorum sævientium, quàm creaturarum rationalium intellectu præditarum: imò adhuc multò magis dignum est admiratione, hoc horrendum monstrum locum invenire posse & foveri in iis hominibus, qui se *discipulos pacifici nostri magistri Iesu Christi profitentur*, qui καὶ ἐξοχὴν *Princeps pacis* vocatur, & suis expressè omni violentiâ interdixit, ac contrà mandavit, ut ad exemplum suum patientiam, charitatem, tolerantiam & alias Christiano dignas virtutes sequerentur.

Audite igitur, quid hic magnus Propheta, quem omnis anima sub pœna exterminationis audire tenetur, dicat Matth. 5. à v. 38. usque ad finem capitis. Sic enim ait: *Audistis, quia dictum est, oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit*

cusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei, qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & quicunque angariaverit mille passus, vade cum illo alia duo. Qui petit à te, da ei; & volenti mutuare à te, ne avertaris. Audistis, quia dictum est, diliges proximum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos, si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.

Hæc verba respectu *vindictæ*, sicut præcedentia, respectu jurisjurandi, aliquid prohibere, quod Judæis, consideratis in sua ipsorum conditione & dispensatione, erat permissum, & iis, qui discipuli Christi esse volunt, perfectiorem, præstantiorem, eminentioremque charitatis exhibitionem, patientiam ac tolerantiam præcipit, quàm ab illis eo tempore, statu, & dispensatione per legem Mosis postulata fuit, non solùm est sententia plerorumque si non omnium antiquorum patrum, sic dictorum, trium priorum seculorum post Christum natum, sed etiam complurium aliorum, imò in genere omnium illorum, qui legem Christi concernentem juramenta rectè intellexerunt ac propagârunt, quemadmodum liquet ex Justin. Mart. in Dialog. cum Tryph. ejusdemque Apolog. 2. Item ad Zenam. Tertull. de Corona Militis. It. Apolog. cap. 21. & 37. It. lib. de Idolol. cap. 17. 18. 19. It. ad Scapulam cap. 1. It. adversus Jud. cap. 7. & 9. It. adv. Gnost. cap. 13. It. adv. Marc. cap. 4. It. lib. de patientia. cap. 6. 10. Orig. cont. Celsum lib. 3. 5. 8. It. in Josuam hom. 12. cap. 9. It. in Mat. cap. 26. Tract. 36. Cypr. Epist. 56. It. ad Cornel. Lactan. de Iust. lib. 5. cap. 18. lib. 6. cap. 20. Ambr. in Luc. 22. Chrysost. in Matth. 5. hom. 18 It. in Matth. 26. hom. 85. It. lib. 2. de sacerdotio. It. 1 Cor. 13. Chromat. in Matth. 5. Hieron. ad Ocean. It. lib. Epist. p. 3. To. 1. Ep. 2. Athan. de Inc. Verbi Dei. Cyrill. Alex. lib. 11. in Joan. cap. 25, 26 Imò Augustinus, etsi multum in hac re fluctuaverit, hisce tamen locis militiam improbavit Epist. 158, 159, 160. It. ad Judices Epist. 263. It. ad Darium, & lib. 21. It. ad Faustum cap. 76. lib. 22. de Civit. ad Marc. c. 6. referente Sylburgio. Euthym. in Matth. 26. & inter alios posterioris ævi Erasmus in Luc. cap. 3. & 22. Ludov. Vives in introd. ad Sap. J. Ferus lib. 4 Comment. in Matth. 7. & Luc. 22.

Hinc

Hinc perſpicitur, talem ac tantam eſſe connectionem in his duobus magnis præceptis Chriſti, ut, quemadmodum ab eo ſimul pronunciata & mandata ſunt, ita eodem modo ab hominibus omnium ævorum recepta ſunt, non ſolum in prima promulgatione, ab exiguo numero diſcipulorum, ſed etiam in augmentatione Chriſtianorum prioribus tribus ſeculis, ſicut etiam in apoſtatia, ubi unum ſine altero non rejectum & relictum fuit, & nunc iterum in reſtitutione & renovata prædicatione æterni Evangelii, ubi agnita ſunt tanquam æternæ & immutabiles leges, propriè pertinentes ad ſtatum Evangelicum & extremam perfectionem, de qua ſi quis devïaverit, excidit à perfectione hominis Chriſtiani.

Et certè verba in ſe ipſis adeò clara ſunt, ut meo quidem judicio nullâ illuſtratione opus habeant ad explicandum ſenſum eorum: ſiquidem facilius conciliari inter ſe queant omnium maximæ contradictiones, quàm hæ leges Domini noſtri Jeſu cum impia bellorum conditione, ſunt enim planè ἀσύστατα. Quicunque conciliare poteſt hoc, *ne reſiſtas malo*, cum *vim vi repellere licet*; item, *præbe & alteram maxillam*, cum *percute viciſſim*; ſic, *diligite inimicos veſtros*, cum *ſpoliate, prædamini, igni ferroque perſequimini eos*; vel, *orate pro perſequentibus & calumniantibus vos*, cum *perſequimini mulctis, captivitatibus, ſupplicïis ultimis*, non qui vos *perſequuntur*, ſed *qui veſtram æternam ac temporalem ſalutem ex animo quærunt, & cupiunt*; quiſquis, inquam, hæc inter ſe conciliare poteſt, is medium inveniſſe putandus eſt ad reconciliandum *Deum* cum *diabolo*, *Chriſtum* cum *Antichriſto*, *lucem* cum *tenebris*, & *bonum* cum *malo*. Sed ſi hoc impoſſibile fuerit, quemadmodum reverà impoſſibile eſt, utique etiam illud impoſſibile erit, & homines tantùm ſeipſos fallunt & alios, qui talia abſurda ac impoſſibilia ſtatuere audent.

XIV. Tamen quia nonnulli, forſitan ex *incogitantiâ*, & vi *conſuetudinis* ac *traditionis* faſcinati, hoc præceptum Chriſti tranſgrediuntur, breviter oſtendam, quantoperè contrarietur bellum huic præcepto, & quod alterum cum altero conſiſtere non poſſit, ac conſequenter, *bellum nequaquam eſſe licitum iis, qui diſcipuli Chriſti eſſe volunt*. *Primò* enim Chriſtus præcipit, *ut diligamus inimicos*; at bellum è contrariò eoſdem odio & internecioni exponit. *Secundò* Apoſtolus ait, quòd *non ſecundum carnem militamus*, & quòd *non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem*: atqui bellum externum eſt ſecundum carnem, & adverſus carnem & ſanguinem, ad hunc effundendum, & illam perdendam. *Tertiò*,

tiò, quia Apostolus dicit, quòd *arma militiæ nostræ non sunt carnalia*: sed arma militiæ externæ sunt carnalia, veluti lanceæ, bombardæ, sclopetræ, tormenta, gladii chalybei, *&c.* quorum nulla planè fit mentio in armatura à Paulo descriptâ. *Quarto*, quia Jacobus testatur, *bella & lites provenire ex concupiscentiis, quæ militant in membris hominum carnalium*: Sed Christiani, hoc est, ii, qui verè sunt sancti, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis: Ergo non possunt iis indulgere belligerando. *Quintò*, quia Prophetæ *Isaias* & *Micha* expressè prophetârunt, quòd *in monte domus Dei Christus judicabit gentes*, & quòd hinc *gladios suos conflabunt in vomeres*, &c: & antiqui *Patres* priorum trium seculorum à Christo nato statuerunt *has prophetias impletas esse in Christianis suorum temporum à belligerando alienissimis*, quâ de re videri potest Justinus Martyr, Tertullianus, & alii: quod nemini mirum videri debet, siquidem Philo Judæus sufficienter testatur de Essenis, *Neminem inter eos inventum fuisse qui instrumenta militaria conficeret.* At quantò magis Jesus venit, *ut suos à belligerando abstraheret, atque ad patientiam & charitatem perduceret*? *Sextò*, quia Propheta prædixit, quòd *non nocebunt neque occident in omni monte sancto Domini*: Sed bellum externum ad nocendum & necandum instituitur. *Septimò*, quia Christus dixit, quòd *regnum ejus non est de hoc mundo*, & proindè quòd *ministri ejus utique non decertant*: Ergo qui decertant, ejus discipuli vel servi non sunt. *Octavò*, quia Petrum increpavit propter usum gladii ejus, inquiens; *Converte gladium tuum in locum suum, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Quâ de re Tertullianus pulchre loquitur lib. de Idolol. *Quomodo in pace militabit sine gladio, quem Dominus abstulit? Nam etsi adierant milites ad Iohannem, & formam observationis acceperant, si etiam Centurio crediderat, omnem postea militem in Petro exarmando discinxit.* Idem de Coro. mil. interrogat, *licebit in gladio conversari, Domino pronunciante, gladio periturum, qui gladio fuerit usus?* *Nonò*, quia monet Apostolus Christianos, *ne semetipsos defendant, vel reddentes malum pro malo ulciscantur, sed dare locum iræ, quia vindicta est Domino: nulle vinci à malo, sed vincere in bono malum: inimicum, si esurierit, cibare; si sitierit, potum ei dare*: Sed bellum per omnia planè contraria docet & injungit. *Decimò*, quia Christus suos vocat *crucem suam bajulare, non alios crucifigere vel occidere*: ad *patientiam*, non ad *vindictam*: ad *veritatem & simplicitatem*, non ad *dolosa stratagemata belli*, vel ad *sycophantam* agendum, quod ipse Johannes vetat: *ad gloriam hujus mundi fugiendam*, non *ad eam bellicosis conatibus*

2 Cor. 10: 4.
Iac. 4: vers 1.
Gal. 5: 24.
Ioſ. 2: 4
Mich. 4 vers 3.
Ioſ. 6 5: 25.
Ioh. 18: 36.
Matth. 26: 52
Rom. 12 19.

acquirendam. Ita per omnia legi Christi & Spiritui prorsus contrarium est bellum.

XV. Sed *objiciunt*, licitum esse belligerare, quia Abraham bellum gessit ante Legem datam, & Israëlitæ post datam Legem. *Respondeo* ut antea, 1. quòd Abraham eo tempore victimas obtulit, & masculos circumcidit; quæ tamen nobis non sunt licita sub Evangelio. 2. quòd Israëlitis nequaquam licuit bella, sive defensiva sive offensiva, ex propria voluntate, consilio aut ductu suo moliri, sed tenebantur omni tempore, si prospero successu rem agere vellent, oraculum Domini priùs scisciatari. 3. quòd bella eorum, adversus impias nationes, figura fuerunt interni belli verorum Christianorum adversus hostes spirituales, in quo mundum, carnem & diabolum vincimus. 4. aliquid à Christo expressè prohibetur, Matth 5: 26. quod Judæis propter eorum ruditatem concessum fuit eo tempore & statu; & contrà injunguntur insignis ea patientia & charitatis exercitia, quæ Moses discipulis suis non præcepit. Unde Tertullianus admodum egregiè inquit adv. Marc. *Novam plane patientiam docet Christus, etiam vicem injuriæ prohibens permissam à creatore.* Et lib. de patien: *Plus Lex quàm amisit invenit, dicente Christo, diligite inimicos.* Et tempore Clementis Alexandrini bella tam longè à Christianis abfuerunt, ut testificetur, quòd nec ulla insignia seu signacula violentiæ inter suos admiserint; dicens, *Neque enim idolorum imprimenda sunt facies, quibus vel solum attendere prohibitum: sed nec ensis vel arcus iis qui pacem persequuntur, nec pocula iis qui sunt moderati & temperantes.* Referente Sylvio Disc. de Rev. Belg.

Secundò *objiciunt*, Defensionem juris esse naturalis, religionem verò naturam non destruere. *Resp.* Esto, sed Deo obediendo se in fide & patientiâ commendare, non est naturam destruere, sed eam planè exaltare ac perficere; *scilicet* à vitâ naturali ad supernaturalem, per Christum in ea viventem, tollere, eamque confortantem, ut omnia possit, & plus quàm victrix reddatur.

Tertiò *objiciunt*, Johannem non abrogasse aut improbasse bella, cùm milites ad eum venirent. *Resp.* Quid inde? quæstio non est de Johannis, sed de Christi doctrinâ, cujus nos discipuli sumus, non verò Johannis: Christus enim, non Johannes, est ille Propheta, quem omnes audire debent: & quanquam Christus dixit, *quòd major inter natos mulierum propheta Iohanne Baptista nemo fuit*, addidit tamen, *quod, qui minor est in regno Dei, major est illo.* Sed quæ fuit demum Johannis responsio, ut videamus, an hodierni milites per eam justificari queant? Si penitus introspicitur,

Luc. 7: ver. 2.

ſpicitur, apparet, quòd ea, quæ militibus ſunt propria, manifeſtè prohibeat, præcipit enim iis, *Neminem concutere*, nec concedit *ſycophantam agere*, vel ſycophantizare, ſed vult *ut obſoniis ſuis contenti ſint.* Conſiderate, quæſo, quid Johannes militibus interdicat, nimirum violentiam & dolum adverſus quemcunque, quibus ſublatis, dic ſodes quâ ratione milites bellum gerent? *Dolus* enim & *aſperitas* & *injuſtitia* nonne ſunt *tria belli propria*, & genuina negotia præliorum? Luc. 3 14.

Quartò *objiciunt*, Cornelium & illum centurionem, cujus mentio fit Matth. 8: 5. fuiſſe milites, de quibus non legitur quòd officia militaria depoſuerint. *Reſp.* Neque legimus, quòd in iiſdem perſtiterint. Eſt autem longè veriſimillimum, ſi in doctrina Chriſti perſeverârunt, (nec eos à fide defeciſſe ullibi legitur) quòd in iiſdem non continuaverint; præſertim ſi conſideretur, duobus & tribus ſeculis pòſt belligerandi negotium à Chriſtianis rejectum fuiſſe, aut ad minimum diu poſt illorum tempora, ſi Marc. Aurel. Anton. Imper. fides adhibenda eſt, qui ſic ſcribit: ---- *Deos patrios votis ſuſceptis rogavi. Sed quum ab eis negligerer, meque ab hoſtibus premi animadverterem, copiarum mearum paucitatem contemplatus, eos, qui apud nos Chriſtiani dicuntur, accerſivi ac rogavi, invenique magnam eorum multitudinem: illoſque mihi compuli: quod minime decuerat; propterea quòd poſtea illorum vim ac poteſtatem cognovi, itaque* non ad telorum neque ad tubarum uſum ſe contulerunt, *hoc enim facere Dei cauſâ & nomine, quem in conſcientia geſtant, conſuetum non eſt.* Et hoc factum eſt fermè centum & ſexaginta annis poſt Chriſtum. Huc adde illa verba quæ Chriſtiani apud Juſtinum Martyrem reſpondent, οὐ πολεμοῦμεν τοῖς ἐχθροῖς, i. e. *non bella gerimus cum hoſtibus*: ac præterea reſponſum Martini ad Julianum apoſtatam, in Sulpitio Severo: *Chriſti ego miles ſum, pugnare mihi non licet*, quod ultra trecentos à Chriſto annos factum eſt. Non igitur veriſimile eſt, illos in negotiis bellicis perſeveraſſe. Quomodo conſiſtit nunc Vincentius Lyrinenſis & Papicolæ cum ſuo axiomate, *Quod ſemper, quod ubique, quod ab omnibus recipitur*, &c? Et ubi manent ſacerdotes ipſorum cum ſuo jurejurando, *quod Scripturam non niſi ſecundum univerſalem conſinſum Patrum*, ſic dictorum, *velint aut debeant interpretari*? Scilicet *quàm facile eſt ſolem meridianum obſcurare, eâdem facilitate abſcondere poſſunt aut negare, primitivos Chriſtianos omnem vindictam & omnia bella abrogaſſe.*

Et quanquam hęc res omnium ſit notiſſima, tamen æquè notum eſt, omnes ferè *Sectas modernas* vi, ere in neglectu & contemptu hujus legis

Christi, adeòque alios opprimere, qui hac in parte propter conscientiam erga Deum cum ipsis non consentiunt quemadmodum in patria nostra multa perpessi sumus, propterea quod nec *ipsimet arma tractare* nec *alios nostri vice mittere potuimus*, nec *nummos nostros exponere ad comparanda tympana, vexilla, & reliquam supellectilem bellicam*, denique *quod domos, fenestras & officinas nostras nobis per conscientiam non licuit obserare & obseratas tenere in diebus supplicationum & jejuniorum, quæ instituta erant ad implorandam benedictionem & progressum armorum illius Regni aut Reipublicæ sub qua vivimus*; neque *gratias agere pro victoriis multo sanguine utrinque effuso acquisitis*. Per quam conscientiarum coactionem fratres nostros, habitantes in diversis regionibus, identidem inter se belligerantibus, adigere voluerunt, ut Deum nostrum invocarent ac implorarent pro rebus inter se pugnantibus imò impossibilibus; siquidem impossibile est dimicantes partes utrinque victoriam consequi posse. Et quia cum iis in hanc confusionem concurrere non possumus, ideo persecutioni subjacemus. Imò & alii, qui nobiscum demonstrant, veris Christianis usum hujusmodi armorum non esse licitum, contortis oculis nos adspiciunt: sed quinam ex nobis duobus fideliter observant hoc testimonium adversus arma, an illi, quando statutis temporibus ad mandatum magistratûs officinas obserandi & pro prosperitate armorum ejusdem orandi, vel Deo gratias agendi pro hac vel illa reportata victoria suas officinas obserant & in suas congregationes conveniunt, quo pacto in omnibus iis, qui pugnas & certamina approbant, similes se faciunt; an verò nos, qui hæc eadem conscientiæ causâ præstare non possumus, ne operibus nostris destruamus, quæ verbis nostris exstruxeramus, relinquimus judicio omnium prudentum hominum.

Quintò *objiciunt*, quod Christus, Luc. 22: 36. suos discipulos alloquens, mandat, ut, *qui* tunc *gladium non habebat, pallium suum venderet, & gladium emeret*: Ergo, inquiunt, arma sanè sunt licita. *Respondeo*: Nonnulli quidem hæc verba de externo gladio intelligunt, interim tamen respiciunt tantùm ad illam occasionem, cæteroquin judicantes Christum suis sub Evangelio arma prohibere: inter quos est Ambrosius, qui in eundem locum hoc modo scribit, *O Domine, cur emere me jubes gladium*, qui ferire me prohibes, *cur habere præcipis*, quem vetas promi? *Nisi forte parata sit defensio, non ultio necessaria, & videar potuisse vindicare, sed noluisse. Lex tamen referire me non vetat: & ideo fortasse Petro, duos gladios offerenti, sat est, dicit, quasi licuerit* usque ad Evangelium, *ut sit in*

Lege,

Lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio. Alii volunt, Christum mysticè loquutum esse, non secundum literam, velut Origenes in Matth. 19. dicens, *Si quis literam volens adspicere, & non intelligens voluntatem verborum, vendiderit vestimentum corporale, & emerit gladium, talis, contra voluntatem Christi suscipiens verbum ejus, peribit. De quo autem gladio dicat, non est hujus loci reponere.* Et profectò quando considerabamus responsum discipulorum, *Domine ecce duo gladii hîc*, gladium externum intelligentium; & vicissim Christi ad eos responsum, *sat est*; videtur, Christum noluisse, ut cæteri, qui gladios non habebant (nam duos tantùm habebant gladios) pallia sua externa venderent, ad emendum gladium externum. An putas quod, rebus sic stantibus, dixisset *duos esse satis*? Sed utcunque sit, sufficit usum armorum sub Evangelio esse illicitum.

Sextò *objiciunt*, Scripturam & antiquos Patres, sic dictos, solummodò prohibere clandestinas vindictas; non applicationem armorum, quibus regio, corpus, uxores, liberi, bonaque defendantur, quando Magistratus id præcipit, siquidem obediendum sit Magistratibus: Ergo, &c. Quod igitur privatis hominibus ex se ipsis facere non est licitum, id tenentur facere magistratu præcipiente. *Respondeo.* Magistratus, si revera est Christianus, aut esse cupit, debet ipsemet priùs mandato Domini sui, *diligite inimicos*, &c. obtemperare; & tunc non poterit nobis præcipere, ut eos occidamus: at si vero non est verus Christianus, tunc incumbit nobis ut Domino & Regi nostro Jesu Christo obediamus, cui & ipse debebat obedire: nam in regno Christi debent omnes, à summo usque ad infimum, id est à Rege & Cæsare usque ad Rusticum, ejus legibus se submittere. Verùm (eheu!) ubi inveniemus talem obedientiam? O lapsum deplorandum! Qua de re pulchrè scribit Lud Viv. lib. de con. vit. Christ. sub Turc. referente Frederico Sylvio. Disc. de Revol. Belg. pag. 85. *Ingressus est Princeps ecclesiam, non ut verus & planè Christianus, quod fuisset sanè fœlicissimum & optandum, sed invexit secum nobilitatem, honores, ARMA, insignia, triumphos, supercilia, fastum, superbiam*: i. e. *Venit in Christi domum comitatus diabolo & quod fieri nullo modo poterat, voluit duas domos & duas civitates conjungere Dei & diaboli, quod non magis potuisset efficere, quam Romam & Constantinopolim, quæ tanto & terrarum & maris tractu separantur: quæ communio Christi ad Belial? inquit Paulus. Refrixit paulatim ardor, mutavit fides, degeneravit tota pietas, cujus nunc umbra atque imaginibus utimur, easque, ut ille dicit, utinam retineremus!* hactenus Vi-

ves. Denique quod ad hanc rem attinet, cùm nihil magis videatur contrarium hominis naturæ, & cùm ex omnibus sui defensio videatur maximè tolerabilis, ut est hominibus difficillima ita & religionis Christianæ pars perfectissima est, in qua scilicet sui denegatio & fiducia in Deum maximè lucet, ideoque istius rei nobis reliquit Christus & Apostoli ejus perfectissimum exemplum. Quod autem attinet ad præsentes Christiani orbis magistratus, licet, propter publicam, quam profitentur, Christi nominis professionem, Christianorum titulum omnino iis non negamus, confidenter tamen affirmare possumus, quod à perfectione religionis Christianæ longè absint; & quoniam in statu, quò sunt, (ut fusè in plerisque locis antea observavi) puram Evangelii dispensationem non attigerunt, ideoque, dum in eo statu versantur, bellum illis justis de causis susceptum, omnino illicitum non dicimus. Sicut enim circumcisio aliæque ceremoniæ Judæis ad tempus permissæ fuerunt, non quod vel necessariæ, vel illo tempore post resurrectionem Christi per se licitæ fuerint, sed quoniam in illis nondum resurrexerat ille Spiritus, quo à talibus rudimentis liberarentur; ita illi Christiani nominis confessores, qui adhuc in mixtura sunt, & nondum ad purum, patientem, & tolerantem Spiritum venerunt, nondum parati sunt ad hanc Christianitatis formam, & sic non possunt se non tueri, donec ad perfectionem veniant: similiter quos huc Christus adduxit, iis non licet carnalibus armis se tueri, sed in Deum per omnia confidere.

XVI. Sed denique ut finem faciam, si & dare & accipere titulos adulatorios, quibus non utuntur homines propter virtutes personis inhærentes, sed qui ut plurimùm ab impiis ad impios concessi sunt; si incurvare, suffraginari ad invicem; si indesinenter sui invicem obsequentissimos servos nominare, dum interim, nihil minùs, quàm realiter servire frequenter cogitantes, sit honor, qui à Deo solùm provenit, & non qui ab infrà & deorsum est, tunc revera adversarii dicendi sunt credentes & fideles, & nos pertinaces & superbi in ea omnia denegando. Sed si cum Mordecaio superbis Hamanibus non incurvare; & si cum Elihu adulatorios titulos hominibus non tribuere, neque hominum personas accipere; & si, secundum Petri exemplum & Angeli consilium, Deum solum adorare, & illum honorem conservis non præstare; & si neminem Dominum, nec magistrum vocare, nisi in respectivis relationibus, secundum Christi præceptum, non redarguenda sint, tunc nos non culpandi sumus ita agendo. Si in vestibus vanos & superfluos esse; si faciem pingere, & capillum crispare; si auro, argento & gemmis vestiri in vestibus vanis; & si tæniolis & vittis cir-

circumindui, sit modesto amictu vestiri; & si hæc sint Christianorum ornamenta, & si hoc sit esse spiritu humili, miti & mortificato, tunc revera boni Christiani habendi sunt adversarii, & nos superbi, singulares, & superstitiosi in eo, quod iis contenti sumus, quæ necessitas & convenientia postulat, quod majus est, condemnantes. Si ludere, saltare, astragalizare, aleis & chartulis lusoriis uti, cantare; si comœdias & larvalia sequi; si mentiri, dissimulare, & aliter, quàm verè sumus, apparere, sit semper Deum timere; & si hoc sit omnia ad Dei gloriam agere; & si hoc sit tempus peregrinationis nostræ in timore transigere; & si hoc sit hoc mundo uti, quasi non uteremur; & si hoc sit non conformari prioribus cupiditatibus, neque conformes esse spiritui & vanæ hujus seculi conversationi; tunc certè adversarii nostri sunt revera Christiani, mortificati & sobrii homines, & nos justè culpandi sumus, quòd eos condemnemus, sed non aliter. Si profanatio Sancti nominis Dei, si ob quamcunque rem levissimam juramenta ab invicem exigere, si Deum testem invocare in rebus hujusmodi, in quibus ne quidem Rex terrenus legitime ac honorificè in testem vocaretur, officia hominis Christiani sunt; fatebor sane, nostros adversarios esse insignes Christianos, & nos deesse nostris officiis; sed si contrarium verum est, necessum est ut nostra obedientia hac in re Domino sit accepta. Si se ipsum ulcisci, injuriam pro injuria, malum pro malo reddere, plagam pro plaga, oculum pro oculo, dentem pro dente, dare & auferre; Si ob res externas & caducas belligerare, in militiam abire adversus alios, quos nunquam vidimus, cum quibus nobis contentio aut negotium nunquam fuit, insuper ignorantes causam belli, nisi quod Magistratus nationum inter se lites alunt, quarum causæ adeo ipsæ belligerantibus militibus ignotæ sunt, ad hæc, à qua parte æquitas aut iniquitas stet; tantopere adversus se invicem furere, & insanire, omnia vastare & evertere ut hic vel ille cultus divinus recipiatur aut deponatur; si hæc & plura hujus modi perpetrare, inquam, est legem Christi implere, profecto nostri adversarii sunt veri Christiani, & nos miseri hæretici, qui patimur nos spoliari, capi, incarcerari, in exilium mitti, verberari & malè tractari, sine ulla defensione, fiduciam nostram collocantes solum in Deum, ut nos defendat, vel per hanc viam crucis in suum regnum deducat. Cæterum, si hæc res aliter se habet, nos certe accipiemus mercedem, quam Dominus promisit iis, qui ipsi adhærent, & in ipsum confidunt, se ipsos abnegantes.

Et ut totum paucis comprehendam, si iis omnibus uti, & plerisque aliis

aliis, quæ hic referre nimis longum esset, sit in angustâ ad vitam viâ ambulare; & sit crucem Christi ferre; & sit cum illo commori libidinibus & perituris vanitatibus hujus mali mundi, & cum illo resurgere in novitate vitæ; & sit cum illo sedere in locis cælestibus; tunc tales habendi sunt adversarii, neque opus est iis timere, quod in latâ & spatiosâ ad perditionem ducente via sint; & nos magnoperè hallucinamur, qui ea omnia Christi causâ deposuimus, ad crucifigendas concupiscentias nostras, & procurandum nobis ignominiam, & hominum hujus mundi invidiam: non tamen quasi ita agendo mereri salutem crederemus, sed cognoscentes, quòd contraria sunt voluntati ejus, qui suos ab hujus mundi amore & à libidinibus ejus redemit, ducitque eos in semitas veritatis & sanctitatis, in quibus delectantur ambulare.

CONCLUSIO.

SI *in timore Domini*, candide Lector, *consideravis hoc religionis systema, his chartis traditum, cum consistentia & harmoniâ ejus, sive ut in se stat, sive cum sacra veritatis Scriptura; non dubito, quin mecum & cum multis aliis dixeris, hunc esse spiritualem manifestationis Christi diem, quo rursus revelat antiquas veritatis & justitiæ semitas. Hîc enim observare possis Christianam religionem in omnibus ejus partibus verè exhibitam & vindicatam, prout est quid vivum, internum, spirituale, purum & substantiale, & non mera forma, umbra, notio & opinio, uti illam plurimi hactenus tenuerunt, quorum fructus declarant, quòd caruerint virtute illius, cujus ferebant nomen. qui tamen adeò inanibus suis formis & umbris adhærent, ut non cessent nos calumniari, quasi, quia iis substantiam commendamus, & ad eam illos vocamus, ideo denegaremus aut negligeremus veram formam & externam Christianitatis partem, quod Deus cordium scrutator novit esse horrendum mendacium. Hinc quia hortamur populum, ut revertantur, & sentiant Deum in semetipsis, dicentes iis, quod, si Deum prope se non sentiant, parùm prosint iis notiones quas de Deo habent, ut est in cœlo supra nubes, malitiosè*

inferre

inferre conantur, quod nos dicimus, Deum extra nos non existere. Hinc etiam, quia dicimus illis, quod lux & lex interna, *& non* litera externa, *illud est, quod revera iis statum eorum ostendere, eosque ex omni malo educere potest, aiunt, vilificare nos Scripturas, & imaginationes nostras super eas in honore habere. Hinc porrò quia dicimus iis, quod eorum garritiunculæ, vel externa fides de externâ vitâ, passione & morte Christi, non magis, quàm clamores Iudæorum dicentium,* templum Domini, templum Domini, *justificabunt eos in conspectu Dei, sed quod oportet illos cognoscere* Christum in ipsis, *quem crucifixerunt, suscitatum, & justificantem & redimentem illos ab omni iniquitate, dicunt negare nos vitam, passionem, mortem Christi, justificationem per sanguinem ejus, & remissionem peccatorum per illum. Hinc rursus, quia dicimus eis, cùm garriant & determinent de resurrectione, magis opus iis esse, ut justum, quem in se occiderunt, suscitatum cognoscant, ut participes fiant* primæ *resurrectionis, & quod, si hoc fiat, aptiores erunt de* secundâ *judicare, dicunt, negare nos resurrectionem corporis. Hinc denique, quia, cùm audiamus eos inadvertenter loquentes de cœlo, inferno & extremo judicio, hortamur eos, ut ex infernali illâ conditione, in quâ stant, ad judicium veritatis in cordibus suis veniant & credant, & sequantur* Lumen, *ut in hac vitâ sedeant in cœlestibus locis, quæ in Iesu Christo sunt, malitiosè aiunt, nos negare omne cœlum & infernum, nisi quod in nobis est, & quod novissimum aut generale judicium negemus: quas omnes calumnias novit Deus falsò & immeritò nobis injici, quos ipse suscitavit in hunc ipsum finem, & congregavit, ut per nos confunderet sapientiam sapientum, & reprobaret prudentum prudentiam, & ut solâ ipsius virtute & Spiritu in populo contempto (nequis gloriaretur in conspectu ejus) corruptam illam, mortuam & tenebrosam imaginem & meram umbram, atque Christianitatis corticem exueret, everteret & destrueret, quocum Antichristus nationes deceperat, in quem finem vocavit nos, ut simus illi fructus primitivi illorum, qui servivunt & colunt eum, non amplius in antiquitate literæ, sed in novitate Spiritûs. Et licet pauci simus numero, respectu aliorum, & imbecilles, quoad vim externam,*

quam etiam omnino rejicimus ; & ſtulti , quoad hujus ſeculi ſapientiam , attamen , non obſtante multâ oppoſitione & contradictione , pro nobis ſtetit Deus , & adhuc ſtabit , ut neque ars , neque ſapientia , neque violentia hominum vel diabolorum prævalebit ſcintillam illam extinguere , ſed creſcet ad conſumendum , quicquid illi opponetur. Sic loquutum eſt os Domini , imò qui exurrexit in parvis reliquiis , ſurget & procedet eodem brachio & virtute in ſpirituali ipſius manifeſtatione , donec inimicos ſuos omnes ſuperaverit , & omnia terræ regna facta fuerint Ieſu Chriſti regnum. Illi , qui opus hoc incepit , non inter divites , ſapientes & doctos , ſed inter pauperes , inter infantes & puerulos , imò illi ſapientiſſimo , & omnipotenti Deo ſit honor , gloria , & gratiarum actio , & fama abhinc uſque & per omnia ſeculorum ſecula. Amen. Halelu-Jah.

IN-

INDEX

Authorum, qui in hoc libro citantur.

A.

Abi Iaaphar Ebn Tophail. p. 119
Alanus. 286.
Amandus Polanus. 149, 150.
Ambrosius Ansbertus. 361.
Ambrosius Mediolanensis. 75. 106. 326. 356. 361. 363. 368.
Amesius. 150. 315.
Anselmus Cantuariensis. 361.
Antiochus. 361.
Apollinarius. 84.
Athanasius. 6. 325. 257. 361. 363.
Augustinus Bakerus. 244. 245.
Augustinus. 5. 24. 45. 54. 90. 119, 120. 140. 162. 165. 286. 288. 361. 363.

B.

Basilius Magnus. 356. 360, 361.
Beda. 361.
Bellarminus. 128. 324.
Bernardus. 6. 245. 254.
Bertius. 148.
Beza. 66. 138. 321.
Borhæus. 138, 139. 142, 143.
Buchananus. 120, 121.
Bucerus. 139.
Bullingerus. 138.

C.

Calvinus. 20, 21. 36, 37. 66. 140. 148. 206, 207. 224. 279. 284. 293, 294. 313, 305, 327, 328, 338.
Caroloſtadius. 327.
Casaubonus. 341.
Cassiodorus. 361.
Castellio. 327.
Catecheſis Weſtmunſterienſis. 152
Chamierus. 138.
Chemnitius. 140
Christianus Druthmarus. 361
Chromatius. 361, 363
Chryſoſtomus. 75. 316. 356, 361, 363
Cicero. 118
Claudius Alberius. 143.
Clemens Alexandrinus. 5, 105, 106, 119, 361, 366.
Colloquium Aldeburg. Theol. Elect. 151
Concilium Aſzanſic. 166
Concilium Carthaginenſe. 37.
Concilium Florentinum. 27.
Concilium Laodicenſe. 37.
Concilii Tridentini hiſtoria. 62. 159. 327.
Confeſſio Auguſtana. 151. 167.
Confeſſio Eccleſiarum Belgic. 37.

Confessio Eccles. Gallic. 37.
Confessio Theol. magnæ Brit. Westmun. 37. 42. 125.
Coretus. 148, 149.
Cyprianus. 326. 361. 363.
Cyrillus Alexandrinus. 6. 97. 100, 101. 361, 363.

D.

Daleus. 313.
Diodorus Siculus. 360.

E.

Epictetus. 2.
Epiphanius. 44. 361.
Erasmus. 341. 361. 363.
Essius. 143.
Eusebius. 27.
Eutyches. 84.
Euthymius. 361. 363.

F.

Forbesius. 139, 140.
Franciscus Lambertus. 194. 249, 250.
Fredericus Sylvius. 366, 367. 369.

G.

Gelasius. 165.
Gentiletus. 150.
Gerardus Vossius. 102. 151. 168.
Godeau. 342.
Gregorius Magnus. 6.
Gregorius Nazianzenus. 361.
Gregorius Nyssenus. 361.

H.

Haymo. 361.
Hieronymus. 6. 44. 47. 165. 325. 339. 356, 357. 361. 363.
Hilarius. 325, 326. 361.
Hildebrandus. 324.
Historia Concilii trident. 327, 328.
Historia reformat. Gallica. 338.
Hosius. 326.
Hugo Grotius. 356. 360.

I.

Iacobus Howel. 341, 342.
Iohannes Damascenus. 361.
Iohannes Ferus. 363
Iohannes Floracensis. 286.
Iohannes Hussius. 52.
Iohannes Maresius. 342.
Isidorus Hispalensis. 361.
Isidorus Pelusiota. 361.
Iustinus Martyr. 106. 119. 361. 363. 365. 367.

L.

Lactantius. 118. 363.
Lucas Osiander. 76. 199.
Ludovicus Vives. 363. 369.
Lutherus. 6. 76. 122. 124. 181. 327. 341.

M.

Marcio. 226.
Marcus Aurelius Antoninus. 360
Martyr. 66.
Melanthon. 6. 7. 138. 168.
Musculus. 148.

Nic.

N.

Nic. Arnoldus Franequeran. 180. 194. 196. 211. 212. 222. 224. 278. 287.

O.

OEcumenius. 361.
Origenes. 7. 200. 361, 363. 369.
Otho Brunsfeldius. 361.

P.

Papirius Masson. 286.
Paræus. 66. 136.
Paschasius. 361.
Paulus Riccius. 283. 301.
Philo Iudæus. 360. 365.
Pithæus. 286.
Phocylides. 118.
Piscator. 67.
Platina. 187.
Plato. 113. 360.
Plotinus. 118.
Polybius. 356.
Polycarpus. 27. 361.
Prosper. 74. 76.
Pythagoras. 118. 360.

Q.

Quintilianus. 360.
Quintus Curtius. 360.

R.

Reinerius. 333.
Richardus Baxter. 143. 150.

S.

Scriptor de vocatione gentium. 75. 106.
Seneca. 118.
Smithæus. 7.
Stobæus. 360.
Sulpitius Severus. 367.
Synodus Arelatensis. 75.
Synodus Dordracena. 37. 65.

T.

Tertullianus. 5. 326. 361. 363. 365. 366.
Theophylactus. 361.
Thomas Aquinas. 24.
Thysius. 137.

V.

Viclevus. 361.
Victor Antiochenus. 102.
Vincentius Lirinensis. 367.

W.

Waldenses. 361.

Z.

Zanchius. 66. 137. 138. 140. 150.
Zwinglius. 61. 62. 66. 143.

IN.

INDEX
Locorum Scripturæ,
Quæ in hoc opere occurrunt.

GENESIS.

CAP.	Vers.	Pag.
I.	2	12
II.	17	54
III.	24	54
IV.	6.7	93
	7	142
V.		161
VI.	3	94
	5	55
	9	161

EXODUS.

XIII.	8.9	296
XXIII.	7	136
XXXIV.	6	94

LEVITICUS.

XIX.	2.3.6.	355

NUMERI.

XI.	25.29	13
XIV.	18	94

DEUTERONOMIUM.

IV.	2	52
VI.	13	355
VII.	54	232
X.	20	355
XIII.	5	319
	9	320
XIV.	23	355

I. REGUM.

CAP.	Vers.	Pag.
VIII.	46	162
XIX.	18	174

I. PARALIPOMENON.

XXIX.	11	338

ESDRA.

IX.	4	248

NEHEMIA.

IX.	20.30.	13

JOB.

I.	8	161
IX.	20	136
XXIV.	13	116
XXVII.	5	136
XXXII.	21.22	340
XXXVII.	22	338
XXXVIII.	2	200

PSALMI.

PSAL.	Vers.	Pag.
VI.	7	200
XVII.	14	73
XXI.	5	338
XXII.	15	338
XXV.	3	232
XXVII.	14	232
XXIX.	4	338

PSALMI.

PSAL.	Vers.	Pag.
XXXVII.	7.9.34.	232
XLV.	3	338
LI.	7	61
	13	13
LIV.	3	279
LXIII.	1	362
LXIX.	6	232
LXXXIV.	2	352
LXXXVI.	15	94
XCIII.	1	338
XCVI.	6	338
CX.	3	318
CXVIII.	22	110
CXIX.	11	163
CXXXI.	7	13

PROVERBIA.

I	20, &c.	118
	24,25,26	96.167
VIII.	9.34	118
XV.	29	263
XVII.	15	136.158
XVIII.	10	279
XX.	22	232
XXVIII.	9	256
XXX.	6	52

ECCLESIASTES.

VII.	20	162

CANTICUM.

I	3	279

INDEX.

ISAIA.

CAP.	Vers.	Pag.
I.	13	263
II.	4	365
	10	338
III.		347
V.	2. 4	95
	23	136
VIII.	20	48
XIII.	11	73
XXIV.	14	338
XXVI.	10	338
XXX.	18	94. 232
XL.	31	232
XLII.	23	232
XLV.	23	358
XLVIII.	16	13
XLIX.	6	113
LV.	4	105
LVI.	11	219
LIX.	2	130. 154
	21	23
LXIV.	6	148
LXV.	16	358
	25	365
LXVI.	3	257. 263

JEREMIA.

II.	13	22
III.	11	136
	14	174
VII.	4	185
XIV.	12	257. 263
	14. 15	218
XV.	15	94
XVII.	9	55
XVIII.	9, 10	96
XXIII.	6	128
	21	218
	29	105
	30, 31, &c.	219
	32	220
XXVII.	15	218
XXXI.	33	23
	38, 39, 40	358

LAMENTATIONES.

CAP.	Vers.	Pag.
III	25	232

EZECHIEL.

XIV.	1	248
XVI.	6	128
XVIII.	20	60
XX.	1	248
XXXIII.	11	67. 72
	12 ad 18	164
XXXIV.	2. 3. 8	219
XXXVI.	25	358

DANIEL.

IV.	30	338

OSÆ.

XII.	6	232

AMOS.

II.	13	86
V.	18	100

MICHA.

III.	5. 11	218. 219
IV.	3	365
VI.	8	104

HABACUC.

I.	13	154

ZACHARIA.

III.	8	232

SAPIENTIA.

II.		97

MATTHÆUS.

III.	8	150
	11	267
	15	278

MATTHÆUS.

CAP.	Vers.	Pag.
V.	1	249
	34, 35	352
	38, ad 48	362
	48	159
VI.	20	352
VII.	16	57
	21. 141.	144
VIII.	5	367
X.	1. 5	218
	5. 6	195
	8	219
	20	218. 249
	23	330
XI.	27	10
	30	161
XII.	35	349
	48	181
XIII.		101
	14	96
	18, 19	79
	31, 32	108
	29, ad 41	319
XV.	6. 9	264
XVI.	26	73
XVII.	26	151
XVIII.	17	73
	20	247
	32. 34	96
XIX.		369
XX.	25, 26, 27	219
XXI.	33	95
	42	110
XXIII.	5, 6, 7	219
	8, 9, 10	219
	22	364
	37	96
XXIV.	42	232. 255
XXV		102. 144
	13	232
	14	79
	21. 23	145
	29	96
	30	145

INDEX.

MATTHÆUS.

CAP.	Vers.	Pag.
XXVI.	26	296.301
	41	232.237
	52	365
XXVIII	273	280
	19	278,279

MARCUS.

III.	33, 34	181
IV.		101
	1	249
	12	96
XII.	1	95
	10	110
XIII.	11	218.249
	33	237.255
	33. 35. 37	232
XIV.	22	296.301
	38	255
XVI.	15	70

LUCAS.

I.	6	161
II.	10	69
III.	14	369
V.	52	153
VII.	2	366
VIII.	10	96
	11	101
IX.	55	318
X.	22	10
	29	136
XII.	12	218.249
	48	102
XIII.	3	131
	34, &c.	96
XIV.	31	359
XVI.	15	136
XVII	10	144
	20, 21	108
XVIII.	1	253
XIX.	41,42	96
	42	82

LUCAS.

CAP.	Vers.	Pag.
XX.	7	110
	9	95
XXI.	26	237
	36.	232.253
XXII.	14	301
	19	296
	36	368

JOHANNES.

I.		289
	1, 2, 3	9
	7	105
	9	98
	12	290
III.	3	107
	5	284
	16, 17	72
	18	131
	18, 19	167
	20.	110.273
IV.	2	273
	23, 24.	242.263
V.	39	48
VI.	27.32 &c.	288
	35	290
	45	43
	63	19
VII.	7	73
	48, 49	2
VIII.	26	37
IX.	31	263
XII.	2, 3. 22	136
XI.	19	73
	36	99
	40	96
	47	72
XIII.	3, 4 &c.	302
	17.	144.159
XIV.	6	9
	16	17
	17	17.73
	20	17

JOHANNES.

CAP.	Vers.	Pag.
XV.	1. ad 6	186
	5	191
	18, 19	73
XVI.	13	17
XVII.	3	1
	14	73
XVIII.	20	73
	36	365

ACTUS.

I.	4	232
	4, 5	268
	25	182
II.	1	247
	4	19,218
	17	210
	41	280
	42	306
III.	17	117
IV.	11	110
VI.		207,306
	10	20
VII.	51	176
VIII.	12	280
	16	280
	22	261
IX.	4	330
	18	280
	25	330
X.	34	115
	47, 48	282
	48	280
XI.	16	269
XIII.	38	280
	46	96. 167
XV.	29	301
XVI.	15	280
XVII.	11	49
XVIII.	8	280
XIX.	5	280

INDEX.

ACTUS.

CAP.	Verſ.	Pag.
xx.	7	307
	31	232
	32	39
	33, 34, 35	213. 219
xxi.	23, &c.	312
xxvi.	18 99	121
xxviii.	26	97

ad ROMANOS.

i.	9	357
	11	280
	16	102
	17. ad 32	82
	18	167
ii.	4	95
	9, 10, 11. 13	116
	14	56
iii.	10	56
	20	145
	24	142
	25	130
iv.	15	59
v.		62
	10	140
	12	60
	13	59
	18	113
vi.	1	165
	2, &c.	160. 163
	3, 4	271
	14	39. 159
	16	154
vii.	12. 14	57
	19. 24	163
viii.	1, &c.	20
	2	39
	3	159
	9	15. 19
	9. 14	4
	13	131. 168
	16	15. 42
	26, 27	255
	30	138
	38	170
ix.		94. 357
x.		101. 124
	8	39
	14, 15, 18	104
	18	79
xi.		174
xii.	6	41. 205
	19	365
xiii.		317. 320
xiv.	5	299
	11	358
	17	310
	23	300
xv.	4	45

I. ad CORINTHIOS.

i.	2	187
	17	118. 250
	21	73
ii.		57
	2	87
	3, 4, 5, 13	218
	3, 4, 5	250
	5	276
	8	117
	9, 10, 12. 14	11
	10	20
	12	73
	13	251
iii.	16	19. 87
	4. ad 8. 19	277
iv.	15	280
	18	219
vi.	2	73
	11	135. 142
	17	154
vii.	19	144. 159
	30	349

I. ad CORINTHIOS.

CAP.	Verſ.	Pag.
ix.	11, &c.	210
	15	212
	18	213
	24	359
	27	170
x.	3, 4	290
	16, 17	298
	17	292
	21	291
xi.		344
	6	137
	17. 20	309
	17 ad 32	307
	23	301
	26	296
	27. 29	298
xii.		41. 256
	4	204
	4, 5, 6	17
	7	79
	8, 9, 10. 13	20
	9, 10, 11	18
	13	11. 192
	17. 29	205
xiv.		256
	15	263
	30	251
	30, 31, 33	206
	34	210
xvi.	13	232

II. ad CORINTHIOS.

i.	22	171. 266
	23	357
	24	317
ii.	17	201
iii.	6	178
iv.	10, 11	141
v.	11	178
	16, 17	107
	18, 19, 21	133
	19	126

INDEX

II. ad CORINTHIOS.

CAP.	Vers.	Pag.
	24	352
VI.	14	185
	14,15,16	134
	16	86
X.	4	318.365
XI.	10	357
XIII.	2	218
	3	190
	5	111.141
	11	159

ad GALATAS.

I, &c.		146
	15	10
	16	17
	20	357
II.	8	147
	20	147.161
III.	27	142.271
IV.		148
	19	142
V.	12.19	321
	24	365
VI.	6	210
	14	73

ad EPHESIOS.

I.	13	171
	14	266
II.		59
	4,5,6	161
	5	141
	8	191
	10	161
	15	127
III.	9	9
IV.		204
	5	16.267
	7.11.16	192
	11	157.218

ad EPHESIOS.

CAP.	Vers.	Pag.
	23,24	142
	30	266
V	8	99
	13	79.88
	25,26,27	157
VI.	18	253.256

ad PHILIPPENSES.

I.	6	168
	8	357
	21	61
II.	13	147
III.	10	127
	14	166
	15	328

ad COLLOSSENSES.

I.	13	99
	23	97.102
	24	128
	27,28	142
	28	70
II.	6.16.20	311
	8	191
	12	272
	19	185
III.	1	309.352
	16.	262
IV.	2	232
	12	158

I. ad THESSALONIC.

I.	5	204
II.	12	150
III.	13	158
V.	5	99
	6	232
	12,13	207
	17	253
	19,20	209
	21	328
	23	158
	27	357

II. ad THESSALONIC.

CAP.	Vers.	Pag.
I.	5.8	150
II	11,12	167

I. ad TIMOTHEUM.

I.	19	168
II.	1,3,4,6	71
	3	67
	8,9,10	347
	11	210
III.	2	191
	2,3,4,5,6	218
	15	184
V.	16	210
	17	207
VI.	5,6,&c.	218
	7,8,9,10.	213
	8	219
	20	199

II. ad TIMOTHEUM.

III.	2	118
	15,16,17	45
	17	158
IIII	5	232
	7	171

ad TITUM.

I, &c.		193
	7,8,9	218
	10,11	219
	15	88
II.	11	112.191
	14	127.156
III.	5	141.147
	7	142

ad HEBRÆOS.

I.	3	338
II.	9	72
III.	14	169

INDEX.

ad HEBRÆOS.

CAP.	Vers.	Pag.
IV.	12,13	104
V.	4	218
VI.	16	358
VII.	26	134
VIII.	10	23
	11	143
IX.	9	160
	10	273.311
X.	24	247
XI.		16
	6	131
	7	14
XII.	14	144
	16,17	82
	22,23	161
XIII.		17
	17	207

Epistola JACOBI.

I	9	335
	21	101
	27	73
II.	24	144
III.	9,10	162
IV.	1	365
V.	6	121
	12	352
	14	310

I. PETRI.

I.		108
	5	168
	17	347

I. PETRI.

CAP.	Vers.	Pag.
II.	5	195
	21	86
	22	134
	22,24	127
III.	3 4	347
	18	127
	20	94
	21	270
IV.	7	232.237
	10,11	192
V.	5	207

II. PETRI.

I.	4	128.154
	10	41. 170
	12	46
	16	338
II.	1,2,3	218
	1,3,14,15	219
	20	73
III.	9	67. 72
	15	94
IV.	10,11	218

I. JOHANNIS.

I.		196
	7	198.199
	8	161
II.	1,2	73
	2 ad 6	159
	15	73
	27	25

I. JOHANNIS.

CAP.	Vers.	Pag.
III.	1,13	73
	2 ad 10	159
	4	164
	5,8	156
	7,20	142
	9	154
IV.	5	73
	9	72
	10	127
	13	32. 42
V.	3	161
	6	43
	14	256
	16	32
	19	73. 74

Epistola JUDÆ.

I.	16	219
	20	256

APOCALYPSIS.

II.	5	131
	9	184
	20	321
III.	12	166.171
	16	83
	20	10. 292
XIV.	1 ad 5	161
XIX.	10	344
XXII.	9	344
	14	144
	18	52

INDEX
Rerum præcipuarum.

A.

Abnegatio sui. 236.
Abrahami fides. 14
Adam, quære *homo*. *peccatum*. *redemptio*. quam felicitatem lapsu amiserit. 54. quâ morte sit mortuus. 54. 62. nullam in natura sua retinuit voluntatem vel lumen capax ex se spiritualia manifestandi. 55. an aliquæ reliquiæ cœlestis imaginis in ipsis sint relictæ. 57. 87.
Alexandri Skeinæi quæstiones concionatoribus propositæ. 258. 259.
Amor. de festo amoris. 307. 308
Anabaptistæ magnæ Britanniæ. 28. 240.
Anabaptistæ Monasteriensis cur eorum facta ad Quakeros non spectant. 26, 28, 29, 30, 31.
Anicetus. 27
Anima suos habet sensus non secus ac corpus. 7. quo corroboretur & pascatur. 237 295
Antichristus exaltatur, quando Dei semen premitur. 87, 88. 201. ejus opus. 204. 217
Antinomiani. eorum de justificatione opinio. 130, 131
Apostasia. 166. 201
Apostolus. quis sit. eorum numerus non fuit limitatus, & an quis hodie sic nominari possit. 206, 207.
Apparitiones. quære *fides*.
Ariani. doctrinam persequendi religionis causâ primò introduxerunt. 325.
Arius. quo in errorem prolapsus sit. 201.
Arminiani. quære *Remonstrantes*.
Astrologus. 33.
Aureliæ. decem Canonici sunt combusti, & quare. 286.
Auris. est corporalis & spiritualis. 6. 15

B.

Baptismus. unus est, ejus definitio. 263. 266, 267. 270. est baptismus Christi & Spiritûs non aquæ. 263. 266. usque ad 272. baptismus aquæ, qui erat Johannis baptismus, erat hujus baptismi figura, & non est continuandus. 264. 266. 272 usque ad 286. baptismus aquæ cor non mundat. 266. 274 nec est signum Christianitatis, sicut Judæis erat circumcisio. 276, 286. quod Paulus non baptizatum missus erat explicatur. 276, 277. de quo baptismo Christus loquitur, Matth. 28. 20. explicatur, 278, 279. quomodo Apostoli aquâ baptizaverint, explicatur 281 282, 283. *baptizare* significat *immergere*, & quomodo *aspersio* introducta sit. 283, 284. qui olim aquæ baptismo utebantur, immergebantur, & qui tantùm aspersi erant, non admittebantur ad functionem ecclesiasticam, & quare. 284, 285. contra aquę baptismi usum olim multitestati sunt. 286.
Pædobaptismus mera humana traditio est. 263. 287.
Bellum. quòd Christianis non liceat malo resistere. nec bellum gerere. 334. 362 usque ad 371.
Biblia. ultimæ translationes semper priores increpant. 44
Bonaventura. 225

C.

Calcearius cum Professore disputat. 198.

Cal-

Calvinista. quære *Protestantes.* consubstantiationem negant. 27. absolutam reprobationem fovent. 28. *Gratiam*, vim quandam irresistibilem putant, & qualem velint Servatorem. 109. de carne & sanguine Christi. 291. 293, 294. pane fermentato in cœna utuntur. 305

Canon. An Scriptura sit canon completus, 51. an per Scripturam probari possit, quòd aliquis liber sit canonicus. 51, 52

Cantatio Psalmorum. 262

Caput de aperiendo capite in salutationibus, 332. 334. 343. 344, 345, 346. 370

Castellio, in exilium missus 327

Cauponari cum Scripturis quid 201

Censura *quomodo & contra quos exerceri debet* 316

Ceremoniæ. quære *superstitio.*

Christianitas. quasi ars effecta est. 8. non est Christianitas remoto Spiritu. 19. 21. 27. 37. in *Sceptismum* converteretur. 26. In cordis renovatione præsertim ponitur. 177 in quo non consistat. 233 quid sit & non sit ejus signum. 276. 285.

quare odiosa sit Judæis, Turcis & Ethnicis 293. Quid ad eius commendationem contribueret. 336.

Christian quis sit, & quando desinat esse Christianus. 4. 8. 19. 21, 22. 161, 181, 182, 184. 191. ejus fidei fundamentum. 33. 34. Privilegium. 34.

quando nativitate & non conventione homines facti sunt Christiani. 176. multa à Judæis & Gentilibus mutuati sunt. 264. 265. gradatim à primâ puritate recedunt. 307. primitivi Christiani per aliquot secula dicebant, *Christiani sumus, non juramus.* 360. & *Christi milites sumus, pugnare nobis non licet.* 367

Christus. quære *communio. justificatio, redemptio, Verbum.* Seipsum quotidie ostendit, revelans notitiam de Patre 6. extra ipsius scholam nil discitur nisi garrulitas 7. est Verbum æternum 9. nulla creatura ad Deum accessum habet nisi per ipsum. 9. 10. est via, veritas & vita. 10. Mediator inter Deum & hominem. 10. 126. est Deus, & in tempore factus est particeps naturæ hominis. 10. Heri, hodiè ipse & in secula. 17. in ipsum Patres credidere, & quomodo. 16. Oves ejus vocem ejus audiunt, & vocem peregrini rejiciunt. 37. 192. 194. ejus ascensionis fructus est, pastores mittere, 46. In sanctis habitat, & quomodo. 83. Illius adventus fuit necessarius. 85. ejus sacrificio remissionem peccatorum habemus. 85. 113, 114, 126. an & quomodo in omnibus sit, explicatur. 86. Intus formatus est causa formalis justificationis. 121. 140. vitâ, morte, &c. ad reconciliationem viam aperuit. 142. Obedientia, justitia, mors & passiones ejus nostræ sunt, & explicatur, quod Paulus dicebat suis passionibus adimplere, quæ passionum Christi deerant. 128. quomodo ejus passionis fiamus participes. 160, 161. in quem finem manifestatus sit. 156, 157. patiendo suos liberat 243. de ejus corpore externo, & spirituali. 290. de externo & interno ejus adventu. 309

Circumscio. veteris fœderis signum. 285.

Clerus. 204. 208, 209. 215, 216, 305
Cœna. quære *communio, panis*, olim etiam parvulis & infantibus administrabatur. 319
Cognitio. in verâ Dei cognitione summa hominis felicitas est posita. 1. error in limine istius cognitionis est periculosus. 1, 2. à falsâ, & confictâ de Deo opinione superstitio, idololatria, & inde Atheismus oritur. 2. incerta Dei cognitio diversimodè, vera autem & certa non nisi internâ & immediatâ S. Spiritus revelatione acquiritur. 3, 4, 5. In desuetudinem adducta fuit, & quibus artibus 7, 8. Nulla datur cognitio Patris, nisi per Filium, nec Filii, nisi per Spiritum. 3, 9, 10, 11, 12. Quæ non est per Spiritum non magis est cognitio, quàm loquacitas psittaci, verba pronunciantis, vox humana est. 12.
Commissio Discipulorum Christi ante opus consummatum, magis Legalis quàm Evangelica erat. 192
Communio bonorum a Quakeris non introducitur. 316. 334, 335
Communio corporis & sanguinis Christi est quid spirituale & internum. 287. illud corpus, & ille sanguis est spirituale, & quid sit cœleste illud semen, quo vita & salus olim, & nunc, communicatur 287, 288, 289, 290. 294. quomodo quis ejus fiat particeps, 291, 292. non annectitur ceremoniæ frangendi panem & bibendi vinum, quâ Christus usus est cum discipulis, Hæc tantum erat figura, 287. 292 usque ad 300. an illa ceremonia sit necessaria pars novi fœderis, & an sit continuanda, 300 usque ad 319
Communio spiritualis cum Deo per Christum obtinetur. 55
Complementa. quære *tituli*
Congregationes necessariæ sunt, & quales. 223. 226, &c. quære *cultus*. Non sunt deserendæ. 234. 247
Conscientia. quære *Magistratus*. ejus definitio, quid sit, à lumine salutifero distinguitur 88, 89 315. Bona & hypocritica. 168. Qui contra conscientiam agit, peccat, & de errante conscientiâ. 315. Quæ res conscientiam spectant. 315. Qualis conscientiæ libertas vindicetur. 316. Est thronus Dei. 316. omnium potestate est exempta. 327
Conversione. quod hominis est, est passio potius, quàm actio. 90. Augustini dictum. 90. Hoc duobus exemplis illustratur. 91, 92.
Cor fraudulentum & malum est. 42. 55. 56
Corpus deflectere quære *caput*
Crux. signum crucis. 286
Cultus. quis sit verus & Deo gratus cultus, & quomodo offeratur, & quis sit superstitiosus & abominabilis. 220, &c. Verus cultus citò corruptus & amissus fuit. 221, 222. De cultu Apostasiæ tempore facto. 225. 254. Quali de cultu hic tractetur, & de veteris & novi fœderis cultus differentiâ. 222, 223. 241, 242, 243. Verus cultus nec locis, nec temporibus, nec personis limitatur, & quomodo hoc sit intelligendum, explicatur. 220. 223, 224. 246. 247. 254, 275. De die Dominico, & diebus, quibus præstatur cultus. 224. De publico & silente cultu, & ejus excellentiâ. 226 usque ad 248. de prædicatione 248, 249, 250, 251, 252. Oratione.

ratione, 252. usque ad 262. Psalmorum cantatione & musicâ. 266 Qualem cultum Quakeri, & qualem eorum adversarii velint. 263

D.

Decimæ Levitis assignatæ erant, sed non hodiernis ministris. 210, 211

Deus quomodo seipsum semper patefecerit, 3. nisi intus loquatur, sine causâ perstrepit prædicator. 5, 6. Nemo eum rectè cognoscere potest, nisi id à Spiritu recipiat. 6, 7. Intus quærendus est. 7. sensatione, non merâ speculatione, & demonstrationibus syllogisticis cognoscitur. 6, 7. Est fons, radix & omnium operum origo, & omnia operatus est æterno suo Verbo. 9. Deus loquens est *objectum* fidei, 14. Inter omnes, Electos suos habet. 5. Non delectatur morte improbi quære *redemptio*. Amorem suum manifestavit in mittendo Filium suum. 126. 142. vide *justificatio*. remuneratur bona filiorum suorum opera. 150. Ejus mandata observare an possibile sit. 152, &c est Dominus & solus conscientiæ judex. 314. 316. Liberum vult exercitium 322

Diabolus ipsi minimè curæ est, quantum Deus ore agnoscitur, modò ipsemet corde colatur. 8. 110, 111. Potest externum verborum sonum formare. 15. inter perditos versatur. 157. quomodo possit esse Evangelii minister. 201, 202. quando nihil operari possit. 238, 239. in externis signis, umbris, & formis homines detinet, dum substantiam negligunt. 294. 305

Diaconi. 306

Dies an aliqui sancti sint, & de die vulgò *Dominico* dicto. 224. 299

Disputatio calcearii cum quodam Professore. 198. Ethnici philosophi cum Episcopo concilii Niceni. & illiterati rustici 199.

Dominus unus est. 16.

E.

Ecclesia extra quam nulla datur salus, quid sit. de ejus membris, visibilitate, professione, degeneratione, successione. 173 usque ad 190. in ecclesia quicquid agitur, sine instinctu Spiritus sancti, vanum & impium est. 193. idem de eâ dici potest quod in scholâ de *Thesi* naviculâ 209. In eâ censuræ debent exerceri, & contra quos 306. accessione hypocritarum magis corrumpitur. 322. ecclesiæ Græcæ & Latinæ contentiones de pane azymo aut fermentato in cœnâ 304. Laodicensis tepiditas. 183. In Romanam ecclesiam non minores superstitiones & ceremoniæ quàm inter Ethnicos & Judæos introductæ fuerunt. 176

Elector Saxoniæ, scandalum ab eo datum. 259.

Eminentia vestra. quære *tituli*.

Enoch cum Deo ambulavit 161

Epistola. quære *Iacobus*, *Iohannes*, *Petrus*

Eruditio vera quæ sit. 196

Ethica Christianis non necessaria. 199

Ethnicæ ceremoniæ in religionem Christianam sunt introductæ. 285

Ethnici licet historiæ ignari, damni tamen per lapsum sensibiles fuerunt. 118

Ethnici quidam non jurarent. 360

Esau. 230

Evangelista quis sit, & an hodie quis sic nominari possit. 206, 207

Evangelium. quære *redemptio*. ejus veritates sunt tanquam mendacia in ore profanorum & carnalium hominum. 12. 22. ejus natura explicatur. 23, 24 à Lege distinguitur. & eâ est præstantius. 24. 39. quære *fœdus*. *Lex*. num quis illud in hoc vel in illo loco debeat prædicare in Scripturâ non invenitur. 40. 189. Ejus opera à Legis operibus distinguuntur. 145. Quomodo propagandum sit, & de ejus propagatoribus, 317 Ejus cultus internus. 275. est interna vis. 102, 103

Excellentia vestra. quære *tituli*.

Exorcismus. 286

F.

Farellus. 305.

Fœdus. novi & veteris fœderis cultûs differentia. 24 222, 223. 241, 242, 243, 275. quære etiam *Evangelium*. *Lex*.

Fides. ejus definitio, & quod sit ejus objectum. 13, 14. 15. in quantum & quomodo apparitiones, voces externæ & somnia fuere sanctorum fidei objectum. 15. quod fides una sit, & quod unum sit fidei objectum. 16. ejus fundamentum. 33, 34 quære *revelatio*, *Scriptura*

Filius Dei. quære *Christus*, *cognitio*, *revelatio*

Franequera. 212

Fratres donati. 189

G.

Garrire. quære *ludi*

Geniculari. quære *caput aperire*

Gratia Dei potest amitti inobedientiâ. 166, &c.

Gratia salutifera. quære *redemptio*. quæ requiratur in vocatione & qualificatione ministri. quære *Minister*

In quibusdam modo speciali & prævalente operatur, ut necessariò salutem obtineant. 92

Gratia vestra. quære *tituli*.

Gratis prædicari debet Evangelium. 172. 211, 212

H.

Hæreses. undè provenerunt. 233

Hæreticus. 319

Hai Ebn Iokdan. 119

Henricus quartus Galliæ rex. 324

Historia Christi. quære *Quakeri*. *Redemptio*

Homo. quære *cognitio*. ejus spiritus scit quæ sunt hominis, & non quæ Dei sunt. 11. carnalis homo veritates Evangelii pro mendaciis habet. 12, & in eo statu Deo placere non potest 19. homo vetus & novus. 34. 83. 84. naturalis homo spiritualia discernere non potest. quoad primum Adam, lapsus & degeneratus est. 34. 36. 53 62. ejus cogitationes de Deo, rebusque divinis in statu corrupto malæ & inutiles sunt. 53. nihil Adæ peccati ipsi imputatur, quoad malè faciendo suum faciat. 55. 59. 60. nullam in statu corrupto voluntatem vel lumen capax ex se spiritualia manifestandi habet. 55 56, 57, 58, 59. 126. Non potest quando vult cordis teneritatem sibi procurare. 89. quicquid agit, dum non agit per virtutem Dei, à Deo non approbatur. 237. Homo interior quomodo nutriatur. 290, 291. ejus animus quomodo mutetur. 322

Honor. quære *tituli*

Hypocrita. 319. 312

I.

Iacob. 230.

Iacobus Apostol. de ejus epistolâ quondam diversæ fuere opiniones. 37

Idololatria. 221. 234. undè provenerit. 264

Ieſus, quære *Chriſtus*. In nomine ejus ſalvari & congregari quid ſit. 113 114. 126. 227
Ieſuitæ. quære *ſecta Ignatiana*.
Illiterati. quære *mechanici*.
Indulgentiæ. 123
Infantes. quære *peccatum*
Iniquitates ſpirituales 232 233
Inquiſitio. 323
Inſpiratio. ubi illa non docet, fruſtrà forinſecus perſtrepunt verba. 5, 6
Iocari. quære *Ludi*
Iohannes Apoſt de ejus ſecundâ & tertiâ epiſt. & Apocalypſi quondam diverſæ fuere opiniones 37
Johannes *Baptiſta* miracula non fecit. 189
Iohannes *Huſſus* dicitur prophetaſſe. 52
Iohannes *Knox*, quo reſpectu Scotiæ Apoſtolus vocatus ſit. 207
Iudas peccato à munere Apoſtolico eſt detruſus 182. quis ſit ejus vicarius, 193. ejus commiſſio non erat purè Evangelica. 195. à Chriſto immediatè vocatus erat, & quinam ipſo inferiores ſint, & ipſum miniſterii ſui patronum vendicent. 195, 196
Iudæi. inter eos membra eccleſiæ eſſe poſſunt. 173, 174. eorum error de externa Abrahami ſucceſſione. 181. eorum cultus externus. 275.
Iuramentum. quòd jurare non liceat. 334. 352 uſque ad 362. 371
Iuſtificatio. ejus doctrina apud Pontificios multoperè eſt vitiata, & in quo illam ponant 122 123, 124, 125. cui ſe meritò Lutherus & Proteſtantes oppoſuere, licet citò in aliud extremum abierint, & in quo illam ponant, & quod in unum conveniant 124, 125. 129. Ab amore Dei provenit 126. 142. juſtificare ſignificat realiter juſtum efficere, non reputare, quod etiam multi Proteſtantes fateri coguntur. 129, 130. 135 uſque ad 140 Revelatio Chriſti in corde formati eſt cauſa formalis juſtificationis, non opera propriè loquendo, quæ ſolum effectus ſunt, & ſic etiam multi Proteſtantes loquuti ſunt. 121. 124. 125. 128, 129. 135. 140, 141, 142, 143 Juſtificamur in operibus & quomodo. 121. 129, 130. 143. uſque ad 151. Tantum abeſt ut hæc ſit doctrina Pontificia, ut Bellarminus & alii eam oppugnent. 122. 128. 144. 149

L.

Lacus Bethſaidæ. 89
Laicus. 204, 208, 209, 305
Levitæ. 210, 211
Lex diſtinguitur ab *Evangelio*. 24. 275. ejus differentia. 24. 159, 160 quære *Evangel*. De ſacerdotibus & miniſtris ſub Lege nullum populo relictum erat dubium. 179. quære *miniſter Legis*. *cultus*.
Libri canonici & *Apocryphi* quære *canon*, *Scriptura*.
Lingua, linguarum ſcientia laudabilis. 190. 197, 198
Litera occidit, non vivificat. 160
Literatura humana minimè neceſſaria 196, &c.
Liturgia. 225. 240
Logica. 198, 199
Lotio pedum. 202, 203.
Ludi. an illis uti liceat. 332 334. 348, 349, 350, 351, 352. 371
Lumen innatum à Cicerone explicatur. 118
Lumen naturale. errores Socin. & Pelag. qui hoc lumen exaltant, rejiciuntur. 53, 54
Lumen ſalutiferum (quære *redemptio*) eſt univerſale, omnibus ineſt 79. eſt ſpirituale & cæleſte principium. 82, 83. eſt *ſubſtantia*, non *accidens*. 84, 85. eſt ſupernaturale & ſufficiens.

ens. 99. 101. est Evangelium in omnibus prædicans. 102, 103. est verbum prope in ore & corde. 104, 105. est verbum insitum animam salvare potens. 108. de hoc Lumine testimonia Augustini & Buchanani. 120, 121. Non est pars aliqua naturæ aut reliquiæ remanentis in Adamo post lapsum. 87. à conscientiâ distinguitur. 88, 89. non est commune donum, quasi calor ignis, & lux externa solis, ut quidam prædicato, dicebat. 112, ei potest resisti. 79, 82, 90, 91. 166, 167. Hoc Lumine, seu semine, gratiâ & verbo Dei invitat omnes & ad salutem vocat. 106. 107. Nullus eorum quibus historia Christi prædicatur, nisi internâ operatione hujus luminis salvantur 108, 109, 110, 111. In primâ manifestatione parva est, sed crescit. 108. à Calvinianis, Pontificiis, Socinianis & Arminianis negligitur, & quare. 109. Nemo ei silentium imponere potest. 111. Ejus operatione qui salvati sunt, & servari possunt, qui historiæ Christi ignari fuerunt, 63, 79, 85, 86. 107. 111. usque ad 118. Responsum ad objectionem, quod *nemo salvari potest nisi in nomine Jesu Christi*. 113, 114, 126.

Lutherani, quære *Protestantes*. consubstantiationem affirmant. 27. de carne & sanguine Christi. 293, 294. Panem azymo in cœnâ utuntur. 304

M.

Magistratus. de ejus potestate in rebus purè religiosis, & quod nihil in conscientiam authoritatem habeat 314. usque ad 331. nec secundum Ecclesiæ censuram punire debet. 317. De præsentibus orbis Christiani magistratibus. 370.

Mahumedis politia discursum de religione prohibet. 328

Majestas vestra. quære *tituli*

Manus. manuum impositio. 190. 310

Mathematicus. 33

Mechanici. 208. multum reformationi contribuerunt. 209

Mense. 306.

Meritum. quære *justificatio*.

Metaphysica. 199.

Minister Euangelii. an quis vocatus sit in Scriptura non reperitur, 40, 189. instructioni Spiritus non sunt antehabendi. 46. errores Pontif. & Protest. de gratia ministri rejiciuntur. 53. 59. Dantur ad perfectionem sanctorum, &c. 157. De eorum vocatione & in quo illa ponatur. 171. 178 usque ad 190. qualitatibus. 172. 190 usque ad 203 Ordinibus, & distinctione Laïci & Cleri. 103 usque ad 209. de separatione ad ministerium 208. de sustentatione & alimentis, & eorum abusu de inertiâ, luxuria & crudelitate ministrorum. 172. 210 usque ad 217. quale ministerium, & quales ministros Quakeri & quales eorum adversarii velint. 218, 219. 223, 224

Minister Legis. nullum de iis sub Lege erat dubium. 179. 195. eorum ministerium non erat purè spirituale, & dum illud præstabant externis, sicut nunc sub Evangelio internis pollutionibus purificati esse debent. 179. 195

Miracula, an iis, qui fidem suam objectivâ revelatione inniti volunt, necessaria sint. 14, 15. 189

Missa. 221. 225. 239. 259

Monasterienſes. quære *Anabaptiſtæ*
Mors. quære *Adam. redemptio.* In mundum per peccatum intravit 60, 61. In ſanctis eſt potius à morte ad vitam tranſmigratio. 61
Moſes. 117. 241 243. 264 288
Mulier. prædicare poteſt. 204. 210. idem docebat Lutherus 181
Muſica. 262
Myſterium iniquitatis. 204 285
Myſtici. 244, 245

N.

Nero. 321
Nobe. ejus fides nec Scripturam, nec prophetiam antecedentium habebat. 114 de ipſo dictum quod perfectus fuerit. 161
Nomen Domini. 279. 280 ungere in nomine 310
Numerus. de utendo numero ſingulari in compellatione ad ſingulares. 241, 242, 343.

O.

Obedientia ſacrificio præſtat 41
Objectum fidei quære *fides*
Oleum. oleo ungere. 287. 310. 312
Opera vel ſunt Legis vel Evangelii 145. quære *juſtificatio*
Ordinatio conſignans, quid dicatur 266
Orare. oratio pro remiſſione peccati 164, 165. De oratione Dominicâ 234. Orare abſque Spiritu eſt Deum offendere 237. 351. de oratione voluntatis in ſilentio 244. quære *cultus*

P.

Panis. Fractio panis apud Judæos nil ſingulare erat 301. 304 nunc alio modo, quàm à Chriſto, peragitur 304. an azymo aut fermentato pane utendum ſit, item de modo eam ſumendi, & quibus dandi, acriter diſputatur 304, 305. quære *communio.*
Parabola talentorum 96. 102 vineæ commiſſæ 84. Seminantis. 101, 102. Zizaniorum 319
Paracletus in quem ſinem miſſus ſit 5, 6.
Partus ſpiritualis 34. ſanctus 236. quære *juſtificatio.*
Paſcha. aliter in eccleſiâ Latina, quàm orientali celebratur. 27. traditione ejus celebratio nititur 27 agni paſchalis finis 296
Paſſio explicatur, quod Paulus adimplebat, quæ deerant paſſionibus Chriſti, 128. quomodo quis fiat particeps paſſionis Chriſti, & morti ejus conformis, 161
Pater. quære *cognitio. revelatio*
Patres (ſic dicti) de quibuſdam libris Scripturæ non idem ſentiebant. 37. 44. ex Marco & Lucâ integros verſus ſublatos affirmant 44. De interpretatione Septuaginta, & codicibus Hebræis 44. primis ſexcentis annis univerſalem redemptionem prædicarunt 74. verbo [*meritum*] in doctrinâ juſtificationis ſæpius uſi ſunt 150, 151. De poſſibilitate non peccandi 165, 166. De poſſibilitate amittendi gratiæ 168. Eorum multi non ſolùm alii aliis, ſed & ſibi invicem contradicunt 201. de baptiſmo & ſigno crucis 285. de juramento 354
Patriarchæ. 290. 296
Peccatum quære *Adam. juſtificatio.* non dominabitur ſanctis 39. Semen peccati ab Adamo ad omnes homines tranſmittitur, ſed nemini nec infantibus imputatur, niſi actualiter ei peccando ſeſe jungant 53, 54. 59, 60, 61, 62. & hoc ſemen frequenter mors dicitur 62. Peccatum Originale.

nale. ejus phrasis in Scripturâ nulla fit mentio 62. virtute sacrificii Christi peccatorum remissionem habemus, 85. 126. peccati remissio apud Pontificios 123. à peccato actuali datur liberatio, & quando, & quomodo, & quod multi eâ potiti sint 152. usque ad 166. Peccatum unumquodque hominem quoad spiritualem conditionem debilitat, non omnino destruit 153. aliud est *non peccare*, aliud *peccatum non habere*. 162. peccatum est quicquid non fit per virtutem Dei 257.

Pedes. de lotione pedum. 301, 302, 303.

Pelagius negat hominem malum semen ab Adamo trahere, & totum hominum arbitrio & naturæ tribuit. Dicebat hominem viribus naturalibus absque Dei gratiâ posse non peccare 165.

Pelagiani 54. quomodo ab iis differamus. 90, 91. 286. quære *lumen naturale.*

Persecutio religionis causâ 325. usque ad 331. quære *magistratus.*

Perseverantia. inobedientiâ Dei gratia amitti potest 153. 166, 167, 168, 169 ejusmodi tamen stabilitas in hac vita acquiri potest, à quâ nulla datur apostasia 154. 166. 169, 170, 171

Petrus. an Romæ fuerit, 27. logicæ Aristotelicæ ignarus 47. de ejus secundâ epistola olim diversæ fuere opiniones 37.

Pharisæi 264, 300.

Philosophia. 190. 198.

Philosophus ethnicus ab illiterato rustico ad fidem Christianam adducitur 199.

Physica. 199.

Polycarpus. Johannis discipulus 27.

Pontifex Romanus. de ejus primatu 27. quomodo abutitur authoritate suâ, & quo deponat Principes, & populos à juramento fidelitatis absolvat 324. 327 Pontifex summus. sub lege Deus ei immediatè locutus est 13. 24.

Pontifex. fidei eorum regula 27. ad immediatas & internas Spiritus S. revelationes ultimò recurrere coguntur 33. quodnam inter eorum & Monasterienſium exercranda acta sit discrimen 28, 29. 31 Incatechismis suis secundum præceptum abstulerunt 43. Philosophiam Theologiæ ancillam faciunt 47. naturales vires nimium exaltant, & quid de Lumine salutifero sentiant 109. eorum doctrina de justificatione, est magnoperè vitiata 122 De eorum moribus & ceremoniis 176, 177. 184. 187. literaturâ & studiis 197. de hodiernis Apostolis & Euangelistis 207. quos à ministerio excludant. 209. volunt esse certi de pretio, antequam prædicent 211. non laborant 216. moderatiores contra immoderatos clericorum reditus exclamant 213. eorum cultus facilè impediri potest 239. licet neminem absque aquæ baptismo servari dicant, admittunt tamen exceptionem 27. de baptismo 284, 285, 286. de carne & sanguine Christi 291. 293, 294. de juramento 354.

Prædestinavit Deus aliquos speciali modo ad salutem, de quibus si intelligantur loca Scripturæ, quibus aliqui abutuntur, facilè solvuntur eorum objectiones 93.

Prædicatio verbi quid nuncupetur 201. 208. 223, 224. prædicare sine Spiritu est Deum offendere 237. quære *cultus.* est permanens insti-

institutio 277. discitur ut alia ars 208.
Prædicator. quære *minister.*
Preces. quære *orare.* populi preces linguâ Latina ficbant 197.
Professio externa necessaria est, ut aliquis sit membrum particularis Christianæ ecclesiæ 175.
Prophetæ. quidam miracula non fecere 189. falsi non veri carent gratiâ Dei 194, 195.
Prophetia & *prophetare* quid significet 205, 206 de libertate prophetandi 207.
Protestantes. eorum fidei regula 27. ad immediatas & internas Spiritus S. revelationes ultimo recurrere coguntur 34 quodnam inter eorum & Monasterienſium execranda acta discrimen. 28, 29, 30, 31. Philosophiam theologiæ ancillam faciunt 47. affirmant I. Hussum prophetasse de reformatione futurâ 52. non expectantes clariorem lucem in multos errores se conjecerunt. 78. in doctrinâ de justificatione meritò se Pontificiis opposuere, sed citò in aliud extremum abierunt 122. 124. optima sanctorum opera dicunt esse inquinata 129. an & quodnam inter eos & Pontificios sit in superstitionibus & moribus discrimen 176, 177, 188. quid de vocatione ministri sentiant. 179. 180, 181, 182, 183. 187, 188, 189. luctuosum est, quod Judam Pastorum & ministerii sui patronum vendicent. 196. eorum zelus, & conatus laudantur 197. de scholasticâ Theologiâ 201. de hodiernis Apostolis & Evangelistis 207. quos à ministerio excludant 209. de decimis & quod nemini prædicent nisi de pretio certi sint. 211. moderatiores contra immoderatos reditus exclamant 213. quamvis Romanum Pontificem deseruerint, nolebant tamen beneficium amittere 215. non laborant 216. an in cultu perfectam reformationem fecerint 221, 222. eorum cultus facilè potest impediri 240. magnum dedere scandalum 249. negant aquæ baptismum ad salutem omninò necessarium esse. 271. de baptismo 284, 285, 286 de carne & sanguine Christi 291. 293 lotione pedum non utuntur 303. quomodo libertatem conscientiæ vindicarint 324. nonnulli impios reges & magistratus deponendos imo trucidandos affirmant 324. quomodo conveniant, quando magistratûs consensum non habent 330. de juramento. 354.
Psalmorum cantatio. 262.

Q.

Quakeri. id est *trepidatores*, & quare sic nominentur 111. 231. non sunt contemptores Scripturarum, & quid de iis sentiant 36. 38. 45, 46, 47. 50, 51. 85. nec rationis, & quid de eâ sentiant 87, 88, non dicunt omnes alios modos secundos nullius usus esse 9. non se comparant Jesu Christo, ut falsò accusantur 83. nec etiam denegant, quę in sacris literis de Christo, ejus conceptione, &c. scripta sunt 85. 135. à Deo suscitati sunt, ut veritatem annunciarent 78, 79. 110, 111. 120. 202. 232. eorum doctrina de justificatione non est Pontificia. 122, 128, 144. 149. meditationi non adversantur. 237. eorum cultus interrumpi non potest 239. & quæ passi sint 240, 241. quomodo conscientiæ

ſcientiæ libertatem vindicarint 329, 330. alios non perſequuntur. 331. quanquam adverſariorum confeſſione inveniantur utplurimum liberati ab abominationibus, quæ inter alios abundant, ea tamen adverſarii in iis vitia exiſtimant, quæ in ſemetipſis tanquam eximias virtutes laudant, & de unius Quakeri crimine magis clamitabunt, quàm de centum inter ſemetipſos 333, 334. mutuam relationem, quæ eſt inter Principem & populum, herum & ſervum, Patrem & Filium non abolent, & bonorum communionem non introducunt 334, 335. nec dicunt aliquem creatione magis vel minus, quàm alium, uti non debere. 335.

R.

Ranterorum, ſive Libertinorum blasphemia dicentium nihil intereſſe inter bonum & malum. 159.

Ratio. quid opus corruptam rationem exaltandi, 21. de ratione. 28. 87, 88.

Rebecca. 230.

Recreationes. quære ludi.

Reconciliatio. cum Deo quomodo fit 129. uſque ad 134.

Redemptio. duplici modo conſideratur 1. à Chriſto extra nos per acta, & 2. in nobis operata 127, 128. univerſalis eſt, Deus Jeſum Chriſtum Filium ſuum unigenitum Lumen dedit, ut quisquis credit in illum, ſervetur 62, 63, 98 ejus mortis beneficium non minus univerſale eſt quam ſemen peccati 62. vix alius religionis Chriſtianæ articulus invenitur, qui tam diſerte in ſacris literis confirmatur. 69, 70, 71, 72, 73, 74. hæc doctrina à Patribus (ut dicuntur) primis 600. annis annuntiata eſt, & quorum tam dictis probatur. 74, 75. Qui illam à reformationis tempore affirmarunt, non dedere clarum teſtimonium, quomodo illud beneficium omnibus communicatum ſit, nec ſatis abunde veritatem docuerunt, quod ei externæ Chriſti hiſtoriæ neceſſitatem addiderunt, imo eo parti adverſæ validius argumentum præbuere ad præciſum ſuum de reprobatione decretum propugnandum, inter quos remonſtrantes belgici fuere. 64, 76, 77, 78. jam Deus paucos & illiteratos homines ſuſcitavit ut diſpenſatores hujus veritatis fierent. 78, 79, 110, 111. hæc doctrina miſericordiam & juſtitiam Dei exhibet. 79, 80, 92 Fundamentum ſalutis eſt. 80. Scopo promiſſionum & minatum Euangelii reſpondet. 80 merito & mortem Chriſti commendat. 80 gratiam Dei exaltat. 80 falſam Pelagia. Semipelag. & Socinia. doctrinam de Lumine naturali & libero arbitrio evertit. 80. hominum condemnationem exſe, & ſalutem ex Deo pendere facit. 80. omnem deſperationem removet, & neminem in ſecuritate fovet. 80. Chriſtian. religionem infidelibus commendat. 80, 81. ſapientiam Dei demonſtrat. 81. & licet non verbis, tamen actis à prædicatoribus, etiam ab iis, qui hanc doctrinam rejiciunt, ſtabilitur. 81. à propitiatione Jeſu Chriſti non derogat ſed illa magnificat. 85. Unicuique, nemine excepto, certus dies, & tempus viſitationis datur, quo poſſibile eſt ſervari. 79, 93, 94, 95, 96,

96, 97. Cyrilli de hac re teſtimonium. 97. Quid per hunc diem intelligatur. & non intelligatur, explicatur. 82. quibusdam diuturnior, quibusdam brevior eſſe poteſt. 82. multi ultra hanc diem viſitationi vivere poſſunt, poſt quem illis nulla eſt ſalutis poſſibilitas. 82. quædam exempla allegantur 82. Objectiones, & illa Scripturæ loca, quibus alii abutuntur, ut probent Deum homines ad peccatum impellere optime ſolvuntur, ſi ea applicentur hominibus iſtis poſt transactam tempus viſitationis. 82, 93. unicuique datur menſura luminis, ſeminis, gratiæ, verbi Dei, quo poteſt ſervari. 79, 92, 97, 98, 99, 100. 101. 102, 103, 104, 105, 106. quod etiam teſtimoniis Cyrilli & aliorum confirmatur. 100, 101, 102, 105, 106. Quid ſit illud Lumen. quære Lumen. multi, licet externæ hiſtoriæ ignari, damni tamen, quod per Adamam venit, ſenſibiles fuerunt, quod Platonis & aliorum teſtimoniis confirmatur 118. multi Chriſtum intus cognoverunt, quaſi remedium ad liberandos eos, licet non ſub iſta denominatione, ſic etiam teſtantur Seneca, Cicero & alii. 118, 119. Omnes tamen tenentur externam Chriſti hiſtoriam credere, quibus Deus illius ſcientiam adfert. 85.

Reformatio. in quo non ſit poſita 179. mechanici ei multum contribuerunt, 209. quid ei pernitioſum fuerit. 294.

Regnum Dei. 245, 310, 317.

Regula fidei & morum. quære *Scriptura.*

Relatio mutua, quæ eſt inter principem & populum, &c. à Quakeris non tollitur. 334.

Religio Chriſti. quære *Chriſtianitas.* ſit odioſa Judæis, turcis, & Ethnicis. 293.

Remonſtrantes Belgici, quære redemptio. abſolutam reprobationem negant 28. quomodo ab iis differamus 90. naturales vires & arbitrium hominis nimium exaltant, & quid de Lumine ſalutifero ſentiant. 109. eorum cultus facile impediri poteſt. 240.

Rebrobatio. Quære etiam *redemptio.* quid ſit abſoluta reprobatio deſcribitur. 64, 65. ejus doctrina eſt horribilis impia & blasphema. 65, 70, 71. ſic etiam a Luca Oſiand. vocatur. 76. hæc doctrina nova eſt, & ejus prima fundamina jecit Auguſt. quem fovit Dominicus, Calvinus. & Synodus Dordracæna. 65, 76. etiam Luther. quem tamen poſtea Lutherani deſeruere 76. injurioſa eſt Deo, & ipſum peccati authorem facit. quod etiam probatur dictis Calv. Beſæ Zanch. Paræi, Martyn. Zuingl. & Piſcat. 66, 67. injurioſa eſt Chriſto. 67, 68 Prædicationem Euangelii meram illuſionem facit. 68. adventum, propitiationem Chriſti divinæ iræ teſtimonium facit. 68. Generi humano injurioſa eſt. facit ejus conditionem pejorem Diabolorum, beſtiarum, Judæorum ſub Pharaone, & eandem, quam Poëtæ Tantalo affinxerunt. 68, 69

Revelatio. revelationibus Spiritûs Deus ſeipſum ſemper patefecit. 3. 12, 13. 32. variis fiunt modis. 3. ſemper fuerunt objectum formale fidei, & ita permanent 3. 13. uſque ad 22. idque non ſolum ſubjectivè ſed etiam objective 22, 23, 24, 25. ad veram fidem

dem abſolutè & ſimpliciter neceſſariæ ſunt 3. 26. 34. non ſunt incertæ 25, 26, 27. imò eas incertitudinis inſimulare eſt horrendum ſacrilegium 20. exempla Anabaptiſtarum Monaſt. huic doctrinæ non obſtant 26, 28, 29, 30, 31. ſacris Scripturis, & ſanæ rationi nunquam contradicere poſſunt 3. 31. 47. ſunt quiddam per ſe evidens nec alio teſtimonio egent 3, 4. 32, 33. ſunt immobile & certum Chriſt: fidei fundamentum 33, 34. carnalibus Chriſtianis nullo modo neceſſariæ videntur, imò à pleriſque exploduntur 4. olim Chriſtiani non habebantur, niſi qui Spiritum Chriſti habebant, ſed hodiè hæreticus pronunciatur, qui eo ſe duci affirmant 4. quorundam de neceſſitate harum revelationum teſtimonia 5, 6, 7 20, 21. cujus & quibus artibus in deſuetudinem adductæ fuerunt 7, 8.

Robertus Barclaius 324.

Ruſticus. ejus reſponſum ſuperbo Prælato datum 186. Philoſophum ad fidem Chriſtianam addacit. 199.

S.

Sabbatum 224.

Sacerdotes. quære *Levitæ, miniſter Legis* 179. 195 210.

Sacramentum. de eorum numero, natura, &c. quantæ exortæ ſint contentiones, & quod vox [Sacramentum] in Scriptura non reperiatur, ſed ab Ethnicis deductum ſit 265, 285, ejus definitio pluribus aliis rebus convenit. 266. an conferant gratiam. 312.

Saltationes. quære *ludi*.

Salus. extra eccleſiam nulla datur. 173.

Samaritana mulier. 297.

Sanctificatio. quære *juſtificatio*.

Sanctitas veſtra quære *tituli*.

Sanctum Sanctorum. id Pontifex ſummus ſemel in anno intrabat. 13, 14. nunc omnes non ſemel in anno, ſed ſemper ad Deum ingreſſum habent. 24.

Sanguis. abſtinere à ſanguine & ſtrangulatis. 287. 310, 312 effuſus eſt. 294.

Sanguis Chriſti. quære *communio*.

Saxoniæ Elector, de ſcandalo ab ipſo Reformationi datæ, aſſiſtendo in Miſſa. 257.

Scepticiſmus. 26, 198.

Schola. extra ſcholam Chriſti nil diſcitur niſi mera garrulitas, & umbra cognitionis. 4, 6, 7. an publicæ ſcholæ ſint neceſſariæ. 197.

Scripturæ veritatis. unde proceſſerint, & quid contineant. 35. ſunt declaratio fontis & non ipſe fons. 35. non ſint exiſtimandæ adæquata primaria regula fidei & morum, ſed ſecundaria & ſubordinata Spiritui, & quare. 35. uſque ad 52, 189. earum certitudo ſolummodo noſcitur Spiritu. 36, 37, 175. teſtantur Spiritum Sanctis pro rectore datum. 36, 44, 45, 49, 50, 51. earum authoritas ex eccleſia, ſeu concilio, nec ex virtute iis inſita, ſed ex Spiritu pendet, nec corruptæ hominum rationi, ſed Spiritui ſubjicitur. 36, 38. Calv. Eccleſ. Gall. Synod. Dord. & Theol. Mag. Brit. Weſtmon. de hac re teſtimonium. 36, 37. contentiones eorum qui certitudinem Scripturarum aliunde quam à Spiritu quærunt. 37. Patrum (ſic dictorum) de quibusdam libris diverſæ opiniones. 37. de ablatione, corruptione quorundam locorum, tranſlatione, tranſcriptione

ptione, & variis lectionibus Hebræi characteris, & codicum Græcorum, interpretatione Septuaginta, & de codicibus Hebræis, de admittendis vel rejiciendis quibusdam libris 43, 44, 45. de difficultate in explanatione 47. Augustini de authoribus lib. Canon. & de transcriptione, & interpretatione judiciū 45. earum usus perutilis & solatio plenus 38, 46. indocti & instabiles iis abutuntur 47. Scripturam esse canonem completum nulla est credendi necessitas 51. multi canonici libri injuriâ temporis perditi 51. an per Scripturam probari potest, quod aliquis liber sit canonicus 51, 52. quondam erant quasi liber obsignatus 197. ut intelligantur, auxilio & revelatione Spiritus S. opus est 6. nemo earum se doctorem facere potest, nisi solum S. Spiritus. 6.

Secta Ignatiana. literaturam amat 197. ad Indos missos nuncupat Apostolos 207.

Semen justitiæ 236. salutiferum. Peccati. quære *peccatum. redemptio.*

Semipelagiani. 54. eorum axioma *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam* 76.

Semoreï. 13. 267.

Servetus 327.

Servus. humillimus tuus servus sum, an dicere liceat 330, 341. quære *tituli.*

Silentium. quære *cultus.*

Simon Magus 211.

Sociniani. quære *lumen naturale.* eorum incogitantia redarguitur 18. *rationem* maximam fidei regulam & ductorem esse putant 18. 27. quamvis multi ratione abusi sint non tamen dicunt quod quis eâ uti non debeat, & quàm malè argumentantur contra internas, & immediatas Spiritûs S. revelationes 27, 28, ad illas tamen ultimò recurrere coguntur 34. vires naturales nimium exaltant, & quid sentiant de lumine salutifero 109. eorum cultus facilè potest impediri 240.

Socrates 88.

Somnia. quære *fides. miracula.*

Spirituale. iniquitates spirituales 232, 233. spirituale judicium 319

Spiritus S. quære *cognitio. comm. revel. Script.* nisi adsit cordi audientis, otiosus est sermo doctoris. 5. 16. Spiritus Dei cognoscit quæ Dei sunt 11. sine Spiritu nemo potest dicere quod Jesus sit Dominus 6. 11, 12. resedit super septuaginta seniores & alios 13. manet nobiscum in æternum 17. docet & suggerit omnia & ducit in omnem veritatem 17. 18, 21, 22, 23. 36. differt à Scripturâ 18. est Deus 18. habitat in sanctis 18, 19, 20, 21, 22. remoto Spiritu Christianitas non est Christianitas 19. 27. 37. huic quidquid in fide Christianâ expetendum est, asscribitur 19. hoc Spiritu ad Deum convertimur, & in persecutionibus triumphamus 19. vivificat, &c. 19, 20. Calvini de Spiritu notandum testimonium, 20, 21. 36, 37. est omnis veritatis & rectæ rationis fons & origo. 31, 32. dat fidem Scripturæ ad satisfaciendum conscientiis 36. ejus testimonium est omni ratione præstantius 37. est principalis doctor 44. cum hominibus disceptat 94. Spiritu acti Scripturas amant 46. 175. est quasi anima ecclesiæ, & quod sine eo fit, est vanum & impium 193 198. est Sp. ordinis & non

non Ataxiæ 203. quos Spiritus ad miniſterium ſeparat, à fratribus audiuntur 204. eſt hæreditatis noſtræ arrhabo 226.
Stephanus Spiritu locutus eſt. 19.
Superſtitiones 221. undè exortæ ſint 233, 264. 285.

T.

Talentum, unum talentum ex ſe minimè inſufficiens eſt. parabola talentorum 96. 102. qui talentis benè uſi ſunt, boni & fideles ſervi vocantur 145. non ſecus acceptus eſt, qui benè duobus, quàm qui quinque talentis uſus eſt 153.
Taulerus à paupere laico inſtructus 191. de divino amore guſtavit. 225.
Teſtimonium, quære *Spiritus*
Theologia ſcholaſtica 190. quàm pernicioſa ſit. 199, 200, 201, 202.
Theſeus. de ejus navi 209.
Thomas à Kempis 225.
Tituli minimè licet Chriſtianis uti illis honoris titulis, *majeſtas*, &c. 334. 336. uſque ad 343. 370.
Traditio. quàm ad decidendum inſufficiens ſit 27. non ſufficit ad fidem conſtituendam 312.
Tranſlationes, quære *Biblia*.
Turcæ. inter eos membra eccleſiæ eſſe poſſunt. 173, 174.

V.

Verbum. æternum eſt Filius, initio erat apud Deum. & Deus erat: eſt Jeſus Chriſtus, per quem Deus omnia creavit 9. 83. quid in *Platonicorum* libris Auguſtinus de hoc Verbo legerit 119.
Veritas. aliter aliquis dicit de veritate, aliter veritas ſe ipſam interpretatur 5. aditu non difficilis, ſed prope eſt. 5.
Veſpera 225.
Veſtes. quod non liceat Chriſtianis in veſtibus rebus ſuperfluis uti 334 & de earum uſu, vanitate, & ſuperfluitate. 346, 347, 348, 370, 371.
Vindicta. quære *bellum*. 361.
Vnctio. omnia docet, eſt commune omnibus ſanctis privilegium, & certa regula. & in perpetuum manet 25.
Voces externæ. quære *fides*. *miracula*.

ERRATA.

Pag.	*Lin.*	*Errata*	*Lege.*
5	19	vobis	nobis
7	29	procedit: de	procedit. De
8	5	ſupradictam. Et	ſupradictam; &
12	14	quæ dicit	quæ didicit
18	19	unicunque	unicuique
20	1	Actor: 8.	Actor: 6.
22	24	i. e. ejus	ejus, i. e.
39	25	à Legi	à Lege
41	16	non advertit	non advertens